NOVA
ACTA
ERUDITORUM,

ANNO

MDCCLIV

publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE,

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS. Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM. Pariſiis apud BRIASSONUM. Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM. Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in PETRI MORTIERII officina.

M D C C L I V.

Lectori Salutem!

Quod a longo inde tempore, laeti atque hilares facere ſolebamus, ut annum emenſi, Tui, Lector, compellandi, veniam peteremus, Tibique Muſas noſtras, Tua benevolentia ſuſtentandas, iterum atque iterum commendaremus: hoc jam luctuoſe atque exulceratis animis facimus. Funeſtus annus Actis noſtris, nobis-

bis-

bisque acerbissimus fuit, qui inter laborum nostrorum Socios, multis nominibus primum, Menkenium, *litterariae Reipublicae, bonis omnibus, nobisque eripuit. Ex eius viri, de omni re litteraria immortaliter meriti, praematuro interitu, susceptus dolor, hoc maior fuit, quod videbatur honestissimas occupationes nostras, nostrumque, de Te, Lector, deque bonis litteris, bene, quoad liceret, merendi studium, sufflaminaturus. Augebat dolorem & hoc, quod essent, qui iacere, mortuo* Menkenio, *haec nostra Eruditorum Acta, quia vehementer cuperent, crederent: sive quod putarent, nobis cessantibus, amplissimam sibi, quaerendae ex simili labore gloriae, quam, mi-*

mirum est, quibus modis aucupentur, viam aperiri; sive quod defuturos crederent, qui, orba Directore suo Eruditorum haec Acta, tuerentur imposterum, iisque ornandis, ut adhuc fecissent, curam atque operam impenderent. Etsi vero intelligere, hoc isti, quo consilio divulgent, non est difficile: tamen, quia hoc ipsis potius crimini, quam nobis fraudi est, de retundenda ea calumnia profecto non laboramus. In ea regione vivimus, quae est inter cultissimas Europae, quaeque, nemine diffitente, inde a vetustissima memoria, liberale Musis hospitium, atque jucundum praebuit. Ad haec, ita natura & arte facti sumus, ut amore litterarum nihil habeamus potius, credamusque,

que, tum demum bene nobiſcum agi, cum frequens ſe, Lector, Tibi, Tuisque ſtudiis, noſtra ſtudia conſecrandi, occaſio exhibet. Ita animatis, deliberatum nobis conſtitutumque eſt, in continuandis Eruditorum novis Actis, eo tramite, quo adhuc, propitio numine, factum eſt, ſumma diligentia atque dexteritate, inoffenſo pede progredi; omnique eo labore, qui, qualis ſit, nemo non intelligit, ita defungi, ut non facile, vel operam luſiſſe, vel Tua, Lector, benignitate, cui nos vehementer commendatos cupimus, indigni videamur. Haec eſt conſiliorum noſtrorum ratio, quae etiam eo in primis pertinet, ut, quam Academia noſtra, Menkeniis auctoribus, inſtituto atque ſuſtentato

tato Actorum Eruditorum Opere, gloriam consecuta est, hanc nos, pro virili nostra, tueamur. Sumtum facient Heredes Menkenii, *in quibus est filius, egregiae spei adolescens, quem, optabile est, carum bonis litteris nomen, ad seram posteritatem propagare. His igitur Heredibus, quaecunque ad nos, recensenda in Actis, dare eruditi voluerint, inscribent: nos, commendandis Reipublicae litterariae, quae eius commodo fuerint suscepta, vicem reddemus. Plura dicere nihil attinet. Quid enim quisque nostrum de se ipse polliceatur, non credimus esse requirendum. Boni viri judicent. Id est maximi momenti*

&

& ponderis. Vale, Lector, & nostra haec, iuvandis litteris, studia, quemadmodum adhuc praeclare fecisti, etiam imposterum benevolentia Tua prosequere.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCLIV.

MUSEUM TESSINIANUM, OPERA ILLUSTRISSImi Comitis Dom. CAR. GUST. TESSIN, Regis Regnique Suiogothici Senatoris, Regiæ Cancellariæ Præsidis, ad Aulam Regiam Summi Mareschalli, educationi Regiæ Celf. Princ. Hæred. Gustavi Præfecti, Academiæ Aboensis Cancellarii, Ordinis S. R. M. Seraphinorum Equitis Aurati & Commendatoris, nec non omnium S. R. M. Sueciæ Ordinum Cancellarii, Equitisque Aurati de Aquila nigra, collectum.

Holmiæ, apud Laurent. Salvium, 1753, fol.
Alph. 1 plag. 13, Tabb. æn. 12.

Illustrissimus hujus Musei Possessor, præterquam, quod patriæ utilem in gravissimis negotiis gerendis operam laudabiliter præstitit, reipublicæ literariæ quoque & scientiarum incremento inserviturus, ad naturæ thesauros rimandos, & creatarum rerum supellectilem ex apparatu domestico illustrandam, animum intenderat. Igitur proprio studio classes instruxit corporum durorum, quæ lapides dicuntur, præsertim fossilium, quorum amore præ ceteris captus videtur esse, cum hanc potissimum Historiæ naturalis partem sibi condendam esse arbitratus fuit, siquidem illi non minor aliarum quoque animadversione di-

 gnif-

gnissimarum rerum per universum triplicis naturæ regni ambitum supellex suppeteret. Laudandus omnino, quod, qui rebus pro salute patriæ feliciter gestis inclaruerat, ingenii quoque fœtu, se dignissimo, inclarescere voluerit. Etiamsi autem, suæ propriæ oblectationis causa hoc ita a se factum fuisse, asserat; habituri tamen sunt omnes rerum naturalium studiosi exemplum, secundum quod suam singuli supellectilem ordinare possint, si qui cum *Linnæo* loqui, & divisionis fundamenta ab illo accipere, voluerint. Usus autem in ordinandis Lapidum classibus illius methodo Illustriss. Collector fuit, & summum quidem genus aliquod in Lapide ponendum fuit, quoniam, nisi hoc fecisset, ad unum conceptum aliquem diversa origine corpora, metalla, calculos humanos, coralia, redacturus haud erat, quæ omnia, diverso tamen respectu, sub lapidis idea sistuntur. Speciatim notio concretorum, quæ e cryptis terrenis prodeunt secundum celebrem illum Autorem, in *lapide* ponitur. Deinde classes subdivisæ ita stabiliuntur, ut *petras* lapides simplices, *mineras* compositos, *fossilia* mixtos, appellare visum sit. *Classis prima* continet petras vitrescentes, sub quibus continetur *cos*, seu lapis arenarius, atque *silex*, qui corneus lapis est, nunc diaphanus totus, nunc marmoreis fibris opacis intertextus. Huc quoque referuntur calcariæ petræ, *marmora* scilicet varia, tam vetusta, quam ea, quæ per Sueciam prostant; itidemque marmor solubile, ex quo gypsum uritur, cum *Schisto*, seu fissili lapide; accedunt *apyra*, quas ignis non domat, *Mica*, *Talcum*, *Amiantus*, *Asbestus*. *Classis altera* continet *mineras*, quarum varius ordo est. Huc referuntur salia, salisque forma lapides, veluti *Spathum*, quod *natrum spathosum* appellare placuit. Sub hac idea comprehendit *crystallos omnes*, petras scilicet diaphanas angulosas, quarum ordo secundum angulorum numeros, colores, & affinitatem cum gemmis variis, topasio, hyacintho, amethysto, stabilitur. Etiamsi autem natura salium, ab illo lapidum, toto genere discrepat, ad Selenitas tamen referuntur sal habitu gemmæ, alumen, una cum lapidibus pretiosis illis, secundum angulorum formam

funi-

similibus, *Adamante* scilicet, *Rubino*, *Sapphiro*. Placuit quoque, sub hac notione sulphura sistere, electrum scilicet, bitumen fossile, & ligna bituminosa fossilia, cum quibus aliqua affinitate junguntur pyritæ, atque in illis ordinandis ad angulorum formas respicitur. Eadem classe sistuntur petræ, quæ de arsenico participant, ipsumque arsenicum. Mineras *Mercurialia*, post hydrargyrum, illas appellat, quibus aliqua cum istoc metallico intercedit affinitas, scilicet *Stibium*, *Vismuthum*, cui Cobalti lapis adnascitur. Accedit his *Zincum*, quod, licet plerumque sit factitium, raroque exemplo nativum ostendatur, sub varia tamen specie ab Illustriss. Collectore ad mentem Clarissimi *Linnæi* exhibitum est, utpote qui plumbagines quoque hac notione comprehendit, &, si quid porro lapidum sterilium est, quos metallici *micas plumbei coloris* appellare solent, Zinci nomine explicat. Ab his ad metalla procedit, cum & hæc prima suæ substantiæ stamina ab hydrargyro accepisse videantur, & illorum quidem mentionem primo loco sistit, quæ destructibilia igne plus sunt reliquis. Igitur *Ferri* genera constituuntur, tam ea, quæ intractabilia sunt, & fundi in metallum nequeunt, quorsum refertur *Magnesia*, quam quæ metallum habent facile, ipsum scilicet *ferrum nativum*, atque illud, quod *Hæmatita* dicitur, cum *Magnete* utroque, tam illo, qui attrahit, quam qui repellit. Proximus ordo *Cupri* est, sub quo classes illæ continentur, quæ cuprum absolutius, seu nativum, una cum reliquis hujus metalli concretis, *Pyrita* scilicet, hinc *cæruleo* ac *viridi* æris, sistunt. Ab hoc metallo proxime abest *Plumbum*, *crystallina specie*, quæ, ad angulorum mensuras, varia est, atque illud *cubicum*, ex nigro lucens, cujus forma similiter variat. *Stannum* vel crystallinum est & polyhedrum, nigricans, vel in rufo lapide, eoque informi, sistitur. *Argentum* aut absolutius est & purum, *dentatum*, *capillare*, *bracteatum*, *dendroides*, aut sub *crystalli lucida gemma* delitescit. Reliquas enim lapidum, qui argentum tenent, species tanti non fecisse videtur Illustriss. Collector, ut eorum nomina referret, utpote qui supellectilis suæ amplissimæ rariora exem-

pla adducere saltem voluerit; quare nec *Auri* quidem, nisi illius, quod solidum conspicuumque est, mentionem injicit. *Tertia Classis* ea fossilia ordinat, quæ concreta sunt, nullo ceteroquin naturæ ordini addicta, sed ex diversa materie coalita. Sub hac idea sistit *saxa*, quæ metallicis adnascuntur corporibus, atque illorum tectum sunt, aut paries. Huc quoque refert *Tophos*, qui ex quiescentibus, & *Stalactitas*, qui ex stillantibus aquis concrescunt. His accedit *Pumex*, quem ignivomi montes exustum projiciunt, & in universum omnis lapis, qui, undecunque demum, concrevit, huc revocatur, tartarus, calculus humanus. Hujus ordinis quoque sunt animalium icones in lapide, quibus petrificatorum nomen est. De his ita sentit: Petrificata quadruplici modo communiter evadunt: 1) Fossilia dicuntur, lithophyta, aut testacea, quæ diutius in terra latuere, immutata tantum ab elementis, parum quasi calcinata, glutine orbata, ficciora, fragiliora, nec lapidi immersa; 2) redintegrata, sunt petrificata, quorum animalia, cortice duro obtecta, intra terram sepulta, & arcte compressa, demum, interiore præsertim substantia absumta, reliquere cavitatem, quam replevit vel terra tenuissima, ab aqua alluta, vel crystallisatio, ut evaserit solida interne, externe vero servaverit propriam figuram; 3) impressa, sunt petrificata ex animalibus mollioribus, quæ, sepulta & compressa intra terram, reliquerunt figuram, sed tota absumta, ut typus tantum remanserit pristini animalis; 4) transsubstantiata sunt, quæ tam interiorem, quam exteriorem, structuram in lapide ostendunt, orta ex durioribus, quæ diutius perstiterunt in terræ gremio. Transsubstantiata sunt *ligna petrificata*, *Entrochi*, *Asteriæ columnares*. Impressa sunt piscium petrificata, in schisto, vel cote. Redintegrata sunt plurima, & quidem vulgo sic dicta petrificata frequentissime, in marmore sæpius increta & silice, veluti *Echinitæ*. Fossilia in terra calcaria, seu creta, sæpe leguntur, non tantum coralia, sed & testacea. Sub omnibus hisce mutationum modis deprehenduntur lapides, qui animalium integrorum, vel partium animalium, etiam vegetabilium, speciem referunt, *Helminthbolithi*, *Entomolithi*, *Zoolithi*, *Phytolithi*, ali-

aliquibus ludicram saltem imaginem habentibus, nulla quidem impressione, sed solo transfluxu liquidi terreni, natam. Tales sunt *graptolithi*. Sequuntur terræ, *Marga*, *Creta*, *Ochra*, *Argilla*, *Arena*, *Humus*. Accedunt denique ex Conchyliis rariora, atque ex Lithophytis, seu plantis marinis, exquisitiores, libro uno omnem apparatum tanti cimelii in se facile haud recepturo. Dignum sane tanto Collectore, & tanto Interprete, Opus, quem Celeberrimum *Linnæum* esse, Præfatio haud diffitetur, meditatio & scriptio affirmat.

RECUEIL DES ANTIQUITÉS, &c.

hoc est,

COLLECTIO VETERUM SIGNORUM TABUlarumque Ægyptiarum, Etruscarum, Græcarum, & Romanarum, Autore CAYLUS, Societ. Reg. Inscript. Membro.

Parisiis, 1752, 4 maj.
Alph. 2, Tabb. 107 æn.

Exhibet hæc Collectio ævi tantum veteris particulas, quasqui collegit, aut habuit olim in potestate, aut nunc etiam habet. Quo fit, ut in illis ære verbisque reddendis de se fidei spem moveat mereaturque. Non caremus operibus hujus generis, verum, ea qui condidere, aut dederunt, quæ emendatione egerent, aut reliquerunt, quæ desiderarentur; in summam, quomodo ab eruditis exspectes, ita vetusta signa exposuerunt, curantes, ut fabularum, rituum, historiarum, ad quas illa pertinerent, nihil lateret; insuper habitis illis, quæ artificis oculum ferirent. Cui supplendo defectui operam dans Illustriss. Comes *Caylus*, cum ab aliis bonis artibus, tum a dexteritate figuras æri incidendi, magnam famam consecutus, neque paucis ingenii præclari monumentis, quæ in recentissimis *Voluminibus Commentar. Academ. Reg. Inscript. & Eleg. Literar.* leguntur, bene de literis meritus, id sibi datum credidit, ut, non omissis quidem illis doctrinis, quæ ad exponenda vetusta id genus monumenta solis e libris peti debent, ad ea tamen præcipue digi-

tum intenderet, quæ cœlum, quæ manus, sculptoris statuariive suggereret, & ostenderet admiranda perito artis oculo, & imitanda doctis manibus. In lineamentis & conformatione æris agnoscit & propositum & dexteritatem artificis, indeque ætatem gentemque ipsius colligit; persuasum sibi habens, longo usu doctum oculum ita exerceri in æstimandis vetustis signis, ut, quo nata quæque fuerint cum tempore, tum solo, primo statim obtutu deprehendat, & certo pronuntiet. Non enim minus differre judicia, rationes, &, quos appellant, gustus pictorum, statuariorum, & cælatorum, unius gentis ab illis, quos alio sub cœlo nati earundem artium cultores proprios sibi habuere, quam principes quosque colores. Eoque præstare contemplationem veterum reliquiarum eum usum, ut, a quibus initiis, quos per gradus, humanum ingenium ad eam processerit, quam adeptum denique fuit, perfectionem, inde cognosci possit. In Ægyptiorum operibus, quos eruditarum gentium primos, ordinem temporum si spectes, facit historia, grandia omnia, sed incondita; rudimenta videas artium nascentium & velut incunabula. Quæ postquam Ægypto in Thusciam transmigrassent, novam ibi nactæ faciem, &, a grandi, enormique, & stupendo, ad minuta delapsæ, quantum de mole detraxerunt, tantum addidere subtilitatis, decoris, elegantiæ. Transmissæ cum Pelasgis, mutuisque gentium commerciis, e Thuscia in Græciam artes, ad summum perfectionis culmen enisæ fuerunt, in quo tueri gradum apud Romanos haud potuere, in Græci imperii gloriæque successionem invadentes. Quotquot enim hujus generis monumenta Romanorum e manibus exierint, ea rudem manum, grave hebesque cælum, judiciumque pravum, prodere, ad summam, imitari Græca exempla sic, ut non æquent. Duxit ista comparatio Nostrum eo, ut supellectilem, qua usi veteres ad elaboranda hæc opera fuere, agnosceret; facit tamen præcipue eo, voluit certe Illustris Autor eam in pictores statuariosque nostros id valere, ut in iis purgato sordibus judicio oculoque agnoscere tam præclara & sublimia quæque, quam humilia, rudia, & sordida, illaque admirari & imitari, hæc contemnere & abhorrere, discant. Quod ut efficeret, sollicite magni-

magnitudinem & menſuras plurimorum ſignorum deſignat: (ſic enim appellare has veteris ævi reliquias placet, brevitatis in dicendo ſtudio, & quod eorum pleraque ſigna ſunt,) notat quoque, quæ in quoque fœda animadverterit, quæ autem laude & imitatione digna, ea commendat. Eſt quidem hoc commentandi genus ita comparatum, ut careat lepore, ut macie veluti & uno colore offendat eos, qui floridam & hilarem dictionem ſectantur, ut denique paucos tantum capiat, qui proficere magis, quam delectari, cupiunt. Implicat etiam in minutias, quæ uſu carere videantur. Verum non poterat alia ratio inſtitui obtinendo laudabili fini, ad quem Auctor contendebat. Solus ipſi *Ficoronus* exemplum præiverat, cujus anxiam in dimetiendis urnis & lucernis veterum induſtriam riſerunt elegantes homines. Uſum hominis, ait Noſter, ſe Romæ habuiſſe: neque fugere ſe, multum eum e ſchedis & doctrina P. *Contuccii* profeciſſe. Non tamen inutilem antiquis artibus literisque virum fuiſſe. Tam utilem denique atque neceſſariam eſſe hanc tradendarum artium viam, ut tenendis obſervandisque vetuſtarum ſtatuarum operumque aliorum vultu, habitu, menſuris, unice & agnoſcatur, quid rectum, aptum in quoque, decorumque & elegans, ſit, & ad perfectionem proficiatur. Tædium, abſque quo docendi hæc ratio eſſe nequit, abſterſum eo ivit, quod, quo loco modoque & tempore nactus ipſe vetus quodque monumentum fuerit, & penes quem nunc exſtet, ſignificat. Neque ſatis habuit, verbis menſuras eorum tradere, ſed etiam in tabulis ære expreſſis eorum cuique ſcalam, quam appellant, geometricam ſubjecit.

Ipſum, quod ſupra retulimus, elogium Operis *Partes quatuor* indicat. Cujusque gentis earum, quas ante diximus, monumentis tributus liber ſingularis, ex ordine temporum. Chorum igitur Ægyptia ducunt ſigna, claudunt Romana, Etruſcis & Græcis mediis interceptis. Ægyptiaca Tabulas ſex & viginti implent æneas, quæ modum reliquæ chartæ non excedunt; Etruſca duodeviginti. Græca per tabulas tantummodo tredecim, at Romana, numero omnium plurima, per quinquaginta Tabulas æneas, explicita fuere. Singulas harum Tabula-

bularum velut fasces præcedunt singuli explicationum libri, de quorum ratione constat e superioribus.

Non est nobis animus, ire per singulas gentes. Rarior usus est Ægyptiorum signorum, multo & rarior usus, & major obscuritas, Etruscorum. Quare, missis illis, liceat nobis duo reliqua genera perlustrare, unde plus & lucis & fructus ad intelligendos veteres libros erit. Pro more itaque suo, explicationi signorum, genti cuique propriorum, admonitionem præmittendi, qua de profectibus, quas ea gens in artibus fecisset, judicat Autor, sic de Græcis statuit, fuisse illos ingratos quidem erga magistros, (artes enim se suas Ægyptiis debere, studiose dissimulasse,) præcedere tamen & superare magistros fuisse ausos, & traditas sibi doctrinas splendidissimis inventis locupletasse. Ægyptios in condendis vastis molibus, quæ robore secula casusque temporum evincerent, & spectantes stupore percellerent, fuisse totos, & hodie adhuc spectari. Græcos autem, de mole quantum detraxerint, formæ tantum addidisse, maximeque studuisse, ut opera sua placerent, atque oblectarent. Quo eos artis palmam obtinuisse, singulari quodam fortunæ beneficio, quæ dexteritatem hanc & felicitatem non in breve aliquod temporis spatium coegerit, sed per plura continua secula explicuerit, ut constet, Græcos artifices natos fuisse, non factos, signa eorum naturæ vicem præstare. Quæ qui percalleat, & exacte reddat, eum naturam referre. Attenta illorum contemplatione, & veluti rimatione, deprehendi & detegi, quicquid nobile amœnumque natura teneat. Dolendum igitur esse, ab immanium populorum barbarie tam scitorum operum tam parum nobis superesse, &, quicquid ejus superet, in gazis illustris fortunæ latere, quo paucis aditus pateat. Sequioris idcirco conditionis hominibus pro magna felicitate habendum esse, si vel fragmentis tantæ elegantiæ potiantur. Romam, Italiamque omnem, antiquorum operum inexhaustam pæne scaturiginem, nimium intelligere bona sua, quo exteris invideat, eaque neget. Explicandum propterea eorum usum per omnes literatorum artificumque cœtus ope tabularum ære expressarum esse, Sed neque hanc rationem incommodo vacare. Gemmarum enim

enim Græco cælo sculptarum, tam esse admirabilem subtilitatem, ut illi, quos cælandis suis tabulis adhibuerit ipse, homines, artis suæ haud parum callentes, a reddenda imaginum, in gemmis sculptarum, elegantia tantum defecerint, quantum speciei reliquis grandioris molis signis de suo addiderint.

Hac præmissa admonitione, caput galeatum *Tabula XLV* exhibet; at, decernere se posse, negat Ill. Autor, *Minervæ*ne, an *Alexandri M.*, sit; malle tamen illi, quam huic, tribuere. Multa enim pro *Alexandrinis* venditari talia capita, in quibus ipse quidem Græco dignum heroe nihil agnoscat. Proxime huic appositam gemmam sculptam (*Harpocrates* ei inest) Autor pro uno primorum periculorum habet, quæ Græci hoc in genere fecerint. Qua in re ni falsus fuerit, gemmam ad ultimam antiquitatem pertinere, liquet. Adjecta est altera similis, recentior quidem, sed perfectior, eo consilio, ut comparatione præstantia defectusque sculpturarum ambarum deprehenderetur. *Diomedem* ibi conspicis, Palladium afferentem, strato coram Troe. Quod facinus sæpenumero Græcum cælum celebravit; & hujus ipsius collectionis *Tabula XLVIII* iterum. Veteres nempe, constantes magis, varietatem ita, ut nos, non affectabant. Præter imaginis, literarum quoque leporem commendat Autor, quibus nomen suum sculptor significavit, CΘΑΩΝΟC. Negat enim, difficilius aliud in sculpendis gemmis esse, quam literas æquis dispensare spatiis, & unas alteris conformare. Sed eam fuisse fautricis naturæ erga Græcos benignitatem, ut bene ipsis hac quoque in parte succederet. Imaginum *Tabulæ XLVI* placet species; quas inter *Jovem*, in carneolo sculptum, laudat Autor, quem, asseverat, primigenium fuisse exemplum, quod numerosæ similes aliæ gemmæ reddiderint. In *Tabula XLVII* amethystus dat *Herculem Musagetam*, cithara canentem; carneolus juvenem pæne nudum, coram puella pariter nuda sedente stantem, & auscultanti similem. Græcum artificem a nuditate imaginum agnosci, monet Illustriss. Autor, sibique videri, hunc esse *Phaniam*, *Sapphus* ad blanditias surdum & inexorabilem. Facile largimur, id rationi consentaneum esse, ut ad conspectum lepidæ imaginis

animum ea cogitatio subeat, non sine causa factam eam fuisse, & cupido percellat, sciendi, quem tandem hominum Deorumve sculptor, dum sculperet, in animo habuerit. Attamen, ubique doctrinae & fabularum vestigia venari atque agnoscere, forte nimium est studium hominum, aut suam literarum copiam jactantium, aut veteres sculptores ex se aestimantium. Noster, quamvis haud raro ea in re ingenio suo indulgeat, est tamen ea aequitate, ut lusum sculptoris agnoscat, antiquo exemplo fabulari destitutum. Ad foeminae caput, rica velatum, in *Tabula XLIX* quaestionem agitat, liceatne hoc signum Graecis accensere, a quibus plerumque vestitus absit; demonstratque, recte id a se in hunc ordinem fuisse relatum, exemplis cum capitum, tum statuarum Graecarum velatarum. Virum, integris armis indutum, & puellae dubium quid offerentem, in eadem *Tabula* pro *Aenea* habet, *Andromacha* in Epiro casus suos narrante. In *Tabula L* duplici modo exhibetur caput foeminae, ut ex adverso contuenti, & ut a latere, apparet. Sycomoro sculptum fuit, ligno nigro, quod consulto sculptor eo delegit, ut Aegyptiae, aut Afrae, colorem imitaretur. Africanum certe vultum conformatio peregrina prodit, & abnormes inaures. Artificium vero de Graeco autore testatur. Vaccam ibidem conspiciendam pro celebrata *Myronis* vacca venditat Ill. Autor. *Tabula LI* in achate equitem dat, hasta qui leonem sternit. Est quidem ea imago neque in numis, neque alias, infrequens; cum tamen tradant scriptores, *Hadrianum* Imp. provinciam Africam leonibus purgasse, vult Noster, hac gemma Imperatorem illum exhiberi. *Tabula LIII* spectandum proponit pedem marmoreum, quem, credit Noster, non avulsum integrae statuae marmoreae fragmentum, sed sic, ut est, seorsim eo factum esse, ut statuae, ex alia materia factae, apponeretur. Morem enim eum fuisse veterum, ut statuis ligneis deauratis, aut marmore coloreo factis, caput & manus pedesque affigerent, candido marmore elaboratos. Simul quoque notat absurdum Romanorum judicium in componendis diversis materiis & coloribus in unam molem; de quo testatur *Cicero*, ab *Attico* sibi mitti cupiens

sta-

ſtatuam Penthelici marmoris cum æneo capite. Mixturam ejusmodi noſtro placituram oculo, diffidit Autor; at eo tempore rude artium & illiberale adhuc fuiſſe Romanorum judicium, quod ſub *Auguſto* demum defæcari cœperit. Ubi in *Ciceronis* ad *Atticum* Epiſtolas incidit, ſententiam ſuam de Hermeraclis dicit; quas junctas in una maſſa *Mercurii* & *Herculis* imagines volunt alii, Noſter negat, exiſtimans, fuiſſe ſolius *Herculis* imagines illi columellarum generi ſuperſtructas, quas Hermas appellant. Sunt autem Hermæ columellæ quadrangulares, ſuperius latiores, exeuntes in fundum anguſtiorem. Franci *gaines*, vaginas, appellant. Tandem illum quoque morem Græcorum attingit, quo, ſtatuarum etiamſi partes omnes una fierent eademque materie, capita tamen ita formabantur, ut demi a trunco poſſent. *Tabula LIV* ad ſcenam pertinet tota; figura tamen prima præcipuam meretur attentionem, quæ fabularum aut doctorem, aut Poetam, cum duobus hiſtrionibus, ſpectandum dat, coram illo partes ſuas recitantibus; quod ante agendas fabulas, ut hodie ſolet, ſic olim quoque fiebat, cum editori fabulæ, de hiſtrionum memoria & imitandi dexteritate quid ſperandum eſſet, conſtare deberet. Horum uni perſona, ſeu larva, ad pedes jacet, reliquis duobus in frontem & ſinciput ſic ſunt retroactæ larvæ, ut velut pileos referant. Togati ſunt hi omnes, eoque ad togatam, ſeu Romanam, comœdiam pertinent. Facit tamen artificium operis, ut Noſter, gemmam hanc Græca manu ſculptam, credat. Anſam ipſi dat argumentum hoc, in antiquitatem & originem perſonarum inquirendi. Græcis igitur earum inventionem derogat; veſtigia nulla apud Ægyptios reperiri, docens. Quo reliquum id unum fieri, putat, ut autores earum Etruſci fuerint, nulla alia tum gente per hiſtorias a morum elegantia & artium uſu celebrata. Fuiſſe autem Etruſcis commercia cum Græcis, probatum it teſtimoniis Autorum, perobſcuris tamen & tenuibus. Vult quoque, Romanos fabularum agendarum rationem non Græcis, ſed Etruſcis, debere, ut vicinis, quibus etiam alia multa inſtituta in acceptis retulerint. Tandem id quoque de perſonis addit, eas fuiſſe tegendis Larium ſimulacris adhibitas, quando Lares

abſcondi oporteret. *Tabula LV* picturam urnamque, aut ollam, veterem præſtat, ambas e ruderibus *Herculani* egeſtas. Hanc quidem Autor in argumentum allegat commercii, quod Etruſcis figulinis late fuſum per omnem Italiam Græciamque fuerit. Impreſſas enim noctuæ oleæque imagines arguere, teſtam hanc eo fuiſſe fictam, ut aut Athenas deveheretur, aut certe Attico mercatori deſtinaretur. Picturæ argumentum quidem non attigit, de dotibus tamen judicat. Comparandam haud eſſe nuptiis *Aldobrandinis*, picturæ, in paucis, quæ ſuperent, & in hominum elegantium notitiam pervenerint, vetuſtis, nondum de gradu, quem principem teneat, dejectæ. Neque optimis accenſendam eſſe hanc Herculanam, ſed neque ad deterrimas rejiciendam. Pictoris magis liberale ingenium, quam peritiam pingendi curamve, laudat. Colligi ex ea pictura & aliis quibusdam argumentis, veterum oculis multo, quam noſtris eſt, fuiſſe ſubtiliorem, magisque faſtidioſum, ſenſum. Nam picturarum veterum fundum fortes & obſcuros colores occupare. Parietes extimos Herculanarum ædium aut luteo obſcuro, aut nigro, aut ſpadiceo, tectorio incruſtatos fuiſſe deprehenſos. Itaque vim radiorum ſolarium, in album tectorium illiſorum, ferre eos haud valuiſſe. *Tabula LVI* aliam ex Herculano protrahit picturam, quæ *Cupidinem* currenti ſimilem exhibet in fundo nigro, quo colorum lumen creſcit. Laudat hoc fragmentum Autor, ut prius, a liberali penicilli moderatione. *Tab. LVII* in capite marmoreo Autor non tam admiratur artem, (exigua enim eſt,) quam notat oculos, in pupillam ſectos, & coloribus diſtinctos. Quod, ait, inſtitutum, quamvis abeat a communi veterum more, tamen non eſſe tam infrequens, ut exemplo careat; neque eſſe tam probabile, ut veteri mori, oculos cæcos relinquendi, præferri debeat. Nam, cum ex inſtituto artis ſtatuariæ a marmore colores adſcititii arcendi ſint, ſatius eſſe, ita fingi oculos, ut, habitum motumque illis ex arbitrio judicioque ſuo tribuere, liberum ſpectatori ſit. Notat in eodem vultu quoque nimium poliendo comparatum nitorem & lævitatem, quam in omnibus ſuis ſtatuis Græci, more haud probabili, affectaverint, ſtudio marmor ad eboris ſimili-

militudinem, quantum ejus fieri poſſet, admovendi. Eo autem perire carnis ſimilitudinem. Græcorum tandem ſignorum agmen claudit teſta, in inſula Chio reperta, magis a loco fabricæ & inventionis ad hanc claſſem a Noſtro relata, quam ob artem operis, quam in eo nullam Ill. Autor agnoſcit. Habet potius pro Romano opere, ruditate id ſuadente. Ut autem Romanus figulus in Græca inſula amphoram fingeret, ita conjicit factum fuiſſe. Inſulæ maris Ægæi celebre commercium in fictilibus exercebant. Subacta igitur Græcia ſub poteſtatem ſuam, rapientes ad ſe omnia Romani, unde lucrum exſpectari poſſet, figlinas quoque ſuas Græcis deſtructis ſurrogaſſe. Non minus viguiſſe in Hetruria quoque fictilium commercium; par propemodum illi, quod ab aliquot inde ſeculis Sinarum porcellanas exercet.

De Romanorum ſignis dicturus Ill. *Caylus*, primo loco cauſas indagat, quare illi Græcos in artibus non æquaverint. Dubium non eſſe, Romanos, ſi Regibus parere continuaſſent, a vicinia Etruſcorum, gentis eruditæ, tantum fuiſſe profecturos, ut & citius & præſtantiora ingenii in fingendo ſculpendoque, fundendo item & cælando, darent documenta. At eos, illectos divitiarum eſca & ſucceſſuum, pronos in ambitionem, & militiæ ſtudia, nullam rem, quæ ad acquirendas opes & orbis terrarum imperium non faceret, pro digna liberalis & ingenui hominis curis reputaſſe. Quo fuiſſe factum, ut, quamvis divites Corinthi & omnis Græciæ ſpoliis, neque tamen adſpectu operum tam perfectorum, quibus abundarent, ad imitationem moverentur; neque Græcos artifices liberalibus modis præmiisque ad excolendas artes excitarent, quos potius eo tantum alerent in familia, quo carius venderent. Igitur ſub *Auguſto* Imp. demum diſcebant Græcas artes ex vero æſtimare. Sed Græcis plerumque artificibus, Græcia & Aſia extractis, utebantur. Deſiit quoque paulo poſt hoc ſtudium, quod *Trajanus* & *Hadrianus*, & pauci aliquot ſimiles Imperatorum, recalfacere atque revocare nequidquam ſtudebant, ſubrepente ſenſim barbarie, & pereuntibus cum naſcente imperio Conſtantinopolitano bonis artibus; quo florente, jacuerunt, exciſo, redierunt

runt ad pristinam vitam & dignitatem. Constat ex his, Ill. *Caylum* tam non modice, sed humiliter contemtimque, de operibus Romanis, de quibus quidem sermo nobis est, sentire, ut, quicquid sordidum & inficetum hujus generis tractet, id Romano tribuat homini, eoque dignum existimet imperio.

A Romanis signis separare Gallica, quorum numerus in hanc Collectionem relatus fuit haud contemnendus, eorumque classem ideo noluit instituere peculiarem, quod eo tempore, quo illa signa aut efficta in Gallia, aut illuc illata, fuere, provincia illa Romana esset. Eruuntur in Gallia præsertim australi ejusmodi signa indies, dederuntque nuperrime intra triennium humo egesta quædam Nostro passim argumenta observationum elegantium; quarum paulo post partem repetemus. Prima quidem statua, quæ *Jovis* esse Nostro creditur, quo pertineat, ipse ambigit. Videtur ei operis lepos Græcam officinam prodere; vestitus tamen Gallicum hominem loquitur. Quo igitur ambobus faveat satisfaciatque, ita componit hanc pugnam, ut censeat, *Jovis* hanc statuam hominis Græci quidem manu exiisse, sed conducente Lugdunensi quodam. Eo enim in agro reperta fuit. Conspectui hunc *Jovem* (is enim creditur esse) *Tabula LVIII* offert. *Tabula LIX* habet achatem cum insculpta imagine fœminarum, sacrum facientium, quæ ipsa imago nequit e numo *Faustinæ* Imperatricis non excepta fuisse. Qui id factum, quæritur. Varias affert Autor conjecturas expediendæ quæstioni; quarum hæc ipsi prima subnata, sed repudiata eadem, fuit. Quando cudi numum jubebat Imperator, erant ex monetariorum partes, ut expressam cera imaginem rerum & sententiarum, numo incudendarum, ei exhiberent, eoque, arrideretne inventio, aut num quid mutatum mallet, explorarent. Horum aliquem fuisse, Noster aliquando sibi persuaserat, qui aut ostentationis ergo, aut gratiam domini captans, talem modulum non cera, sed nobiliore lapide, sculptum offerret. Ut autem recogitabat secum, gemmam tam alte, quam hæc incisa est, incidi intra annum non potuisse, alias rationes sentiebat sibi circumspiciendas esse, & ut probabiliorem hanc amplectebatur: jussisse

jussisse ipsos Principes in gemmas referri, ut quæque imago sibi in nummis arrisisset. Neque absurdum visum fuit, existimare, sculptores gemmarios ære periculoque suo in gemmis designasse exceptas e numis imagines, quas nossent publice placuisse, emtorum & lucri securos. Aut denique illis sculptoribus, qui novis confingendis imaginibus parum ingenio valerent, imitatione meliores, deberi, conjicit, illas gemmas, quarum argumenta e numis petita fuissent. *Tabulæ LX Figura 4* inter reliquas eminet, in achate exhibens aurigam Circensem cum palma & flagello, vectum curru, viginti equis juncto. Imaginem eam, credit Noster, alicujus Imperatoris esse, qui *Neronem*, ætate posterior, vanitate vincere studuerit. Legitur enim *Nero* currum, decem equis junctum, per circum egisse. Decurrunt hi omnes equi uno velut filo, claudentes alter alteri latera. *Tabula LXI* in *Fig. 1*, quamvis haud frequens sit, *Herculem* conspici gradientem clava humero nixa, magis tamen id rarum & observatione dignum est, auream hanc *Herculis* imaginem insertam apte cavatæ gemmæ fuisse. Constat quidem, veteres emblematibus ejusmodi delectatos fuisse; cum tamen facile imitatu, fraudique proinde obnoxium, hoc sit artificium, & aliæ huc accedant malæ fidei suspiciones, nolit Autor hujus quidem gemmæ causam dicendam in se suscipere. Eadem *Tabula* ficam æneam, ex America allatam, præstat, illi opinioni, quam Noster ad *Tab. XCIII* uberius exponet, stabiliendæ, veteres ænea magis, quam ferrea, usos fuisse supellectile, contra quam nos facimus. *Tabula LXII Figura 1* dat caput Philosophi, ut videtur. Amabant Romani talia capita in ædibus, bibliothecis, balneis, & ad fores, collocare. Quæ ad ostia starent, solebant gemina esse, quo & intrantes & exeuntes haberent, quod spectarent, aut mirarentur. Podia, quibus illa niterentur, hermas appellabant. Unde e. g. Hermathenæ, podia *Minervam* sustinentia. Amabant quoque agros, *Terminis* & *Mercuriis*, & signis aliis ejusmodi, per certa intervalla dispositis, distinctos, callentes & studiosi judicii oculorum. Quem Autor pro *Baccho*, aut *Fauno*, accipit in *Tab. LXIV*, aut certe pro sacrificante, ille potius unus

de

de illo palæstritarum genere videtur esse, qui halteribus corpus exercebant. *Tabula LXV Figuram 1*, perhibet Autor, *Claudii* imaginem esse, sed imperio nondum admoti. Deest enim capiti diadema. *Tabula LVI* pæne omnia sunt haud vulgaria. Primus *Telesphorus*, *Æsculapii* filius, numen eorum, qui cum bona valetudine in gratiam redirent. Tum smaragdus, disco similis, velut pantheum, Romanis Ægyptiisque numinibus insignitum. Postremo loco anguium æneorum par, mire volumina implicantium; quos pro ansa vasis olim serviisse putat Autor, forte aliis frænum equestre videantur olim fuisse. *Tabulam LXVII* implet caput abnormis molis & crudæ artis, quod olim pro marmorea imagine capitis *Pompeji M.*, quale *Julio Cæsari*, in Ægyptum venienti, ab *Achilla* oblatum fuit, ab Italis habitum fuisse, testatur, ni fucum fecerit, *Octavius Mundellus* gemina inscriptione Latina, quam utramque Noster reddidit, prorsa unam, alteram carmine exaratam, qua *Carolo Emanueli*, Duci tum Sabaudiæ, tanti pretii monumentum dono offert, quod ambitiose petentibus aliis summis viris, fervideque præstinantibus, se negasse, ait, reservandum ipsi, soli digno. Noster autem impostorem arguit. Fuisse enim exeunte Seculo XV Florentiæ artifices, qui monstrosis gigantum capitibus elaborandis quæstum facerent. *Tabula LXIX* refert *Sabinam* Imperatricem sub habitu *Cereris* in marmore; quo habitu non raro in numis conspicitur, ob largitionem frumentariam in annonæ angustiis plebi cara. Sed miratur Autor in hac composita, aut conjuge, statua (*Gruppos* appellant Itali) puellum, fœminæ additum, quam *Hadriano* Imp. prolem non dedisse, constat. Ni itaque ille Genius sit, credi posse, ait Autor, marmor hoc tum temporis fuisse cæsum, cum spes & vota publica Lucinam ipsi propitiam addicerent. Non erunt multi, quibus histrio, in *Tab. LXX n. 2* expressus, mores peregrinos & recentius ævum sapere non videatur, vestitus braccis, ad malleos pæne pedum excurrentibus. Quem habitum Romana ignorat antiquitas. Existimat tamen Noster, antiquitati & integritati æris sui id non officere. Affectasse enim histriones veteres omne vestitus genus, quo sibi viderentur

tur, risum spectantibus moturi. Quibus addimus, hosas illas, (sic enim & nos hodie appellamus, & Latini Graecique medii aevi dicebant,) non tantum illo, quod appellant, medio aevo *τυβίων* nomine & usu venisse Constantinopoli, teste *Constantini Porphyrogenneta Cerimoniali Byzantino*, sed etiam cum Dacis Gothisque in Romanum orbem jam Seculo post C. N. secundo exeunte immigrasse, quod ex *Herodiano* evinci potest. In *Tabula LXXII* vides protomen foeminae, cujus capillitium, quod in fronte nonnihil velut in cornua duo assurgit, fefellit Autorem, ut pro *Fauna* haberet. In *Figura 1* quoque *Tabulae LXXIII* interpretanda credimus fore, qui ab eo discedant. Ipse virum pro agitatore Circensi habet, quem ait cingulo triplici propterea corpus adstrinxisse, quo valeret valide motum incitato curru aerem, ideoque obsistentem & secantem veluti, ferre & perrumpere. Quid si palaestrita fuerit, qui, quo spiritum & nixum corporis in altum subsultusque suos adjuvaret laterum firmitate, regeretque, & in aequilibrio teneret, gemino loro pectus & ventrem munierit? In humeris quidem laminae plumbeae perspicue patent oculis; latent, sed non obscure, in ambabus manibus. *Tabulam LXXIV* una imago, sed quater, diverso identidem situ, iterata implet, in qua servum vinitorem sibi visus fuit Autor agnoscere. Calathus haud latet, aut simile quid calatho, capite nixum; falx dubie cernitur. Habitus totus aeris *Isidem*, Ægyptiacum certe aliquid, prodit. Fuit olim *στομίον*, aut sipho, aquam ejaculans. Pertusus est, ore inferiore eam ad superius habente rationem, quam numerus 17 ad numerum 5. Ansa instructus fuit gemina, qua verti, quo liberet, posset, quod forte fiebat, si fonticulum obturatum vellent. *Tabula LXXIX* exhibet Ægypto extractum fragmentum veteris picturae encausticae, (*Email* appellat Noster,) aureis bracteolis inductum, unde magnificentiam interiorum aedium Romanarum aestimes. Eodem modo cum monstret formatam *Victoriam*, atque ea solet in numis *Septimii Severi* Imperatoris esse, conjectura fit, picturam hanc illius aevo deberi. In qua duo praecipua sunt, quae animum Autoris feriere, constantia colorum, adhuc hodie satis

 arden-

ardentium, quamvis de vero pristino lumine multum, ut tot seculorum decursu, decesserit; & tum modus inaurandi, absque igni, sic tamen, ut de auro nil pereat detrimento. Digna, quæ afferantur, ejus verba existimamus. Sunt nempe hæc. Veteres, ait, multis utebantur liquoribus viscidis, aut glutinosis, irretire, quicquid leve comprehendant, & appingere aptis, (*mordants* appellat) gummatibus resinis, vernice, sandaraca, terebinthina, mastiche, & ceteris, quorum materiam præbent olea pinguia, ad aerem siccescentia, item resinæ liquidæ, aut diluendæ, quo penicillo obsequantur. Superficies corporis, cujuscunque generis, cui inducendum aut aurum, aut color, esset, crusta pertenui, sed æquabili, liquoris talis linebatur. At constantia colorum non tali cuidam liquori, sed ipsi eorum materiæ, debetur, quæ ipsos adversus aeris injurias tuebatur, easque sua soliditate vincebat. Aurum nempe corrodi & deteri facile nequit, præsertim si satis spisse illitum fuerit. Quod fiebat aut auro foliato liquori adhuc liquido insternendo, aut ejus pulvere ope penicilli cum liquore viscido commiscendo. Posteriori tamen hoc modo peribat de auri splendore multum, obtuso & veluti absorpto. Colores duo reliqui fragmenti, de quo sermo est, cæruleus & ruber, metallicæ originis sunt, & ille quidem e lapide Armeno, seu Lazuli, hic e cinnabari, factus. Sunt igitur ambo corpora dura, injuriis aeris humidi & varii haud cedentia, præsertim in cœlo tam calido & sicco, quam est Romanum, & idem pæne caloris gradu, Ægyptium. Quodsi nostræ inaurationes citius fatiscunt, non id glutinis variis generibus, usu nostro frequentatis, sed humido aeri, tum tempestatum subitis crebrisque vicibus, item levi & defunctoriæ operæ, perfidiæ quoque aurifabrorum, bracteolis nimis tenuibus utentium, fragilitati denique & mollitiei corporum, debetur, quæ deaurare & pingere solemus.

Hæc ille. *Tabula LXXXI* circulum ferreum dat, e quo circelli ænei octo dependent. Ludus erat puerilis, talem circulum baculo coram se agere, a quo se etiam ætate provectiores in palæstris haud abstinebant, qui simul animum oblectare, & corpus exercere, eique aut conservare bonam valetudinem,

nem, aut reddere, vellent. Negat tamen Noster, fieri potuisse, ut circulus ferreus per solum ageretur, circellis æneis identidem delabentibus, & illum evertentibus. Quod dici nequit specie carere; abest tamen a vero, & a claris Autorum testimoniis, *Apollonii Rhodii Libro III* maxime, refutatur. Ipse quidem duo genera exercitandorum talium circulorum, duoque diversa nomina, statuit, subtiliter satis, si satis vere. Κρίκον, existimat, fuisse ferreum circulum cum appensis circellis aliquot æneis, qui sublimis super capite e baculo agitaretur, eamque fuisse τὴν κρικελασίαν. At τρόχον fuisse rotam ferream absque circellis tintinnalibusque, quam homo coram se baculo per æquum solum ageret, eamque τροχηλασίαν. *Pag.* 204 non in vulgus nota narrat Autor de figulinis officinis, exeunte Seculo XV apud Urbinum & Faventiam (*Faënza* est Italis) institutis, e quibus pictum illud testarum genus, quod *Fayence* a solo natali dicitur, prodiit. Celebres illæ sunt testæ a picturis, quas non ipse *Raphael Urbinas*, quod falsi quidam perhibuerunt, sed grex ejus, suggessit. Cur diu famam tueri nequiret hoc institutum, causa fuit præcipua, porcellanarum Sinensium copia, quam Lusitanæ naves in Europam invectabant. *Tabula LXXXVI* tenet tabulam Ægyptiacam, quæ, quod rudius excusa fuerit, eoque merito ad sequiora tempora referatur, videtur Nostro *Julianum* Imperatorem sub *Osiridis* specie exhibere, junctamque ipsi *Isidem*, nullo alio argumento, quam infami Apostatæ studio, exactam orbe Romano superstitionem cum omnem, tum Ægyptiacam quoque, revocandi. Præter *Isiacam* illam tabulam, ibidem conspicitur gemma anaglypha contorniata (*cameo contorniato*). Sic appellare Nostro grandem gemmam placuit, quæ aurigam circensem monstraret, eodem prorsus modo, quo numi, contorniatorum nomine celebres. Gemma, quam enarramus, *Neronem* ostendit, quadrigis vectum, tenentem dextra mappam Consularem, sinistra sceptrum cum insidente aquila. Quæ imago seculum *Neroniano* multo recentius prodit. Prodit quoque inscriptio ΝΕΡUΝ ΑΓΟΥϹΤЄ, in qua cum desideres, & omissum mireris, verbum Νίκα, aut Τὺμβικας, *vince*, aut *tu*

vineas, tum exſtantia duo deterioris ævi obſerves veſtigia, quorum Νέρων pro Νέρων unum eſt, alterum Ἀγυςτε pro Αυγυςε, poſtremum U, litera Latina, Græcis admixta. Quem morem decimo & vicinis ultro citroque Seculis viguiſſe, ut ex aliis argumentis, ita e membranis quoque Lipſienſibus *Conſtantini Porphyrogenneti*, nuper in hac urbe editi, conſtat; ut e. c. e *pag.* 235 *Cap.* 3, ubi APMATUS legitur pro ἀρμάτυς. *Tabulam XC* illuſtrat Autor pari ſcitarum obſervationum. Primo enim loco de formula, *ſub aſcia dedicare*, diſputat; tum de inſcriptionibus pyxidum, in quibus Medici veteres collyria ſua ſervabant. Non attingit quidem tot numero, quot ediderunt viri docti, & multum diverſas, de ſignificatione vocabuli *aſcia* in iſta formula ſententias. Quam vero ipſe promit, eam ut æſtimare queant eruditi, faciemus. Eccam. Credit, ea ſe *Tabula*, quam edidimus, imaginem aſciæ geminam *num.* 3 dare, alio nempe poſitu aliter apparentis. Inſtrumentum igitur hoc credit cædendis & amovendis ex agro, in quo ſepulchrum eſſet condendum, vepribus & urticis. Quæ res cum eſſet omnium earum prima, absque quibus dedicatio tumuli nulla eſſet, eo credit factum, ut, quæ ſepulcra vellent veteres ſignificare rite dedicata fuiſſe, (non enim dedicabantur rite conceptisque verbis omnia,) ea monerent ſub aſcia dedicata fuiſſe, hoc eſt, in iis condendis uſu veniſſe aſciam, quæ ſolum a ſordibus purgaret. Pyxidis collyriariæ, quam Autor e forulis ſuis de promtam eadem in ænea *Tabula XC* oculis ſubjicit, hæc eſt inſcriptio. Quatuor pyxidis laterum uni hæc inſunt verba: *Lenem ad impetum;* ſecundo hæc: *ad caliginem;* tertio ea: *poſt impetum;* quarto tandem: *ad aſpritudinem.* Quæ vocabula, Medicorum ſcholis propria, quid ſibi velint, cum exponit Autor, ſimul quoque, quotquot reperire potuit ſparſas per antiquariorum volumina ejusmodi inſcriptiones, congeſſit & reddidit, cum brevi expoſitione. In quibus mireris & rideas haud pauca, quæ fidem faciant, iisdem artibus veteres quoque circumforaneos, quibus noſtrates, plebeculam exſternaſſe & captaſſe. Sunt enim iſta veterum collyriorum nomina plane ad ſtuporem horroremque incutiendum compoſi-

ta.

ta. *Tabula XCIII* dat imaginem ſpiculi ænei, ſagittæ præfixi. Unde anſam ſumit Autor demonſtrandi, veteribus æs in armis & domeſtica ſupellectile multo, quam ferrum, fuiſſe uſitatius. Ære fieri conſueviſſe gladios, ſagittas, haſtas, cultros, cyathos, & talia. Noviſſe veteres artem æris eodem modo tractandi, temperandi, molliendi, ſolidandi, acuendi, excudendi, atque nos ferri novimus. Verba Chymici affert, quibus docetur, quomodo reparari hæc deperdita tractandi æris ſcientia queat. Americanas quoque gentes, non ſolos Græcos Romanosve, æris uſum ferro præhabuiſſe, monſtrat exemplo cultri ſemicircularis, quo trucidari olera in culinis ſolent; cujusque ad *Tabulam LXI* jam meminimus. Unde conficit Autor, aut copioſius olim æs ferro in poteſtate commerciisque hominum & fodinis fuiſſe, aut ſeculo tandem labentis imperii Romani homines in tractandi ferri peritiam, neque citius, incidiſſe. Continuat in eodem argumento *Tabulam XCVI*, quæ cultrum, vel, ſi malis, ſeceſpitam, æneam oſtendit; & ad *Tabulam XCIX*, in qua urceum æneum habes, bibendo, aut ſervando potui, ut videtur, deſtinatum, ſed ſtanno haud munitum. Non latuiſſe vetuſtos homines neque virus æris, neque arcendi ejus rationem, quæ in cruſta ſtannea æri induenda ſita eſt, e *Plinio* intelligitur. Mireris tamen, in tantis copiis vetuſtæ ſuppellectilis æneæ vel integerrimæ, ad noſtram ætatem transmiſſæ, ne unum quidem vas æneum ſtanno munitum ſupereſſe. Nuper tantum *Herculani* ruderibus egeſta fuiſſe aliquot ænea vaſa, quorum auro & argento eſſet oblita facies interior, luxus indicio. Ad *Tabulam CIII* inquirit Autor in cauſas, quare nos rarius vitreis utamur vaſis, quibus Romani uterentur creberrime. Præter fragilitatem, confert cauſam in porcellanarum Sinenſium copiam & vilitatem, teſtarumque illarum, quas paulo ante de Faventia, Italiæ urbe, *Fayence* appellari monuimus. Iisdem quoque cauſis tribuit, quod vitra noſtra Romanis minus robuſta ſint. Gliſcente enim uſu hinc Sinenſium teſtarum, illinc Faventinarum, vitriarios eo fuiſſe adactos neceſſitatis, ut aut officinas ſuas dereſerent, clauderentque, aut promtiorem ex-

cogitarent, & minus sumtuosam, vitri conficiendi rationem. Igitur excogitasse illam ἐγχείρησιν, quæ *ponty* Gallo-Francis appellatur. Jubet ea ratio fistulam vitro calenti inserere, & spiritu vas formare. Locus ille, cui admota fistula fuit, tenuior reliqua massa fit & fragilior. At, Romanos alio modo formasse vitrum, quem ante hos triginta ferme annos in Germania restitutum,ait Autor,se accepisse; eum vero modum, quamvis operosior atque lentior sit, majorem tamen vitro firmitatem & æqualem per omnes partes conciliare. Hinc quoque esse quadrata vitra, Romanis multum usitata. Ad sepulcrales urnas,quarum eadem *Tabula* specimina monstrat,observat Autor, earum, quæ Gallico e solo egerantur, multas indutas involucris plumbeis esse, titulo & ornatu omni nudis, eo solum modo factis, quo adversus illisiones rerum durarum perdurarunt. *Tabula CV* rara & scita nonnulla præstat. In quibus primum est cuneus, seu typus, monetarius æneus, *Cæsaris Augusti* præferens imaginem. Egestus in agro Arecomico, seu Nismensi fuerat cum pari suo. Sed alter, torculari monetario (*balancier* appellant) subjectus, impar tanto ponderi, comminutus periit. E scobe, chymicis periculis explorata, didicit Autor, massam istius cunei conflatam fuisse ære, zinco semimetallo, stanno, & plumbo; indeque argumento novo superius allegatam opinionem stabilitum it, frequentiore in usu veteribus æs, quam ferrum, fuisse; hoc, ferrum puta, sequioribus demum seculis in usum vocari cœpisse. Cuneum monetarium *Constantini M.* ferreum adhuc superstitem id testari. Adhuc majore dignum animadversione est illa veluti strues atque compages formarum lignearum, quæ numis non cusis, sed fusis, imagines atque inscriptiones non incudebat, sed imprimebat. Cujus compagis quæ sit ratio, ut verbis planum atque perspicuum faciamus, connitemur. Finge tibi minutam taleolam ligneam, utrinque insculptis imaginibus & literis signatam. Finge alteram similem & æqualem. Finge, aversam hujus ad illius adversam pertinere, sic, ut illa, cum hac composita, utramque veluti paginam, aut faciem, numi conficiat; singulæ imperfectæ sint absque altera. Tales tibi finge plu-

plures ligneas, aut argilla factas, taleas, discosve, diversis omnes figuris & vocibus insculptos, quorum singuli adversos alius numi vultus, & iidem alius aversas, præstent. Tandem tibi finge incisos meatus pertenues, per quos liquidum metallum se penetret, insculptas taleolis imagines vocesque accepturum. Hanc quidem, de qua nobis sermo nunc est, struem argillacei tales disculi conficiunt, signati typis numorum, sub *Caracalla* & *Geta* editorum. Gerunt enim & *Juliæ Domnæ*, matris, & *Juliæ Mæsæ*, quæ Augustæ titulo cohonestatur, nomina, ut ex ænea eadem Tabula patet, ubi sculpti & expressi habentur. Unde colligit Autor, *Juliam Mæsam* sub *Septimio Severo* jam, aut *Caracalla* certe, nuncupatam Augustam fuisse, dissentiens a vulgari opinione, quæ censet, *Heliogabalum* primum aviæ honorem illius tituli detulisse. Ducit hæc disputatio ad indagandum usum talium modulorum ligneorum, aut argillaceorum. Fuerunt in antiquariis *Le Pois*, *Savot*, & alii, qui sibi persuaderent, Romanos, antequam numos ope mallei cuneo monetario incuderent, liquatum argentum in tales, quales descripsimus, disculos infudisse, quo rotundam formam, & aliqualem imaginem inscriptionumque umbram, acciperent; his deinceps clarius altiusque excudendis adhibitum cuneum cum malleo fuisse. Refutavit eam opinionem Clariss. *Mabudel*, negans, numos fusos unquam e legitimis monetis prodiisse, & asserens contra, eos monetæ adulteratorum opus esse. Neutros assensum mereri, existimans Noster, potius pertendit, non solum cusos numos in legitimis populi Romani monetis, sed fusos quoque, fuisse, locumque in illis non ferreos tantum cuneos, sed modulos quoque fragilioris materiæ, habuisse. Ante *Septimium Severum* Imp. tamen fusos nusquam observari. Post eum usque ad *Diocletianum* occurrere quamplurimos. Cujus rei causam fuisse immanem numerum tyrannorum brevis ævi potentiæque, qui rempublicam tunc lacerabant, ex omni pæne angulo prodeuntes, & citius pæne pereuntes, quam nascerentur, seges Spartorum. Talium tyrannorum, & legionum, a quibus eorum quique fortunæ suæ & adversarii objicerentur, interfuisse

mul-

multum, quantocyus nomen ipsorum in numis legi. Non suffecturum fuisse breve aliquot mensium, quin dierum, spatium, quod in usurpatione nominis imperatorii quidam istorum regulorum exegerint, insculpendis in cuneos monetarios eorum nominibus, nedum procudendis tot numis, quot eorum supersunt. Argilla vero, aut ligno, sculpendis numorum modulis diem biduumve sufficere, præsertim si duo socient operam, unus aversæ parti formandæ, alter adversæ; denique si literæ non insculperentur argillæ, sed paratæ jam, & in promtu positæ, literarum ferreæ formæ, quales nostris Codicibus excudendis adhibemus, infigerentur. Alia ratione gestam si tibi fingas rem, nullam te posse allegare rationem, quare literæ persæpe inversæ in numis ejusmodi, fusis puta, conspiciantur. Interrogationi, quæ labefactare speciosam hanc disputationem videatur posse, quare nempe plures non occurrant numi, quos e certis fusionis indiciis deprehendas cusos non fuisse, si quidem legitimarum officinarum opus, non adulteratorum, fusi numi fuerint. Huic itaque dubio hæc obmovet Noster: de signis fusi numi multum longo temporis tractu decedere. Sunt ea signa, præter ponderis levitatem, scabrities superficiei, nodulus in ambitu, index & cicatrix veluti crenæ, per quam infusum metallum manavit, bullulæ, quales metallum bulliens relinquit. Tritu digitorum lævigari faciem numi inæqualem, & tuberosam velut oram; multumque numos eorundem ævi sequioris & Imperatorum & signorum unos alteris pondere differre. *Tabula CVI* ponit fragmentum musæi, aut musivi, operis, floribus pictum; quod quanti constiterit temporis operæque, ex eo æstimes, quod narrat Autor, unicum pollicem quadratum tenere centum quadraginta quatuor lapillos coloratos. Quæ ad hanc & proximam deinceps *Tabulam CVII*, quæ hujus Operis postrema est, de arte veterum vitriaria, & vitrum colorandi, eoque colorato pingendi, scita multa & abstrusa promit; utinam nos quidem artium veterum scientia atque usu valeremus satis ad ea perfecte perspicueque dignisque modis reddenda. Sed intelligimus, & hujus loci rationem, & argumenti cum difficultatem, tum copiam, velle, ut aman-

amantes cupidosque harum elegantiarum ad uberrimum fontem delegemus.

JOANNIS HEUMANNI, JUR. PROFESSORIS IN ACAdemia Altorfina, Commentarii de re diplomatica Imperatorum ac Regum Germanorum, inde a Ludovici Germanici temporibus adornati.

Tomus II.

Norimbergæ, fumtibus Joannis Georgii Lochneri, 1753, 4. Alph. 2 plag. 12, cum Tabb. æn. 4.

Quanta cura, diligentia, atque doctrina, Celeberrimus *Heumannus*, Academiæ Altorfinæ pariter, ac universi orbis literati, decus præcipuum, rem diplomaticam Imperatorum Regumque Germaniæ explicare cœperit, satis superque a nobis dictum est tum, cum in *Novis* hisce *Actis Eruditorum Mense Februario A. 1748 pag. 76*, *priorem* hujus libri *Tomum* enarrando, totius instituti rationem exposuimus. Cumque hoc ipsum laboris *Heumanniani* specimen, de cujus pretio eodem tempore disputavimus, non sine applausu eruditorum fuerit exceptum; rem Lectoribus gratissimam facturos nos, speramus, *alterius* jam *Tomi*, qui rem diplomaticam *Ludovici Germanici*, ejusdemque filiorum, *Carolomanni* & *Ludovici* junioris, eadem ratione pertractat, contenta more nostro exhibendo. De Diplomatibus nempe *Ludovici Germanici* primo loco verba faciens Noster, invocationem nominis divini, diversis formulis conceptam, in fronte Diplomatum *Ludovici* comparere, & *Hludovicum* in chartis plerumque scribi, observat. Ab *Adamo Bremensi Cæsaris* elogio mactatur *Ludovicus*, ab aliis inter *Augustos* refertur, quod ex familia Augusta prodierat. *Regis* tamen compellatio frequentissima est. Formas dicendi, quibus in promulgandis edictis usus est ille Princeps, Cel. Autor apponit varias. Quando de se ipso, tanquam de pluribus, Rex loquitur, tunc *excellentiæ*, *serenitatis*, *clementiæ*,

mansuetudinis, *celsitudinis*, elogia sibi tribuit. Patris, antecessorum, & agnatorum, summo cum honore meminit. Episcopi, *venerabiles*, Duces & Comites, *illustres*, *fideles*, & *nobiles*, in chartis *Ludovici* appellantur. Jura circa sacra Principem hunc strenue exercuisse, Concilia subinde convocasse, & de causis ecclesiasticis judicasse, documenta plurima, maximi certe facienda, quæ Cel. Autor in medium protulit, indicant.
Pag. 6. Advocatiam Ecclesiæ Romanæ *Ludovicum* nostrum conjunctim cum fratribus suis exercuisse, ac Pontificem Rom. majestatem ejus comiter esse veneratum, Cel. Autor, præsidio tabularum instructus, evincit. Episcopos nunquam sine permissu Regis fuisse constitutos, &, quamvis sacra quædam collegia libera Episcopi, vel Abbatis, eligendi facultate fruerentur, eam tamen a Rege pependisse, qui electionem plerumque ita sit moderatus, ne quis se invito ad dignitates majores
26. bularum instructus, evincit.

30. adscenderet, Cel. Autor observat. *Rembertum*, Archiepiscopum Hamburgensem & Bremensem, per baculum a *Ludovico*
31. fuisse investitum, nos docet. Liberalitatem ejus in Clericos & monasteria multis exemplis declarat. Venditiones ac permutationes fundorum ecclesiasticorum nunquam sine ejus
39. consensu perfici poterant. Antistitum sacrorum controversias sub auspiciis *Ludovici* fuisse diremtas, Cel. Autor e ta-
48 seq. bulis, ideo adductis, monstrat. Jus eligendi Abbatis, quo monasteria tunc temporis gaudebant, a privilegio Regis profectum esse, documenta allata comprobant. Terras, *Ludovico* subjectas, Cel. Autor, quanta fieri potest cura, edisserit, quamvis, eam, quæ hodie in regnorum terminis constituendis ad-
50. hibetur, *ἀκρίβειαν* frustra hic postulari, urgeat. Provincias, *Ludovico* parentes, in *pagos* fuisse distributas, quibus Duces, aut Comites, præessent, observat. Pagi majores continebant minores, sive *pagellos*, ac plures comitatus. Pagis quibusque suæ assignabantur villæ & loca. *Marca* non unius est significationis, cum nonnunquam limites regni denotet, unde *Marchiones*, sive *Duces*, vel *Comites limitum*, nomen sortiuntur, nonnunquam villarum tractum, sive territorium, significet. Ut regnum *Ludovici* in Tabulis geographicis ab homine harum

rerum

rerum perito exhibeatur, Cel. Autor optat. Pagos dein regni *Ludoviciani*, una cum villis & locis, ad eos pertinentibus, idem recenset, ita tamen, ut temporum, quæ illustranda sibi sumsit, spatium non egrediatur, ac lectoribus, ampliorem horum pagorum notitiam desiderantibus, varios libros, hoc argumentum pertractantes, commendat. Res gestas postea *Ludovici*, quantum operis ratio postulavit, delineat, neque lites ejus, cum fratribus agitatas, & prælii Fontanidici historiam, tacet. De pactis vero, *Ludovicum* inter & fratres initis, potissimum est sollicitus. Quid cum filiis *Ludovici* acciderit, sollicite idem exponit. Quæ fuerint tunc temporis *Comitum, Judicum villarum regiarum*, ac *Missorum*, officia, nos docet. Cum, Slavicas quoque gentes *Ludovici* imperio fuisse subjectas, Cel. Autor moneat, easdemque parum obedientes, jussibusque suis continuo reluctantes, expertum fuisse, narret, ea etiam, quæ cum perfida ista natione gessit *Ludovicus*, exponit. Res gestas ejusdem Principis contra Normannos & Danos non silet. De ordine succedendi, nec non præcipuis muneribus, in aula *Ludovici* introductis, deque potestate & juribus regiis, Cel. Autor dein disputat, Ducis & Comitis vocabula promiscue sæpius ab historiarum scriptoribus usurpari, nec ambo munera multum inter se discrepasse, pronuntians. Nomina quoque Ducum & Comitum regni *Ludoviciani*, tabularum subsidio instructus, exhibet, quamvis, neutiquam se omnes, qui tunc vixerunt, proceres in scenam hic producere, sed specimen duntaxat istius laboris iis exhibere, quos majora hoc in genere conari juvat, profiteatur. Exemplum placiti, in comitiis confecti, Cel. Autor affert. De legibus nempe, bello, pace, fœderibus, litibusque gravioribus, in publicis hisce conventibus, sub moderamine tamen Regis, penes quem summa erat autoritas, actum fuisse, pronuntiat. Statum juris Germanici privati, qualis *Ludovici* tempore fuerit, quatenus e monumentis publicis cognosci potuit, describit. Doctrinam postea *Ludovici*, ejusque erga bonas literas favorem, prædicat. De viris doctis, qui eo tempore floruerunt, inprimisque *Rabano Mauro*, disserit. Specimen quoque Poeseos theotiscæ

Pag. 111. 112. 131. 132. 149. 151. 160. 162. 164. 171. 177. 186.

Pag. 181. *Otfridi* monachi apponit. Nullum bonarum artium genus hoc tempore omnino neglectum fuisse, observat, &, istas quidem disciplinas, quæ ingenio potissimum nituntur, præ
190. aliis floruisse, monet. Επινίκιον illud, Francico sermone in *Ludovici* Regis honorem confectum, quod *Schilterus* illustravit, ad *Ludovicum* Gallicum, seu *Ludovici Balbi* filium, potiori
191. jure, quam ad Germanicum *Ludovicum*, referri, censet. Clausulis variis præcepta sua munire consuevit *Ludovicus*. Munificentiæ regiæ nullam aliam mercedem, quam ut cœtus sacri pro sua & familiæ salute preces funderent, postulavit, cujus
192. rei varias Cel. Autor formulas apponit. De subscriptione & subsignatione chartarum *Ludovici* idem differit. Monogrammata hujus Principis monogrammatibus *Ludovici Pii* simillima
193. ma esse, adversus *Conringium* evincit. Archicancellarios, qui Diplomata Regum subscriptione sua roborabant, uno eodem-
194. que tempore fuisse plures, qua de re *Eccardus* dubitaverat, pro certo sumit, variosque huic muneri a *Ludovico* Germani-
195. co admotos, edifferit. De sigillis regiis, quibus *Ludovici* chartæ insigniuntur, varia notatu digna, quibus ea, quæ *Heineccius* quondam hac de re observavit, vel confirmantur, vel
199. emendantur, profert in medium. Notas chronicas, in *Ludovici Germanici* chartis vehementer turbatas, inter se conciliare omni studio laborat, variasque istius Principis epochas ideo constituit. Plurimæ ex *Ludovici* tabulis temporum injuria perierunt, quarum tamen memoriam, ac potiora earum con-
216. tenta, quantum fieri potuit, ex scriptoribus istius ævi Cel. Autor restituit, quamvis, integra etiam Diplomata quædam *Ludovici* in illam classem eum redegisse, deprehendamus. Tabulæ postea dubiæ fidei in scenam prodeunt, ubi Cel. Autor si-
222. gna νοθείας singulari cum acumine indicat. Familiam *Ludovici Germanici* e tabulis ævi istius optime cognosci, variaque, in libellis genealogicis omissa, ope tabularum suppleri posse, demonstrat. Ad rem diplomaticam filiorum *Ludovici* postea delatus, de *Carolomanni* tabulis primo loco disputat. Formula auspicalis: *In nomine sanctæ & individuæ trinitatis*, adeo constanter in illis usurpatur, ut ne quidem chartæ,

tæ, quæ a regulis paululum recedunt, illam deserant. Titulus, iisdem præpositus, *Karlomannus divina favente gratia Rex*, est frequentissimus. Exordia tabularum, quibus loca, divino cultui destinata, variis afficiuntur beneficiis, a spe remunerationis æternæ repetuntur. Formulæ promulgationis, ac Pag. 242
verba honorifica, quibus pater, conjux, & agnati, hujus Principis ornantur, in Diplomatibus variant. Episcopos a *Carolomanno* fuisse constitutos, exemplo *Gosperti*, Antistitis Vercellensis, liquet, qui, prout ex Epistola *Joannis VIII*, a Cel. Autore exhibita, intelligitur, intercedente & commendante Ponti- 249.
fice, huic sedi a Rege admotus est. Antiqua ecclesiarum jura *Carolomannum* confirmasse, & nova iisdem addidisse, documenta, hic allata, comprobant, quæ itidem summam ejus erga monasteria liberalitatem loquuntur, quorum quippe juri- 251.
bus usque adeo invigilavit, ut ne quidem permutationes fundorum inter pias causas injussu ejus fierent. Regiones, 264.
quæ in regni paterni divisione *Carolomanno* cesserunt, Cel. Autor postea exponit, res gestas istius Principis delineans, ac turbas Italicas præcipue edisserens. Emolumenta fisci Ecclesiis sub- 269.
inde Principem hunc concessisse, Diplomatum ope evincit. *Variis minis* violatores præceptorum suorum terrere solitus est *Carolomannus*. Pro beneficiis, in collegia religiosa collatis, ritu antiquo preces piorum postulat. In calce ejus ta- 274.
bularum subscriptionis & annuli mentio injicitur. Vocem *sigillare* in hujus periodi Diplomatibus frequenter occurrere, Cel. Autor monet. Subscriptio Regis his frequentissime verbis absolvitur: *Signum Domini Karlomanni, Serenissimi Regis*. Duplici monogrammate usum esse hunc Principem, 275.
Cel. Autor, *Muratorium* secutus, observat, cujus quoque figuram sollicite describit, & æri incisam exhibet. *Theotmarum*, Archicapellanum, & Archiepiscopum Juvaviensem, tanquam Archicancellarium unicum & perpetuum, tabulas *Carolomanni* recognovisse, eoque fortassis absente, aut impedito, *Waldonem*, Cancellarium, vices ejusdem in se recepisse, ostendit. Figu- 278.
ras sigillorum, hisce tabulis impressorum, evulgatas non esse, ac adeo penitus ignorari, queritur. Notas temporis in *Caro-* 279.

lomanni Diplomatibus ad duas dirigi epochas, quarum altera a *Ludovici Germanici* morte, altera ab initiis regni Italici, decurrat, nos docet. Dubiæ tandem fidei tabulas iſtius Principis
Pag. 282. ediſſerit. De familia ejus nonnulla adjungens Autor, uxoris legitimæ nomen in monumentis taceri, & confidenter nimis ac ſine fundamento *Hildegardem* eam a recentioribus quibusdam nuncupari, contendit. *Erneſtum* vero Ducem *Carolomanni* ſocerum fuiſſe, pro certo ſumit. Concubinam, ex qua *Arnul-*
287. *phus* eſt progenitus, *Litewindam* fuiſſe dictam, docet. *Ludovicus* junior, cujus jam ſequuntur Diplomata, formulam voti initialis: *In nomine ſanctæ & individuæ trinitatis*, retinuit. Inſcriptio eadem cum paterna eſt: *Hludovicus divina favente gratia Rex.* Rerum geſtarum commentarii *Ludovicum* hunc *juniorem* appellant, ut a patre *Ludovico, ſeniore*, diſcernatur. Poſt patris vero obitum, *Rex Germaniæ* dicitur, quanquam curiæ ſtilus *Franciæ orientalis Regem* unice *Ludovicum*
288. compellet. Genus & forma dicendi, quæ in iſtius Principis Diplomatibus regnat, cum ſtilo tabularum, de quibus jam di-
289. ctum eſt, maximam partem congruit. Quanquam vero e diplomaticis *Ludovici* monumentis non adeo multum ad noſtram ætatem pervenerit, nihilo minus tamen, rem ſacram pariter ac publicam maximæ eidem curæ fuiſſe, ex illis intelligi, & adhuc magis e rerum geſtarum commentariis hoc apparere, Cel. Autor pronuntiat. Quæ adeo eum inter & Pon-
290. tificem *Joannem VIII* acta fuerint, exponit. Munificentiam
291. ejus erga loca Deo dicata multis exemplis declarat. *Caroli*
298. *Calvi* poſtea conatus, qui regno *Ludovici* noſtri inhiabat, de-
301. ſcribit. Quomodo Slavos, qui *Linones* & *Siusli* vocantur, defectionem molientes, *Ludovicus* compeſcuerit, narrat. De pace, noſtrum inter & *Ludovicum Balbum* Furonis inita, diſputat. Terras, quæ regno Germanico tunc temporis acceſſe-
305. runt, *Eccardum* ſecutus, enumerat. Quid in Saxonia cum Normannis acciderit, nec non turbas, a *Boſone* motas, refert.
307. Autoritatem procerum regni tunc temporis plurimum valuiſſe, oſtendit. Diplomata *Ludovici* annulo Principis ſignari ſueviſſe, narrat. Subſcriptiones & monogrammata ejus cum paternis

ternis fere conveniunt. *Luitbertus*, Archiepiscopus Moguntinus, Archicancellarii munere, quod sub *Ludovico Germanico* gesserat, fungi hoc sub Principe perrexit, quamvis *Heberhardus*, vel *Geberhardus* quidam, una cum aliis, quos Autor nominat, ejus vices nonnunquam in se susceperint. Sigillum Pag. 314.
Ludovici, priorum Regum, & potissimum paterni, sigilli figuram exhibere, Cel. Autor monet, illud æri incisum lectoribus proponens, ac sollicite describens. Unica *Ludovicum* epocha uti, eamque ab obitu patris repeti, æram vero Christianam eidem addi, atque primum quidem hunc *Ludovicum* eandem adhibuisse, contendit. Duo Diplomata, quæ a *Ludovico* nostro pro- 315.
fecta esse creduntur, suspecta ipsi videntur, & primum quidem *Ludovico* Germanico, sive seniori, tribuit, in altero pauca quæ- 317.
dam, in tabulis nostri alias non occurrentia, detegit. *Luitgardam, Ludolphi*, Ducis Saxoniæ, filiam, thori consortem nactus erat *Ludovicus*, quas nuptias *Hroswitha* versibus heroicis, a Cel. Autore hic appositis, celebravit. Filium peperisse hanc 320.
Luitgardam, quem pater suo nomine *Ludovicum* appellaverit, eundemque puerum adhuc de fenestra cecidisse, & confractis cervicibus illico exspirasse, *Reginonem* secutus, Cel. Autor narrat. Filiam quoque eidem fuisse, *Hildegardam*, nec non filium naturalem, *Hugonem*, qui, adversus Normannos pugnans, occubuerit, commemorat. Et in hoc quidem temporis articulo secundus hic præsentis diplomatici Operis *Tomus* clauditur. Cum autem Cel. Autor ad varia provocaverit documenta, quæ longiora erant, quam ut in ipso libri decursu illis locus potuisset dari, ea quidem ad calcem Voluminis speciatim integra apposuit, locosque, in quibus ad ea provocatur, semper indicavit. Varias denique observationes, in quibus ea, quæ in hoc Opere dicta sunt, uberius illustrantur, coronidis loco attexuit. Index etiam, scriptorum pariter, quos in 382 seq.
consilium adhibuit Cel. Autor, ac rerum & verborum, comparet. Nos autem Autori eruditissimo valetudinem ac vires corporis comprecamur tales, quæ laboribus, quos adhuc meditatur, perficiendis pares sint, cum multa illa, eaque prorsus egregia, hoc in genere scripta, quæ, in Præfatione libri, se evulgaturum esse, promittit, avidissime orbis literatus exspectet.

DE

DE POTENTIA, VEL IMPOTENTIA, AD GENErandum ob virulentam Gonorrhœam, in Titii circumſtantiis conſideratam, Quæſtio medica, habita in foro Mediolanenſi A. 1749.

Mediolani, 1749, fol.

Plag. 6.

Quæſtio hæc medica legalis a celeberrimis per Italiam Medicis in utramque partem diſputata fuit, & *Paulus Valgarengius* quidem, ſuffragio Medicorum Mediolanenſium fultus, ex Gonorrhœa impotentiam virilem ſemper haud conſequi, arbitratus eſt, contrariam autem ſententiam, exſtingui per gonorrhœam virtutem maritalem potuiſſe, Clariſſimi Profeſſores Bononienſes defenderunt. Dubitationi occaſionem dedit caſus ſingularis. *Titius* ex *Berta* conjuge duas filias, cum una maſcula prole, ſuſceperat, deinde illi, gonorrhœa laboranti, filia nata eſt, nec minus ille, ſecundo poſt morbum anno, filium genuit. De tribus primis & ultima ſobole, an illa *Titii* ſit, controverſia mota non eſt; aſt quarto loco genita filia adulterina, & ex *Sempronio* concepta, dicitur, ideo, quod illo tempore *Titius* generandæ proli impar eſſe videretur. Lis iſta, nono & vigeſimo, poſt morbum dubii patris, anno, mota fuit, faſſusque eſt *Titius* coram judice, ſe illo tempore, quo filiam genuiſſe perhibebatur, gravi gonorrhœa affectum fuiſſe, ſeque hanc filiam pro ſua agnoſcere non poſſe. Ex medicamentis, eo tempore *Titio* datis, conjectura invaluit, *Titium* generare tunc non potuiſſe, vel vires ejus medicamentis adeo dejectas fuiſſe, ut generare haud poſſet. Teſtes autem fide digni, *Titium* illo tempore recte valuiſſe, liberaliter vixiſſe, conviviis & ludicris ſcenis interfuiſſe, coram judice comprobaverunt. Igitur quæſtio mota eſt, utrum *Titius*, lue aphrodiſiaca tunc infectus, ſimulque, curationem hujus luis, quæ hydrargyro fit, expertus, cum conjuge *Berta* rem habere, & filiam generare, potuerit. *Valgarengius*, *Titium* potentem eſſe potuiſſe, ideo affirmat, quoniam in exhibita morbi deſcriptione nulla luis Gallicæ ſigna oſtenſa ſint, neque in notula pharmacopolæ remedia, quæ pro

pro castigandis, vel sistendis, similibus morbis exhiberi solent, inveniantur, neque data tunc varia purgantia tanta, tamque efficacia, fuerint, quibus virtus generativa *Titii* destrueretur. Sed Professores Bononienses, allegatam a *Titio* gonorrhœam, & conjunctam illi luem Gallicam, ob corporis languorem, ad impotentiam & sterilitatem *Titio* inducendam satis fuisse, judicarunt, asserto *Titii* fidem habentes. Qui pro potentia illius stabant, etiamsi gonorrhœa laborasset, illi tamen vires generandi superesse potuisse, ostenderunt, siquidem, nisi gonorrhœa vera est, ex testiculis nascens, si pseudo-gonorrhœa est, ex prostatarum ulcere nascens, tantum abest, ut potentiam illa imminuat, ut potius ad rem veneream stimulo materiæ acris plus excitet. Adducuntur quoque exempla eorum, qui, cum lue Gallica infecti essent, non minus generare potuerunt. Allegatur quidem ab illis, qui, *Titium* impotentem fuisse, asserunt, vis morbi Gallici, quæ tanta sit, ut semen fertile confici haud sinat; *Valgarengius* autem, post aliorum Autorum, *Zachæi* quoque testimonium adducit: *Non morbum Gallicum simpliciter, & ex sua natura, facere hominem sterilem, sed tantum cum aliquibus symptomatibus associatum, crasin principum membrorum destruentibus, & nativum genitalium partium calorem exstinguentibus. Symptoma sterilitatis non convenit morbo Gallico, ut morbus Gallicus est, sed illi per accidens interdum adjungitur. Hanc veritatem ipsa experientia quotidiana confirmat, ex qua assidue videmus homines utriusque sexus, Gallica lue, etiam gravi, vexatos, fœcunditate esse insignes.*

JAC. THEOD. KLEIN, SECR. CIV. GED. SOCIET. Reg. Lond. & Acad. Bonon. Membri, Quadrupedum dispositio, brevisque historia naturalis.

Lipsiæ, apud Jon. Schmid, Bibliopol. Lubecæ, 1751, 4. Plag. 16, Tabb. æn. 3,

In universa naturæ historia magnus Autor, hic quadrupedia tum novo quodam ordine disposita exhibet, tum egregiis observationibus illustrat. Primo quidem, hæc animantia ut ordinet, recensebimus, Tabulam illorum generalem exhibituri:

Ordo I. Piloſa & ungulata vivipara. *Ζωοτοκα.*

Fam. I. Monochelon Equus,
Aſinus,

Fam. II. Dichelon Taurus,
domeſticus,
ferus,
Aries,
Tragus,
Hircus,
Ibex,
Rupicapra,
Gazella,
Moſchus,
Tophocephalus *Grimmii*,
Bezoarticus,
Tragelaphus,
Nanus *Guineenſ.*
Giraffa.
Cervus,
Nobilis,
Rangifer,
Capreolus,
Alce,
Dama recentior.
Porcus,
Vulgaris,
Moſchiferus,
Babirouſſa,
Acutauris.

Fam. III. Trichelon. Rhinoceros.
Fam. IV. Tetrachelon. Hippopotamus.
Fam. V. Pentachelon. Elephas.

Ordo II. Piloſa & digitata, ſive ſint tota coriacea, ſive cataphracta, omnia vivipara.

Fam. I. Didactylon. Camelus,
Silenus.

Fam.

Fam. II. Tridactylon. Ignavus,
Tamandua.
Fam. III. Tetradactylon. Tatu,
Cavia.
Fam. IV. Pentadactylon.

Lepus,	Coati,
Sorex,	Felis,
Sciurus,	Catus,
Glis,	Lynx,
Mus,	Pardus,
Talpa,	Tigris,
Vespertilio.	Leo,
Mustela,	Ursus,
Acanthion,	Gulo,
Canis,	Satyrus,
Lupus,	Simia,
Vulpes,	Cebus,

Fam. V. Anomalopes Pentadactylon ped. anserinis,

Lutra,	Phoca,
Castor,	Manati.
Rosmarus,	

Ordo III. Depilata, sive tecta, sive nuda, nequicquam pilosa, omnia ovipara.

Testudinata,	Testudo,	digitis discretis,
		pedibus anomalis,
Cataphracta,	Crocodilus,	Caimanus,
Nuda,	Lacerta,	dorso lævi,
		dorso pectinato.
	Salamandrina,	
	Salamandra,	ova in utero excludens.
	Gekko,	
	Cordylus,	Uromastix,
	Scincus,	
	Seps, Lacerta,	Chalcidica,
	Chamæleo,	
	Batrachus,	Rana,
		Bufo.

Hæc singula egregiis observationibus illustrat Cel. Auctor, tum ex avtopsia desumtis, ut qui pleraque possedit, tum ex multa lectione congestis. Nos pauca, non seligemus, quod in tanta rerum præstantium copia facere non posse profitemur, sed, prouti sors objiciet, adducemus. Cum *Plinius* dicat, mulos, cum equa conjunctos, γίννας procreare, de illa inter Autores lite, an muli mulæve steriles sint, videtur Nostro, antiquos, certos vel asinos, vel equos, *fœcundum* muli *genus proprium* appellasse, quoniam *Aristoteles* ait, in Syria esse, quos mulos appellent, diversum ab eo, quod equæ & asini coitu procreatur, sed simili facie, quod procreet. Rhinocerotum bicornium exempla plura adducit, & inter hæc unum, quod A. 1739, 12 Junii, intravit in thesauros regios Dresdenses, & ex literis B. *de Heucher* ita describitur: *Satis arcte succedunt contigua* (cornua), *& corio valde tenaciter inhærent, ut nec ego, nec quisquam alius, fucum ullum observare possimus, quod nullo modo sint adglutinata, vel aliter pelli imposita. Anterius cornu conum repræsentat rotundum, posterius recurvum dorsum versus, per totam longitudinem in aciem quandam abit, ita ut animal ambobus una cornubus, corpori cuidam inflixis, posteriori secare & fatiscere valeat.* Dimensiones transmisit *Heucheri* in tuenda rerum naturalium amplitudine successor, *Eulenbergius*, rer. metall. Cons. Reg. *Cornua intervallo* $2\frac{1}{2}$ *dig. inter se distant, eorumque alterum linea recta altitudinem habet* $15\frac{1}{2}$ *dig. in circumferentia baseos* $20\frac{1}{2}$ *dig. anterius quidem hoc, sed posterioris longitudo est* $9\frac{1}{2}$*, basis* 22, *spolia a B. Dom.* Curt ab Einsiedel, *quondam Curiæ Regiæ Marescalco, deposita fuerunt.* Noster duo ejusmodi cornua ex communicatione *Georgii Lehmanni*, Pharmacopolæ Gedanensis, depicta exhibet., & ex relatione Viri probi, & ipsi cognatione quadam juncti, *Biebering*, qui per aliquod tempus in Capite bonæ spei degit, narrat, unicornes Rhinocerotes eo in loco non dari, sed omnes bicornes esse, incolas vero eos persequi non propter cornua, quæ parvi æstiment, sed quod plantationibus noxii sint, hincque raro a venatoribus cornua servari. *Tamandua Guacu*, seu Myrmecophagam, ut in thesauris regiis Dresdensibus farctum exhibetur, animal rarissimum, depingit.

Vesper-

Vespertilionem minus recte, ait, inter aves referri, cum non omne, quod volet, avis sit: nam pisces, vel lacertos, volantes, aut papiliones, nemo inter aves retulerit. Gulonem nigrum etiam ex regio Dresdensi thesauro depictum sistit, ex Sibiria olim Dresdam allatum, qui quotidie 13 libras carnis devoravit, semper tamen adhuc esuriens. Color ex nigro in brunum vergit. Longitudo animalis ulnam & octo ferme pollices æquat, ex quibus caput octo pollices, corpus ulnam circiter, comprehendit, altitudo animalis cum capite novendecim fere pollices emetitur. Alium ex bruno flavescentem Gulonem ibidem quoque farctum conservant, quem in Saxonia prope Frauensteinium Rex & Elector *Augustus II* Glor. Mem. cepit. Hæc pauca specimina ostendent, non omnia, quæ in hoc libro leguntur, alibi legi posse. Methodus vero, quam sequitur Cel. Autor, hæc est, ut, exposito generis nomine, species ejus, quotquot reperiri apud diversos Autores potuerunt, recenseat, & propria cujusque adducat. Sub finem libri Serpentum ordinem promittit, quem jam in libro *de Testis*, proxime recensendo, exhibuit.

NOUVEAU TRAITÉ DU NIVELLEMENT, &c.

hoc est,

NOVUS DE ARTE, AQUAS DUCENDI, TRACTATUS, Autore Domino LE FEBURE, Capitaneo Ingeniariorum Prussicorum, Membro Acad. Reg. Scient. & Literar. Pruss.

Potsdamii, 1752, 4.
Plag. 10, Tabb. æn. 7.

Etsi plures de arte librandi aquas prodierint libri, *Picardi*que scriptum, quod optimum habetur, jubente Illustriss. *de Maupertuis*, ante aliquot annos a Dom. *Passavant* Germanico habitu donatum fuerit; Noster tamen ea & theoriæ cognitione, & praxeos peritia, instructus opus hoc aggreditur, ut supervacanea ejus opera videri omnino non possit. Primo monet, figuræ telluris a sphærica aberrationem minorem esse, quam ut ratio ejus in libellandi praxi haberi debeat. Igitur in-

ter axem & diametra æquatoris, ut ex mensuris *Maupertuisianis* definiuntur, sumendo medium arithmeticum, habebitur diameter globi alicujus, qui tuto veræ telluri substitui hic potest. Hæc autem etsi diversa sit a diametro telluris, *Picardo* assumta; tamen & hæc differentia tam exigua est, ut veræ horizontalis lineæ ab apparente discrimina, quanta *Picardi* tabula exhibet, retineri absque mutatione possint. *Picardi* vero instrumentum perfecit Noster, quod confirmant *Euleri* & Com. *de Schmettau* testimonia, Præfationi subjuncta.

Igitur, explicato, quid per libellandi artem intelligatur, & quale sit inter veram horizontalem atque apparentem discrimen, tabulam *Picardianam* computare docet, &, quia refractio turbare potest negotium, illam quoque considerat. Eam sæpius se observasse, narrat Autor, cum mane libellavit tempore paululum nebuloso, ubi objectum quod in horizontali linea ipsi apparuerit, mox extra eam migraverit. Sumsit vero distantiam unius operationis libellandi (*coup de niveau*) plerumque perticarum 150. Prima vero & simplicissima methodus est, ut, statuto instrumento in medio intra duos terminos horizontalis lineæ, habeantur sic duo in illa puncta, æqualiter a telluris centro remota, quippe situs instrumenti perpendicularis est semidiametro telluris in eum locum, in quo consistit instrumentum, ductæ. Si vero collimando per instrumentum ab uno termino ad alterum peragatur operatio, varii casus contingere possunt. Vel enim, translato instrumento ad alterum terminum, illudque punctum hujus termini, quod prior collimatio definierat, & retro collimando, punctum, in quo oculus fuerat ad primum terminum, rursus conspicitur, tuncque hæc linea collimatione secundæ cum ea primæ coincidit, & utraque est horizontalis eadem, vel non potest applicari instrumentum puncto in termino secundo, prima collimatione definito. Applicatur igitur alii, & secunda collimatione definitur in termino punctum aliquod, quod si tantum distet a puncto, in quo oculus in termino versatus fuerat, quantum distat punctum prima collimatione definitum in termino secundo a puncto, in quo oculus ad hunc secundum terminum constituitur, utra-

que

que hæc linea collimationis horizontalis eſt; vel, poſito inſtrumento ad terminum ſecundum ita, ut oculus cadat in punctum, quod prima collimatio ibi definiverat, retroque collimando, non conſpicitur punctum, in quo oculus verſatus fuerat in termino primo, ſed aliud, tumque (dato, quod inſtrumentum mutationem paſſum fuerit nullam,) lineæ utriusque collimationis *antiparallelæ* ſunt, angulumque inter ſe continent, cujus biſſectrix horizontalis eſt. Sic plures caſus explicat Noſter, ſed hi, ut methodus ejus cognoſcatur, nobis ſufficiant. Patet vero, ſic cognoſci, quantum inſtrumentum ab horizontali linea aberret, (*de combien il hauſſe ou baiſſe la mire,*) quæ conſequantur, ſi verſus horizontem vergat, ac ab eo divergat, item quomodo corrigi debeat.

Hæc quidem *primo Capite* explicantur. *Secundum* chorobates (*niveaux*) varii generis, & quomodo rectificentur, deſcribit. Primum horum inſtrumentum tuborum communicantium proprietate nititur, bonumque eſſet, ſi oculus puncta ſupremæ ſuperficiei aqueæ in utroque tubo ſequi exacte ſatis poſſet. Præterea, cum nullus oculus ſignum aliquod, aut lineam, perticis 25 remotiorem diſtincte videat, non niſi brevibus diſtantiis aptum eſt. Sequitur *Hugenianum*, de quo judicat Noſter, difficillimum eſſe, ut exacte ſatis ſemper ejus linea & pondus tubo jungantur, quo centri gravitatis directio eundem perpetuo cum axe tubi angulum efficiat, neque commode transferri inſtrumentum cum pondere & oleo. Tamen pro bono illud habet. Poſt *Hireanum* deſcribit, dein *Picardianum*, longus in explicando hujus uſu. Subjungit ab ipſo inventa inſtrumenta, de quibus dicere ſine figuris nihil omnino poſſumus. *Picardianum* ſecutus eſt, ſed in melius mutavit. *Tertio Capite* praxin librandi aquas exponit. Libramenta vero ſtatuit alia ſimplicia, quæ unius horizontalis ductu abſolvuntur, alia compoſita, in quibus repetendum opus eſt. Hæc quomodo ipſa perficienda ſint, delineationes quoque operationum efficiendæ uberius docet, illuſtratque exemplis rariorum hujus generis magni momenti libramentorum, quibus præfuit, ut poſſit liber hic artificibus inſigniter prodeſſe.

PRO-

PROBLEMA, AD CUJUS SOLUTIONEM GEOMEtræ invitantur.

TAB. I. Proposito quadrante elliptico *BNME*, inter binos semiaxes principales *CB* & *CE* intercepto, in eo geometrice assignare puncta *M* & *N*, ut arcus *MN* præcise sit semissis arcus quadrantis *BNME*.

THEOREMA, AD CUJUS DEMONSTRATIONEM Geometræ invitantur.

Si ellipsis *AEBF*, axibus principalibus *AB* & *EF* descripta, per diametrum quamcunque obliquam *XCY* bisecetur, ad quam semidiameter conjugata *CZ* producatur in *V*, ut sit *CV* æqualis semiaxi *CA*, & ex *V* ad *CA* normalis agatur *VP*, hæc ellipsin ita secabit in puncto *S*, ut arcuum *XAS* & *YFS* differentia geometrice assignari possit.

Si enim ex *X* ad *CZ* perpendiculum *XQ* ducatur, intervallum *CQ*, bis sumtum, æquale erit illorum arcuum differentiæ, seu erit $YFS - XAS = 2CQ$.

Eo difficilius autem tam Problema resolvendum videtur, quam Theorema demonstrandum, quod diversi arcus elliptici nullo adhuc modo inter se comparari potuerint, unde ex harum propositionum pertractatione non contemnenda Analyseos incrementa merito exspectantur. Graviore autem præmio Geometræ ad hoc argumentum suscipiendum incitari non possunt.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD incrementum scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata. Edendi consilium suscepit, sua nonnulla passim addidit, Præfationem præmisit, FRIDER. OTTO MENCKENIUS.


Voluminis IX Pars I & II.

Lipsiæ, apud B. Lanckisii hæredes, 1752 & 1753, 8.
Alph. 1 plag. 1.

Pro-

Procedit opus haud inaufpicato. *Voluminis IX*, cui pro more fuo præfatus eft Menckenius, *Pars I* complectitur Jo. Chriftoph. Harenbergii *Hymnum Daviditum CXVI, ex fato Davidis epileptico* 1 Sam. XXI, 12 - 16, *genuinam expofitionem exhibentem*; Jo. Rudolphi Kieslingii *Commentationem in vocabula* φῶς, λύχνος, & φωςῆρες, *ad effata* Jo. VIII, 12, V,

TAB I ad p.



Meniam. Exponit præterea fingulas enunciationes. Kies-

lin-

PROBLEMA, AD CUJUS SOLUTIONEM GEOMETRÆ invitantur.

TAB. I. Proposito quadrante elliptico *BNME*, inter binos semiaxes principales *CB* & *CE* intercepto, in eo geometrice assignare puncta *M* & *N*, ut arcus *MN* præcise sit semissis arcus quadrantis *BNME*.

Lipsiæ, apud B. Lanckisii hæredes, 1752 & 1753, 8.
Alph. 1 plag. 1.

Pro-

Procedit opus haud inauspicato. *Voluminis IX*, cui pro more suo præfatus est Menckenius, *Pars I* complectitur Jo. Christoph. Harenbergii *Hymnum Davidicum CXVI, ex fato Davidis epileptico* 1 Sam. XXI, 12 - 16, *genuinam expositionem exhibentem;* Jo. Rudolphi Kieslingii *Commentationem in vocabula φῶς, λύχνος, & φωστῆρες, ad effata* Jo. VIII, 12, V, 35, Phil. II, 15; porro *M.* Jo. Gothofr. Welleri *explicationem Problematis, num ille, quo* Lutherus *mortuus est, fuerit dies Concordiæ;* Jo. Ern. Imman. Walchii *Dissertationem epistolarem de antiqua Cruce stationali arca inaurata; Anthologiam Græcam, nunc primum e Codice MSto editam, studio* Jo. Jac. Reiske, *ejusque Missum primum;* ac tandem *Commercium epistolare duorum magni nominis Virorum,* Ludovici Bourgueti & Gisberti Cuperi, *quo multa Philosophiæ, antiquitatum, & literarum elegantiorum, capita doctissime illustrantur. Accedunt duæ* Bourgueti *ad Jo. Bapt. Ottium, & Jo. Woodwardum, Epistolæ.* Præfationem præmisit huic Commercio epistolari *Frid. Otto Menckenius.* Nunc sigillatim edisserenda sunt pauca. Hymno *Davidico CXVI* prodidit *Davides,* se liberatum fuisse statu corporis, mortem attingente; quo in omnem partem facilis sibi fuerit lapsus; quo pedes vacillarint, lachrymisque oculi fuerint referti; quo mentis fuerit emotæ; quo vinculis fuerit dignus existimatus. Ex terrore ortum malum epilepticum eruit Autor ex *1 Sam. XXI,* quem locum exponit, ac signa epilepsios adjungit ex *Hippocrate, Cornelio* Pag. 6.
Celso, ac *Hermanno Bœrhaave,* in *Davidem,* inter Philistæos versantem, quadrantia. Fictam a *Davide* insaniam propulsare contendit. Metaphrasin Latinam Hymni adornatam annotationibus variis illustrat. Verbo אסף inesse vim *deprimendi agmine cingente, & fastidium afferente,* afferit, in sub- 19.
sidium arcessens linguam Arabicam & funes mortiferos, quibus olim vivi homines cadaveribus fuerunt pœnæ loco alligati. Evolvit vocabulorum ceterorum difficilium notiones. Per חסידיו *v. 16* designari putat *excellentissime sanctum Jehova,* 29.
Messiam. Exponit præterea singulas enuntiationes. *Kies-*

lingius docet, viros præstantes vocari *lumina*. Ad testimonium citat *Homerum Odyss. XVIII v. 25.* Messias vocatur *lux magna Jes. IX, 2, lux gentium XLIX, 6.* Illud φαίνετε *Phil. II, 15,* imperative esse capiendum; Autor negat. *Wellerus*, diem *Lutheri* emortualem fuisse *Concordiæ* diem, ostendit. Obiit hic ad 18 Febr. A. 1546. Sunt, qui negant, sunt, qui affirmant, eum fuisse *Concordiæ* diem. Calendaria diversorum locorum notissima nominibus diversorum Sanctorum sunt passim insignita. In plerisque *Concordia* ad 13 Aug. fuit adscripta, & ad 18 Febr.
Pag. 50. *Simonis*, vel *Gabini*, nomen habetur, immo *Constantiæ* &
Pantaleonis. At in Calendariis Franconicis, A. 1541. 1544,
57. & 1545, publicatis, ad 18 Febr. legitur *Concordiæ* nomen.
61. Ita B. *Joanni Mathesio* honor veracitatis constat. Ad *Walchium* miserat *Hieron. Guil. Ebner ab Eschenbach*, defunctus A. 1752, figuram vetustæ *crucis stationalis*, quæ erat tabulæ æneæ incisa, ut ex Clariss. Viro sententiam, & cujus ea esset ætatis, intelligeret. Hic cruces distribuit pro successu seculorum in quinque classes, contendens, Christianos ante *Constantinum Maximum* abstinuisse a Jesu, in crucem suffixi, simulacris, usosque potius monogram-
65. mate . Seculo VII Christiani effinxerunt simulacrum Jesu, stantis, tunica induti, apertis oculis, manibus more orantium ad cœlum sublatis, similis triumphanti, ad crucem stantis. Seculo VIII cœptum est cruci imaginem Jesu cælatura lineari, manibus & pedibus quatuor clavis affixis, apertis tamen plerumque oculis, neque nudo, sed tecto, corpore, inprimis tunicato, cum nimbo nonnunquam, effigiare. Seculo IX mos obtinuit, effingendi Jesum cruci affixum integro corpore, quod tamen a cruce separari poterat. Seculo XV vigere cœpit consuetudo, cui adhuc est locus. Inde Autori visum est definire, crucem, secum communicatam, esse classi quartæ inserendam. *Reiskius Anthologiam*

giam Græcam, a vulgari *Planudea* diversam, in Bibliotheca Pag. 80.
Amplissimi Senatus Lipsiensis deprehendit in Codice, ex quo *Leichius Carminum sepulcralium* gustum Lipsiæ A. 1745 edidit. Procul esse jussit *Reiskius* ea, quæ inviolato pudore legi nequeunt. Cetera evulgavit hoc loco una serie, adjectis interpretationibus suis. Opus ipsum totum in *sex Capita* fuit olim distributum. Lipsiensi Codici deest postremum. *Primam Partem* efficit *Stratonis Musa puerilis*, merito ignorata, constans carminibus 247. *Secunda Sectio* habet carmina triginta. *Tertia* est optima, complectens carmina in fœminas amatoria 118. *Quarta* constat carminibus 158 dedicatoriis. Hanc *Partem* pæne omnem sparsit *Suidas* per *Lexicon* suum discerptam. *Parte quinta* continentur carmina sepulcralia, e quibus, pæne centum, *Leichius* duo & viginti edidit. *Partem sextam*, Lipsiensi a Codice remotam, evulgavit Græce *Jensius*, constantem carminibus 154. Pleraque sunt arguta, elegantisque ac poeticæ dictionis, etiamsi non morum, exempla. Carmina, quæ edidit hoc loco *Reiskius*, in Latinum etiam vertit, orsus a *tertia Parte*. An apud alios jam unum alterumque horum carminum legatur editum, eis inquirendum permittit, qui otium in rebus minutis suum conterunt. *Barberinius* Codex erat omnium absolutissimus. Codici 89.
Lipsiensi, haud æque perfecto, *Dorvillius* immerito detractum ivit. Ostendit vero Noster, Lipsiensem esse meliorem illo, quo *Dorvillius* fuit usus. Contulit ipse passim aliorum cum suis meditata, sæpius emendavit neglectius descripta, artisque suæ criticæ experimenta dedit ubique luculenta, nonnunquam ad *Theocritum*, aliosque Poetas Græcos, traducta. Progredimur ad Commercium epistolare.
Inde intelligitur, *Bourguetum* originem literarum, seu al- 151.
phabetorum, a *Mosis* demum ætate repetiisse, & diluvio *Noachico* argumenta conciliatum ivisse ex fossilibus marinisque rebus, per altissimos passim montes obviis; *Cuperum* partes contrarias fortiter propugnasse. Quæ Duumviri

viri de Sinarum sive antiquitate, sive lingua & dicendi modis, moribusque, & institutis, per literas collocuti sunt, scitu haud sunt indigna. Debent eruditi Epistolas hasce Ven. *Jo. Georgio Schelbornio*, Memmingensis reipublicæ a sacris, qui eas cum *Menckenio* communicavit. Com-
Pag. 154. mercio illi, per *Bourguetum* ad *Jac. Zimmermannum*, Professorem Theologiæ Tigurinum, transmisso, *Bourguetus* præfixit monitum, ut hinc, quid in sententiis suis muta-
161. verit, patescat. De libro Bramanum, *Betz*, seu *Boran*, *Bourgetus* nonnihil affert, haud tralatitium. Eidem visum fuit, loqui fossilia & petrefacta veritatem diluvii *Noachici*. *Cuperus* negantem amplectitur sententiam, eo quod procellosa telluris marisque fata ad navim *Noachi*, placide servatam, haud quadrent, & in ipsis gemmis succinique partibus inveniantur corpora bestiolarum indurata. Respondet ad singula *Bourgetus*, & inprimis multus est in examinandis singulis opinionibus, quas homines effinxerunt, exposituri rationem, cur monumenta diluvii universalis appareant in omni ambitu telluris. Acquiescit tandem in opinione diluviana, & difficultates, quas extricare haud valebat *Woodwardus*, solvere & expedire contendit, promittens majoris spatii & diligentiæ Dissertationem, cujus jam exordium elaborarit. Continuatio Commercii hujus epistolaris appparet in hujus *Voluminis Parte secunda*.

In hac sese Lectori offerunt: 1) Joannis Rudolphi Kieslingii *Observatio de Deo, instar leonis ossa conterente, ad* Jes. XXXVIII, 13; 2) Jo. Frid. Frischii *Commentatiuncula philologica de Εὐτραπελίᾳ veterum, non omnibus probata, ad illustrandos Autorum classicorum quosdam locos, &* Eph. V, 4; 3) Jo. Christoph. Harenbergii *Commentatio de re musica vetustissima, ad illustrandum scriptores & exteros accommodata*; 4) Henr. Augusti Zeibichii *Observatio de Cyaxare postrema, qua ille regali sua dignitate penitus privatur*; 5) *Anthologia Græca, nunc primum e Codice MSto edita, studio* Jo. Jac. Reiske, *Missus secundus*; 6) Frid. Ott. Mencke-

ckenii *de vero Autore libri famosi, Aloisia Sigea Satira sotadica inscripti, Observatio; 7) Commercii epistolaris duorum magni nominis Virorum*, Ludovici Bourgueti & Gisberti Cuperi, *quo illustriora multa Philosophiæ, antiquitatum, & literarum elegantiorum, capita doctissime illustrantur, Particula altera.* Kieslingius *Hiskiæ* verba *Jes. XXXVIII, 13*, sic interpretatur: *Composui animum* (speravi) *usque in matutinum, tanquam leo, sic constringebat omnia ossa mea.* Leonum esurientium mos ita fert, ut in homines sibi obvios irruant, illos dilacerent, sanguinem consumant, comminuant ossa. Interpretationes priscas introspicit & dijudicat Autor. Verbo שוה inest notio *actus animi, quo actu quis rebus turbulentis, quæ circulos nostros animique tranquillitatem turbare possunt, animum, pluribus meditationibus intentum, colligit, eumque ad calamitates fortiter subeundas, atque patienter ferendas, componit.* Similitudo a leonibus, qui compositis unguibus secure dormiunt, neque ullum ab aliis animalibus impetum metuunt, petita. Conf. *Gen. XLIX, 9.* Constituerat *Hiskias* patienter morbum ferre, sed eo fortiori impetu Deus in ipsum irruit; & *Hiskias* e leone in gruem, hirundinem, & columbam, inermes, timidas, querulasque, quasi mutatus fuit. *Frischius* evolvit vim vocabuli εὐτραπελία. *Æliani Var. Hist. V, 13*; locum exponit & illustrat. Ἀγχίστροφος & εὐτράπελης est *is, qui facile & confestim pro momentis se circumstantibus ingenium in partem aptam vertit.* Εὐτράπελης igitur est homo, levi impulsu versatilis ac commutandus. Εὐτραπελίαν *Aristoteles* in virtutibus retulit, habens eam pro dexteritate concinne ac lepide jocandi. Urbanitas ac comitas ea haud indicatur. Vocabula media, nostro sensu accepta, Græci veteres haud habuerunt, puta non verbo, re tamen ipsa. *Isocrates* notavit illam εὐτραπελίαν, *alacritatem adolescentum, qua pollent ad verba aliorum detorquenda, & in ridiculum convertenda sensum.* Eutrapeliam a nobis in vernaculum vertendam esse per *leichtfertige Rede*, levitatem verborum,

Pag. 190. 196. 202.

Noſter ſtatuit. *Harenbergius* ad rem muſicam vetuſtiſſimam ſeſe accingit explicandam, inprimis ad ſcripta vetuſtiſſima, eaque Ebræorum ſacra, reſpiciens, &, ut inſcriptiones, hymnis *Davidicis* præfixas, extricet, operæ ſuæ haud par-
Pag. 205. cens. Muſica inſtrumenta & carmina, eis congruenter decantata, jam ante diluvium fuiſſe, docet, monens contra *Platonem*, ea haud intercidiſſe per diluvium. Rei muſicæ ex *Homero* apponitur notitia. De *Muſis, Jove, Apolline*, nonnihil diſſeritur. A crepitaculis & tympanis illuſtrandis Autor primordia capit. Inde ad hexametros pentametrosque verſiculos itum fuiſſe, tradit. Diſcrepantiam Poetices Græcorum atque Ebræorum expouit. Notas muſicas, *Guidone Areti-*
215. *no* vetuſtiores, indicat. Græci ac Latini ſyllabis ſuperimpoſuerunt literas ſuas minuſculas, ad tonorum diſcrimina dinumeratas. Diſſerit de modis melodiæ, Æolico, Ionico, Dorico, Aſio, Lydio, Phrygio, qui ſinguli adhuc in cantu ſacro canonico ſuperſunt. Æolicus videtur appellari *Ajielet Pſ. XXII, 1*, & Ionicus *Jonat Pſ. LVI, 1*. Genera hymnorum & carminum antiquiſſima ediſſerit Autor ſuccincte. Recenſet deinde potiora inſtrumenta muſica pulſatilia, tactilia, flatilia. De Muſurgis ac *Aſſapho* Ebræorum exponit. Docet, cymbala dici *Zilzelim 2 Sam. VI, 5*, eorumque uſum, in templo *Serubabelico* olim vigentem, ſubjungit. Tympanum תוף, & tympanum majus, *magrephah*, attingit. Magadin & Gittit fuiſſe idem inſtrumentum muſicum, chordis inſtructum; digitis raſum, ac foraminibus reſonaus, tradit. A Magadide Pectida, *pahhad, Job. XL, 17*, haud admodum diſcrepaſſe, & hanc nunc vocari *Cembalo*, monet. Tum *aſcoron*,
224. *baſſchabbar*, *aſor*, illuſtrat. *Sabbecha, Dan. III, 5, 7*, memorata, ipſi eſt *ſambyce*, ſambuca, nervis ſonum edens. *Schminith* ipſi eſt magadis, octavam ſonans. *Kinnor* ei eſt *gingras*, tibia minor. Nomina עלם, אלם, *elem*, confert cum Græcorum ἐλύμοις, *tibiis*. In *Pſ. LVI, 1*, memorantur quædam obſcuriora, *al jonat elem rhhokim*. Ea Noſter hunc in modum interpretatur, *ad modum Ionicum*

tibiæ

tibia Phrygum. Elymos enim, tibia major, fuit Phrygibus inventu & tractatu familiaris. Perfequitur idem *Jeduthos*, *nablia*, ἀυλὰς, חלילות, *tibias faltationes*que, quæ vocabantur *puer*, feu *muth labben*, non *ficinnotyrbos*, *fchufchan edud*, *fchofchannim*, *naulas*, *monaulia*, *tubas*, *buccinas*, *cornua*, *jambycas*, *ambubajas*, ac alia. *Zeibichius Cyaxarem* Pag. 269.
fecundum folio movit, ac e Regum Mediæ albo expunxit penitus, *Xenophonte* quidem invito, ac fide in hac caufa indigno. *Jofepho* hic non affurgendum. *Herodoti* fide ftandum, qui *Aftyagem* appellavit improlem, cum *Harpago*, id eft, filiis carentem, ἄπαιδα. Narrat *Herodotus*, *Aftyagem* fibi a genero metuiffe futuro, monitum fomnio. *Aftyagi* fucceffit *Cyrus* Perfa, *Herodoto* tefte, ac *Ctefia* ipfo. Adde *Strabonem* & *Juftinum*, *Eufebium* item in *Chronico*. Concordat ipfis *Syncellus*. Chronologicas difficultates fcite ac folide Nofter 278.
ad extremum expedit ac extricat, licet *Humphrey Prideaux* & *Leonardus Offerhaus Cyaxarem*, *Aftyagis* fucceflorem in Mediæ regno, ftabilire fuerint conati. Ut ad *Darium* Medum eandem diligentiam Autor porro transferat, admodum volumus ipfum rogatum. *Anthologiam Græcam*, ejusque *Miffum fecundum*, liberali fronte ac manu *Reiskius* fic nobis exhibuit, ut bonæ literæ & nos ipfi multum debeamus. Annotationibus profecto eam ornavit variis. En unam & alteram. Τις ponitur haud raro pro ἔστις. Græci plantas & homines 312.
adolefcentes æque appellant θάλυς, ἔρνυς. Χῖον eft vas fictile, feria, lagena. Ad *Aloifiæ Sigeæ* Autorem inveftigandum operam fuam accommodavit *Menckenius*. Fuerunt, qui, *Ifaacum Voffium*, qui, D. *Joannem Weftrene*, patronum caufæ Hagienfem, fuiffe Autorem, memoriæ prodiderunt. *Baggerus* tandem, ortu Suecus, fed Pontificia facra profeffus, 328.
qui omnem pæne terrarum orbem luftravit, maxime vero in Gallia verfatus, indicavit genuinum *Menckenio* Autorem, *Nicolaum Chorerium*, Parliamenti Gratianopolitani in Delphinatu Advocatum, eundem, qui *Vitas Dionyfii Salvagnii Boeffii*, *Delphinatis*, & *Guidonis Papæ*, *JCti*, vulgavit, ac *de Antiquitatibus urbis Viennenfis* librum, nec non *Hiftoriam* Del-

Delphinatus, opus magnum & omni posteritate dignissimum, scripsit edititque, defunctus A. 1692. Edidit idem Gratianopoli A. 1680, 12, *Carminum librum unum*, ac alia, *Niceronio* in *Memoir. Tom. XXXVI pag. 21 seq.* memorata. *Baggerus*, eum evulgasse *Aloisiam* in urbe Gratianopoli impensis *Nicolai*, ibidem Bibliopolæ, Dialogis sex, ac recudendam curasse, addito uno Dialogo, Genevæ, narravit. Editio hæc nævis typotheticis abundat, quos *Chorerius* manu sua, *Baggero* satis nota, emendavit in exemplari suo. Insunt *Aloisiæ* flores & elegantiæ haud unæ, ad Gallos referendæ. *Chorerius* ex *Aloisia* transtulit duo Carmina, quæ in medio opere leguntur, *de laudibus Aloisiæ*, & *Tuberonis genethliacon*, in il-
Pag. 332. lum suum *Carminum Librum unum*. Dominus *de la Roche* & *Guido Allardus*, qui *Chorerio* fuerunt familiares, *Chorerium* esse *Aloisiæ* Autorem, sæpissime docuerunt *Baggerum*. Succedunt hisce Epistolæ aliquot *Bourguoti* & *Cuperi*. *Bourguetus* differit de tentanda via, qua hieroglyphicis Ægypti possit lux interpretationis infundi, de literis priscis Tuscorum nondum definitis, de loco *Tertulliani Apol. 16*, per Pontificios nuper vitiato. In hoc legitur, *sed et qui crucis nos religio-*
345. *sos putat*. Pontificius Editor evulgavit, *nos non religiosos pu-*
348. *tat*. *Cuperus* ex annulo, per *Pharaonem* in *Josephum* translato, it demonstratum, jam tum in Ægypto fuisse literas alphabeticas, epistolis subsignandas, nec non ex nomine urbis *Kiriathsepher*, id est, receptaculo librorum. *Josephus* ipse, *Theophilo Sigfrido Bayero* teste, scripsit historiam & suam, & progenitorum, quam *Moses* postea redegit in compendium,
351. scopo suo conveniens. Id nos adjicimus. Deus *Mosen* jussit scribere bellum, cum Amalekitis gestum, cum *Moses* nondum ad montem Sinai pervenisset. Hoc *Cuperi* est argumentum, qui petrefacta & figurata cavernarum lapicidinarumque monumenta pro testibus diluvii reputare recusat. De Sinensium literis hieroglyphicis, & Carum numis quibusdam, pauca adjungit. Offerent se Lectori Epistolæ hujus Commercii reliquæ in secuturis *Miscellaneorum* *Partibus*.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCLIV.

NOVUS THESAURUS JURIS CIVILIS ET CANONICI, continens varia & rarissima optimorum Interpretum, inprimis Hispanorum & Gallorum, opera, tam edita antehac, quam inedita; in quibus utrumque Jus emendatur, explicatur, atque ex humanioribus literis, antiquitatibus, & veteris ævi monumentis, illustratur. Ex collectione & Museo GER. MEERMANNI, JCti, & reipublicæ Roterodamensis Syndici.

Tomus V.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1752, fol. Alph. 9 plag. 12.

Vere hic *Tomus* nomen atque vim Thesauri tuetur. Tam uberes literarum & Jurisprudentiæ quasi divitiæ, tam egregia, & ad illustrandum Jus Civile præstantia, Virorum doctorum in eo scripta recondita sunt! Sed, age, in rem præsentem veniamus; atque ipsas illas, hujus Thesauri veluti loculis repositas, copias lustremus. Primum igitur locum, ut par erat, occupant *Basilicorum Libri quatuor XLIX, L, LI, LII*, ex Codice MSto Regiæ Bibliothecæ Parisiensis nunc primum integre editi. Latine vertit, variantes lectiones collegit, notasque criticas ac juridicas, tam aliorum, quam suas, addidit, *Gul. Otto Reitz*, JCtus. Hi *quatuor Libri*, tametsi in Βασιλικῶν editione *Fabrottina* promittuntur, tamen ibi non integri, sed utcunque tantum ex JCtorum Græcorum a *Fabrotto* collectis fragmentis, restituti sunt. Ipsi

 autem

autem genuini atque αὐθεντικοὶ isti Libri latuerunt: qua fortuna etiam nunc XV alii utuntur. Quod mirandum est, cum *Cujacius* omnes omnino LX Libros integros possederit, eoque mortuo, ad *P. Fabrum*, & post hujus obitum ad hæredes ejus, pervenerint: idque scire & potuerit, & ex præfixa *Suaresii* Notitia Βασιλικῶν debuerit, *Fabrottus*, facileque haud dubie fuisset ipsi, eos a *Fabri* hæredibus impetrare. Sed, cum *Fabrottus* supinam istam negligentiam admiserit, isti Libri deinde evanuerunt, neque hodie constat, quo tandem evaserint. Ex iis hodie deperditis habitis Libris sunt hi quatuor, in lucem revocati a Clariss. *Reitzio.* Eos *Caperonnerius*, V. C. rogatu *Meermanni*, Viri Illustris, & *Reitzii*, ex libro scripto Bibliothecæ Parisiensis descriptos, Editori Clarissimo misit: tam diligenter facto exemplo ad exemplar ipsius Codicis, ut omnes ductus referret: quod imitatus est *Reitzius*, V. C. in hac editione. Codex, e quo profecti sunt hi Libri, hodie in Bibliotheca reperitur signatus *num. 1357*, estque volumen fol. 277 foliorum, scriptus circa finem Seculi XV, uti placet Viris doctissimis. Ante in Bibliotheca *Colbertina num. 2324* fuit: inde in Regiam Bibliothecam translatus est. Unde autem *Colbertus* hunc librum nactus fuerit, non constat. Adjectæ sunt observatiunculæ *P. Fabri in Lib. LI tit. 3 seq.* sed paucæ, atque etiam exigui pretii: quas *Caperonnerius* descriptas, una cum quibusdam suis animadversionibus & emendationibus, ad Editorem misit: quibus accessit una *Boivini*, V. C. in *Lib. LI tit. 4.* Hæ omnes ab Editore hic quoque in lucem editæ, additis etiam suis, tam criticis, quam juridicis, observationibus. Ceterum non possumus hic duo præterea, in Præfatione a Clariss. *Reitzio* observata, præterire. Unum pertinet ad horum quatuor Librorum fidem; alterum autem ad ætatem *Theophili* aliorumque JCtorum, e quibus vel in Basilicis, vel in Scholiis Βασιλικῶν, servantur reliquiæ. De illo capite cum dubitatum esset a quibusdam viris doctis, genuini hi quatuor Libri essent, an spurii, *Reitzius* id agit, ut autoritatem illis haud dubie afferat: quam in rem illo primum utitur, quod *Broeus*, & ex eo *Suaresius*, tradiderunt, *Cujacium*, & post eum *P. Fabrum*, integros & universos Libros

Ba-

Βασιλικῶν possedisse; his autem quatuor *P. Fabrum* usum esse, ex adjectis observatiunculis patet. Alterum argumentum hoc est, quod omnia ea capita horum Librorum, quæ vel *Cujacius*, vel olim *Attaliata*, velut ex integris *Βασιλικῶν* Libris decerpta, laudarunt, hic propemodum ad verbum reperiuntur expressa: cujus rei exempla in Notis a Clariss. Editore passim suppeditantur. De ætate autem *Theophili* aliorumque Jureconsultorum Clariss. Editor tam certa atque indubitata testimonia & argumenta affert, ut nihil possit supra; quæ illis sunt adjicienda, quæ jam in Excursu ult. ad *Theophilum*, & in Præfat. *Theophili*, affatim protulit. Operæ pretium fuerit, ea hic breviter commemorare. Interpres Græcus, a *Ruhnkenio*, V. C. in *Tomo III* hujus *Thesauri* editus, in interpretandis *l. 15 C. de Advocat. diverſ. jud.* verbis in hanc sententiam disserit *pag. 31:* hanc Constitutionem tantum ad certum tempus pertinere, & in hoc Codice maximam partem supervacuam esse, propterea, quod dudum cessaverit id, quod in ea constituatur. Porro, etsi illi LXIV Advocati, qui tum fuissent, post Advocatum fisci, dudum demortui essent, (nam, hæc, inquit, Constitutio ante multos annos promulgata,) tamen hanc Constitutionem liberis eorum superstitibus utilem esse posse, eum de conditione cohortali, sive curiali, cum iis agatur, vel cum prædia eorum curialia esse dicantur. Ex hisce satis intelligitur, tempore eo, quo ista scriberet Enarrator, non solum nepotes, sed etiam liberos eorum, de quibus agit Constitutio, Advocatorum superstites fuisse oportere. Atqui hæc Constitutio a *Leone* jun. A. Chr. 472 promulgata est. Igitur fieri non potest, ut aut liberi, aut ipse Enarrator, post mortem Imperatoris *Justiniani*, hoc est, A. Chr. 568, vixerint. Sed hoc tempus ætatis certius a Clariss. Editore definitur; productis verbis ejusdem Enarratoris, ad *l. 16*, ab eodem Imp. *Leone* & *Zenone* patre emissam, positis; quorum hæc vis est: alio quidem loco a se esse traditum, eos, de quibus agatur, non amplius vivere: sed, quoniam tamen fieri possit, ut aut liberis, aut nepotibus eorum, controversia status fiat, eam Constitutionem in liberorum nepotumque causis allegari posse: in eorum autem causis, quorum gratia data sit, usum

non amplius habere posse. Nam plus, inquit, quam quinquaginta anni sunt, cum hæc Constitutio edita est. Quodsi igitur anno Chr. 474 addas annos 55, effeceris id tempus, quo Codex *Justiniani* prodiit. Qua ratione nihil certius, aut firmius, esse posse, nemo non intelliget. Neque vero minorem vim habent ea argumenta, quibus in hac Præfatione usus est, ut ætatem *Domnini*, *Herois Eudoxii*, & *Herois Patricii*, JCtorum, & Codicis *Theodosiani* enarratorum, confirmaret.

Præterea Prolegomenis addidit Clariss. Editor Indicem eorum locorum *Attaliatæ*, e quibus Libri Basilicorum, nondum editi, suppleri possint. Qui labor difficilis, & molestus, cum in rem Jurisprudentiæ sit susceptus, eo majore gratia excipiendus est.

Jam, ut ad textum Librorum ipsum veniamus, eum diligenter expressum esse, vere affirmare possumus; Latina autem interpretatio, a *Reitzio* facta, & justa, & fida, est: in annotationibus denique Clariss. Editor id potissimum operam dedit, ut & lectionem rectam stabiliret, collatis Juris *Justinianei* locis, textui tam Basilicorum, quam Juris *Justinianei*, lucem affunderet, & vitiosam etiam in vulgaribus libris scripturam Juris *Justinianei* ex his Libris corrigeret. Quorum omnium plenæ sunt, quamvis breves, subjectæ animadversiones. Non erit necesse, fidem dictis facere, afferendis harum rerum speciminibus: cum Clariss. Editoris doctrina ex *Theophili* editione luculenta Lectoribus notissima esse debeat. Non possumus tamen facere, quin duo loca duntaxat ex his Libris depromamus, quibus planum fiat, quam egregia, uti ex ceteris, ita etiam ex his Basilicorum Libris, adjumenta peti possint interpretationis Juris *Justinianei*, rectæque lectionis firmamenta. Jam igitur in *l. 7 D. de oper. libert.* Cod. Flor. habet *nomenculator*; *Accursius* legit *mimiculator*, hoc est, gesticulator, quæ vox nihili est; alii *numiculator*, vocabulum item nullius autoritatis; *Charondas* denique ex MSS. *miniculator*. In quarum lectionum æstimatione & judicio quamvis plerique autoritatem libri Florentini sequantur; tamen fide horum librorum efficitur, ut rectum putemus *miniculator*. Nam *pag.* 22 vocabulum, quo de agitur, expressum est per *καλλιγρά-*

φος,

Qæ Neque minus ex his Libris *pag. 83* doceri potest, recte *Jensium Strict. Pand. pag. 454* judicasse, in *l. 14 §. 2 D. de Except.* aut *sapius*, aut *variis ex causis*, excidisse.

Altero loco positi sunt *Thalelæi*, *Theodori*, *Stephani*, *Cyrilli*, aliorumque JCtorum Græcorum, Commentarii, in *Tit. Dig. & Cod. de Procuratoribus & defensoribus*, Græce & Latine, ex editione & cum Notis *Dav. Ruhnkenii*. Atque hæc est *altera Pars* eorum Commentariorum, quorum *priorem Partem*, in *Tomo III* hujus *Thesauri* a *Ruhnkenio*, V. C. editam, alio tempore in his *Actis* indicavimus. In qua edenda quam eruditionem, quamque diligentiam, demonstrarit *Ruhnkenius*, cum jam eo in loco planum fecerimus; non attinere credimus, pluribus de hac *altera Parte* dicere. Eadem enim diligentia, eadem doctrina, idem judicium, *Ruhnkenii* etiam hic eminet.

Hos Græcos, vere inæstimabiles, libros sequuntur non inferiores *Francisci Ramos del Manzano* ad Leges *Juliam & Papiam*, & quæ ex libris JCtorum Fragmenta ad illas inscribuntur, Commentarii & Reliquationes. Accedunt Dissertationes duæ extemporales, prior ad *Titum Cajum* de usufructu municipibus legato *l. 3. Dig. de Usufr. leg.* altera de Domesticis & Protectoribus ad *l. 2. C. de Excus. & mun.* His omnibus præmissa est Autoris vita, scriptore *Greg. Majansio*, nunc primum edita. In quibus excellunt haud dubie Commentarii ad Leges *Juliam & Papiam*, summo jure a *Meermanno*, V. C. huic *Thesauro* illati. Præstantissimi enim & omni genere doctrinæ refertissimi sunt, atque his quidem in terris ante invisitati. *Heineccius* adeo, cum Commentarium in Leges easdem elaboraret, frustra eosdem quæsiverat. In multis, qui ad Leges illas scripti sunt, Commentariis principes haud dubie sunt *Jac. Gothofredi*, *Rami* nostri, atque *Heineccii*, Commentarii: quorum uti magna est differentia, ita tamen sua cuique laus, sua est præstantia. Brevior est atque strictior *Gothofredi*; uberior, atque fusior, *Rami*; medius quasi & interjectus *Heineccianus*. In multis capitibus nondum satis acute viderat *Gothofredus*; in quibus & *Ra-*

mus & *Heineccius* recte. Quodsi *Ramus* tantum atque tam elegantem rerum delectum, modumque, judicium, atque ordinem, adhibuisset, uti *Heineccius*, multis partibus haud dubie omnibus esset præstantior, aut, si *Heineccio* tantas dederis literarum atque eruditionis divitias, quantas *Ramus* proposuit, haud dubie illo carere possemus. Neque enim tantum doctrinæ cujuscunque generis paratum, ubiubi quæsieris, quantum hic, invenias: in eo solum peccare videtur de more Hispanorum JCtorum, quod sæpe sine necessitate & causa ultraque modum opes doctrinæ profundit suæ. Ceterum, quemadmodum *Heineccianus* labor, in digerendis legum istarum capitibus, ab ordine *Gothofrediano* recedit, ita etiam valde *Rami* judicium discrepat ab utroque: uti quilibet, comparanda capitum serie, intelligat.

In fronte libri posita est series capitum Legis *Juliæ* & *Papiæ*, uti quidem Autor capita in ipsis legibus ordinata, atque conjuncta, putat fuisse. Sequuntur deinde Commentarii ipsi, in *quatuor Libros* tributi. Quorum quidem *primus* totus pertinet ad origines & causas legum istarum, simulque eruditam atque jucundam *de Lege Julia de vicesima hæreditatium* complectitur digressionem, uberem atque copiosam rerum atque literarum quasi fœtu. Neque enim veremur affirmare, quamvis *Burmannus* haud dubie in tradenda historia atque origine Legis *Juliæ* de vicesima hæreditatium principatum obtineat, tamen in hac digressione eum, interpretandis capitibus JCtorum, ad eam Legem in Pandecte pertinentibus, a *Ramo* longe multumque superari. *Alter Liber* persequitur ipsa capita Legum *Juliæ* & *Papiæ*. Innexa sunt, quasi obiter, multa πάρεργα, ex Jure Pontificio, & Hispanico, ex antiquitatibus denique. *Liber tertius* versatur in explicando eo capite Legis *Papiæ*, quo permittuntur ingenuis nuptiæ cum libertinis mulieribus, ad *l. 23 D. de Rit. nupt.* simulque quasi mantissam appendit juridico-politicam, de potestate civili & ecclesiastica, & utriusque finibus, circa nuptias, & violentiam. Non pauca etiam hic reperiuntur obiter, sed tamen copiose, tradita, de juribus ingenuorum, quibus antecesserint libertinos, de Lege

Lege Visellia, de Constitutionibus Pontificum de nuptiis ingenuorum & libertinorum, de verbis *fraus, pœna*, & *multa*, ad *l. 131 D. de V. S.* de vestimentis, ornatuque meretricum ex jure & antiquitate Romana, multaque alia capita ex antiquitate Romana & ecclesiastica. *Quartus* denique *Liber* spectat nuptias, Legibus Julia & Papia prohibitas, inter affines, qui invicem liberorum parentumque loco sunt, aliaque Legum istarum capita, veluti Legem *caducariam, decimariam, de fideicommissis, in fraudem legis factis*, &c. Atque hujus quidem *Libri* capita inscripta sunt nomine *Reliquationum*. Ceterum etiam in hoc *Libro* tractantur leges & scripta de nuptiis sexagenariorum & quinquagenariorum, Lexque Voconia: in quibus tamen Autor sibi non cavit a vulgaribus erroribus, quos primus maxime *Perizonius* in Dissertatione *de Lege Voconia* indicavit, atque convicit. Quod etiam de multis aliis capitibus dicendum est: veluti de eo loco, quo agitur de Lege Julia Miscella; quæ omnia hic persequi, nimis longum foret. Satis enim dictum de hisce Commentariis.

Jam de duabus additis Dissertationibus extemporalibus breviter strictimque nobis disserendum videtur. Prior ad *Titum Cajum* ab Autore admodum juvene, brevi temporis spatio, elaborata est, in ipsis auspiciis Professionis, Salamanticæ ab Autore aditæ. Est autem argumentum ejus, in quo versetur, ususfructus municipibus relictus: qui, quoniam municipium nunquam moritur, ex sententiis JCtorum lapsu centum annorum exspirat, ne nuda proprietas semper sine ullo fructu maneat. Verum quæritur, quomodo consistere cum isto decreto possit hoc, quod traditur in *l. 68 D. ad L. Falcid.* ubi JCtus, *ususfructus*, inquit, *si reip. legetur, sive simpliciter, sive ad tempus, triginta annorum computatio fit.* Qui hunc locum interpretati sunt, eorum omnium, præter *Cujacium*, sententiæ probari non possunt. Hic autem in *Libro singulari de Præscript. Cap. 30* arbitratur, usumfructum, universitati legatum, non aliter æstimari, ac si infanti relictus foret, quem, spes sit, diutissime victurum esse. Ejusmodi autem usumfructum non diutius durare, constat. Igitur, cum quæstio

est,

est, quo tempore usufructus ejusmodi exstinguatur, aestimatio fit ex aetate senis longaevi; ususque fructus centum annorum finibus terminatur. Ubi vero Quartae Falcidiae, de usufructu deducendae, judicium incidit, usufructus, municipio, vel universitati, legatus, aestimandus est ex reditu triginta annorum, inde recipiendo. Neque enim usufructus, infanti relictus, aliter computatur. Atque hanc interpretationem *Cujacius* debet *Patricio*, veteri JCto, qui, autore *Harmenopulo II, 12*, eandem rationem iniit. Inde quaestio disceptatur ab Autore, quo tempore legatum annuum, civitati relictum, desinat. In quo quidem plerique existimant, tale legatum centum annorum lapsu exspirare. Autor vero sententiae subscribit eorum, qui putant, tale legatum semper ac perpetuo peti posse. Neque enim eam caussam hic locum habere, quae facit, ut aliquando finiatur usufructus. Porro Autor, quibus caussis municipium, vel civitas, plane dissolvatur, quibusque modis municipia Romana jus civitatis amiserint, docet, tandemque eum locum Juris Romani exponit, cum quaeritur de facultate & jure, municipiis fideicommisse, legata, vel haereditatem, relinquendi: duoque eam in rem *SCta Aproniana* facta fuisse, statuit.

Altera Dissertatio extemporalis *l. 2 C. de excus. mun. Lib. X* illustrat. Ejus duo potissimum sunt capita: primum de inscriptione istius legis, alterum de Protectoribus ac Praepositis, quibus ibi immunitas concessa.

Proxime positum est ejusdem *Fr. Ramos del Manzano* Schediasma de Concubinis, earumque tum similitudine, tum differentia a legitimis uxoribus. Quod quidem haud dubie dudum periisset, nisi *Ferdinandus Aria de Mesa*, *Rami* quondam collega, suo nomini, suaeque autoritati, adscriptum, ac suppositum, Variarum Juris Resolutionum libro, quasi familiae alienae, inseruisset. Argumentum ipsum, & capita, vel ex ipso titulo Schediasmatis, quasi lucent. Neque vero, quamvis & hic multa doctrinae copia exposita sit, tamen excellenti laude dignum judices. Atque haec sunt *Rami* scripta ea, quae in hunc *Tomum* illata sunt. Alias ejusdem Autoris

Prae-

Prælectiones egregias, ineditas, proxime, una cum *Retesii* aliorumque præclaris scriptionibus, in lucem prolaturum se, hisque finem huic *Thesauro* facturum, promittit Cel. *Meermannus.*

Ultimum locum accepit *Emanuelis Soarez a Ribeira* Observationum Liber primus. Plures autem lucem non adspexerunt. Vitam Autoris *Meermannus* in Præfatione breviter perstringit, deque ejus eruditione & doctrina præclare existimat. Neque negari potest, idque vel ex hoc Observationum libro intelligitur, eum non parum in libris tam Romanorum, quam Græcorum, JCtorum versatum fuisse. In quos ille sæpe iniquus est. Nam, quos errores ille *Triboniani, Justiniani, Theophili, & Harmenopuli, Cap. XIV, XV, & XVI,* arguit, eos maximam partem eo numero habendos non esse, intelligentes æstimatores facile viderint. Quos, præter hunc Observationum librum, edidit libros, ii omnes in forensi usu tradendo disceptandoque versantur. Ceterum eo labore supersedere poterimus, ne indices Capitum hujus libri ponamus, cum ex inscriptione & indole Observationum facile sit ad æstimandum, singularia Juris civilis loca, quæstionesve, hic pertractari disceptarique debere. In censura autem hujus libri etsi non recedimus omnino a sententia *Meermanni,* non tamen, summorum interpretum operibus annumerandum esse, existimamus. Multa, hic tradita, & alibi explicata invenias, in multis etiam, ut humanitas fert, erratum perspicias.

Ceterum, quod accepimus, non possumus non hoc loco referre, Clariss. *Meermannum* in eo esse, ut propediem duos ultimos *Thesauri* hujus *Tomos*, quos, tanquam bonus atque æquus venditor, mantissæ loco promisit, in lucem emittat. Quorum suo loco mentionem facere, non cessabimus.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΩΣ ΠΕΡΙ ΣΥΝΘέσεως ὀνομάτων. *DIONYSII HALICARNASSENSIS de structura orationis liber. Ex recensione JACOBI UPTO-*

UPTONI, Art. Med. Collegii Regalis apud Cantab. nuper Socii, qui & veterem interpretationem emendavit, & Notis integris FRIDERICI SYLBURGII, selectisque aliorum, suas passim Animadversiones adjecit. His accesserunt SIMONIS BIRCOVII Exempla Latina, cum duobus Indicibus. Editio tertia, prioribus emaculatior.

Londini, privato Autoris sumtu excudebatur typis Jo. Bettenham, 1747, 8 maj.
Plag. 22.

Tertia hæc est hujus libri editio, de qua exponere hoc loco, cum præcedentium habita ratio in his *Actis* non fuerit, operæ pretium judicamus. *Dionysii*, subtilis Critici atque Rhetoris, ipsum librum, ut perutilem, qualis est, oratoriæ artis studioso, laudare velle, pæne supervacaneum sit. Quem enim tandem fugit, hunc librum, ut alia multa egregia continet illius artis præcepta, sic præcipue illas artes, quibus numerosæ sonoræque, & apte molliterque labentis, dictionis facultas acquiratur, persequi. *Uptoni* autem ad eum notæ sunt generis medii, neque tam breves, ut necessaria prætereant, neque tam copiosæ, ut a proposito aberrent, sed tales, quales ad explanandum Autorem sufficere posse videantur. Quos *Dionysius* passim laudat Scriptores vetustos, eorum vitas breviter perstringunt, variarum lectionum e Notis *Hudsonianis* excerpta præcipua præstant momenta, conjecturas emendando Rhetori afferunt, plerasque non improbabiles, quasdam quoque perelegantes. Sed & in alios Autores, perparce tamen, excurrunt. Cujus rei pauca quædam exempla statim dabimus, simul ac dixerimus, *Sylburgii*, viri doctissimi, & qui rara cum diligentia dexteritateque *Dionysium* curavit, notas integras textui subjectas, & *Simonis Bircovii* Exempla Latina, seu e Latinis Autoribus petita, quibus præcepta ad exempla Græca *Dionysiana* comparari queant, in fine addita haberi.

Inter

Inter Autores, quos *Uptonus* præter *Dionysium* data occasione illustrat, aut emendat, occurrit *Hephæstio*, ad cujus perobscurum illum versum, Ἐρξίη πῆ δῆτ' ἄνολβος ἀθροίζεται ςρατὸς, observat *pag. 22* ex *Herodoto*, primam vocem esse nomen *Darii*, regis Persarum. Versum *Alcæi*, qui apud eundem *Hephæstionem* habetur, emendat *pag. 181* sic: Αἴαν, τὸν ἄριςον πεδ' Ἀχιλλέα. *Ajacem, præstantissimum post Achillem*, (πεδὰ Æolice dictum est pro μετὰ,) pro quo vulgati libri πέδ' exhibent. *Pag. 217* agitat locum *Quintiliani* ex libro *ad Tryphonem*, in quo hæc verba leguntur: *Permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur.* Non satis expeditum, ait, fuisse, quid sibi dictio *oram* velit; mirarique se, qui potuerit inepta & vitiosa dictio adeo *Politiano* placere, ut ea, velut exquisitam quandam elegantiam præ se ferente, in epistola quadam sua uteretur. Sibi dubium non esse, quin *ancoram* substituendum sit. Dictionum porro haud vulgarium, quas *Dionysius* intexere suo sermoni amat, vir in veterum Autorum lectione versatissimus, eorumque imitator, sed infelicior, quam judex, specimen hoc sit. *Pag 36* exagitat *Dionysius Hegesiam Magnesium*, historiarum conditorem, quæ perierunt, languidum, frigidum, & ridiculum scriptorem, quod alio loco Rhetor noster allatis demonstrat exemplis. Hunc itaque ibi loci, quo diximus, ἱερέα λήρων scite appellat, *sacerdotem nugarum*, id est, talem hominem, qui non ipse tantum omne nugarum genus perfecte calleat, sed etiam alios doceat, iisque præmonstret. Desumtam esse dictionem ex *Aristophanis Nubibus*, indicat *Uptonus*, & expressam quoque a *Cicerone* in illo *pro P. Sextio*, quando aliquem *scurrarum scortum*, *stuprorum sacerdotem*, appellat. Veteribus nempe Sacerdotes promi condi omnis erant sapientiæ.

Possunt pauca hæc, hactenus dicta, lecturis rationem hujus non magni libri sufficientem dare, ut constet, quid ab illo exspectare debeant. Mittendus itaque nobis *Dionysius*, & ad alia promovendus esset gradus. Morantur tamen & retinent insignia duo & satis longa illustrium quondam ingeniorum monumenta, quæ, beneficio *Dionysiani* hujus libri ab in-

teritu asserta, ad nos pervenerunt, ceterorum parte longe maxima æternum deperdita. Sunt autem *Sappho* Poetria, & *Simonides*; quorum illius oda, ut videtur, integra *pag. 206 seq.* hujus fragmentum viginti versuum in ipso libri fine, leguntur. Quæ cum legi, si non rerum causa, at certe tamen dictionis gratia, mereantur, nondumque, ut par fuerat, a doctis viris emendata & perpolita sint; speramus, non peccaturos nos esse, aut difficulter veniam impetraturos, si data hac occasione nostram quoque operam lepidis opusculis impendamus. *Sapphus*, aut *Sapphonis*, odam exhibuit *Uptonus* (quod & *Hudsonus* in editione sua fecit) eo modo, quo *Isaacus Vossius* eam constitutam habere voluerat. Quod non oportebat. Quamvis enim negari nequeat, acute *Vossium* in multis vidisse; liquet tamen *Sylburgiana* editionis *pag. 26* consideranti, veterem lectionem aut probam passim esse, aut saltem veræ lectionis vestigia indicare, quæ a *Vossianis* conjecturis obscurata fuerunt. Exemplo sit *versus secundus tertiæ Stropha*, quem veteres editiones talem dant: ὠκέες στρȣθοὶ, πτέρυγας μελαίνας πυκνὰ δινεῦντες. *Ferebant te, o Venus, passeres e cælo per medium aerem, frequenter motitando & plaudendo alas nigras.* Offendebat *Vossium* epitheton *nigras*, negabatque, passerum colorem nigrum esse; ideoque substituebat περὶ γᾶς pro πτέρυγας, & inde est, quod recentiores editiones, hoc expuncto, illud exhibeant. At non cogitabat vir eruditissimus, non tantum vulgatam lectionem ratione non improbabili posse defendi, sed etiam inesse conjecturæ suæ incongruum aliquid, a quo Poetriæ sermo absurdus & sibi contradicens efficiatur. Alæ nigræ facile possunt passeribus tribui, quorum color natura brunnus & cinereus est; & præterea omnes aves, in profundo aere volantes, (de quibus Poetria loquitur) apparent nigræ, qualiscunque tandem coloris sint. Absurdus autem, si quis recte reputet, sermo est, quem *Vossius* Poetriæ affingit. Latina hæc legens, quotus est quisque, qui intelligat? Celeres passeres *ferebant te circa terram nigram, frequenter motitantes alas a cœlo per medium aerem.* Quod medio in aere contingit, nequit circa terram contingere. Aut,

si

si *Vossius* ἄγον & περὶ γᾶς junctum voluit, *ferebant te versus terram*, peccavit in Græcæ linguæ indolem, quæ talem dictionem non patitur. Omnis difficultas hujus loci, & menda, quæ non nisi in metro residet, tollatur, si pro δινεῦντες legatur δινέευντες, addita una syllaba. Est sensus idem, vox & dialectus eadem. *Versu primo quartæ Strophæ* exhibent ambo Angli Ἄιψ' ἀλλ' ἐξίκοντο. Atqui peccatum id est in metrum. Recte habet vetus lectio Ἄιψα δ' ἄρ' ἐξίκοντο, si modo illud superfluum ἄρ' exscideris. Pariter & metri leges & sensum vehementer conturbarunt cum *Vossio* recentes editores, & soloecismos intellectu haud faciles affrixerunt purissimo carmini, edendo:

— — — τίνα δ' αὖτε πείθη-
μι σαγήνεσσαν φιλότητα; τις σ', ὦ
Σαπφοῖ, ἀδικῆ;

Hæc sic Latino carmine reddunt:

Cuinam teneros amores
Suadeam capto? (*Venus* loquitur.) *Tibi damna, Sappho,*
Intulit ecquis?

Vetus editio *Sylburgiana* sic præstat locum: τινα δ' ἔυτε πύθωμαι σαγηνεῦσαι φιλότητος σ' ὦ Σαπφὼ δίκην. Unde haud difficulter hæc sententia exsculpatur:

— — — τίνα δ', ἔυτε πύθω-
μαι σὰν ἐκνεῦσαι φιλότητ', ἀναγκάσω σ', ὦ
Σαπφὸ, διώκειν;

— — — *& quemnam, ex quo intellexero,*
Eum devitare tuos amores, cogam eo, ut te,
o Sappho, persequatur?

Ultimus versus sextæ Strophæ hic est: ἢ κὶ ἐθέλλοις, in editionibus Anglorum, quod quid sibi velit, ipsi non exponunt, & Latina interpretatio plane præterit intactum. *Sylburgiana* edi-

editio habet κῶτι καὶ θέλεις. Videtur *Sappho* ſcripſiſſe κῶ τι μ' ἔθελγες, *neque me vanis pollicitationibus ductitabas, fallebas.* Alloquitur nempe *Venerem*; & vult dicere: *ut olim leniebas meum dolorem ſolatiis non vanis; ita nunc quoque ades.* De uſu verbi θέλγειν pro ἀπατᾷν conf. *Heſychius* in Θέλγειν & Ἔθελγεν, ubi pro καλεπόνει reponi debet καληόνει. Vitium ibi natum eſt ex ſolenni librariis permutatione literarum Η & Π.

Hæc ad odarium *Sapphus*. Ad *Simonidæ* fragmentum pauca iſthæc. Argumentum ejus eſt *Danae*, quæ in arca, in quam una cum filio *Perſeo* incluſa ab immiti patre, *Acriſio*, fuerat, per mare fertur, a ventis jactata, & ſortem ſuam deplorat. Orditur ab his verbis:

> Ὅτε λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ ἄνεμος
> Βρέμῃ πνέων, κινηθεῖσα δὲ λίμνα
> Δήματι ἔρειπεν, ὄυτ' ἀδιάντοισι
> Παρειαῖς, ἀμφί τε Περσεῖ, &c.

Verſio Latina ſic ea reddit:

> *Cum navigio, eleganti arte compoſito, ventus*
> *Infremeret ſpirans, pelagique ſtagna commota*
> *Aſpero fluctu id eſſent everſura, haud ſiccis quidem*
> *Genis, Perſeoque circum injecit*
> *Amicam manum, dixitque: O fili,* &c.

Nimium eſſet, omnia hujus verſionis vitia, & incongrua, Græcæque Grammaticæ adverſantia, perſequi. Monendum tamen hoc, illud *tertii verſus*, *aſpero fluctu*, exprimere lectionem quorundam Codicum, κύματι exhibentium pro δείματι. Satis id indicat, quamvis per ſe quoque liqueat, locum hunc affectum eſſe. Nobis quidem videtur *Simonides* δείματι πέπλον ἔρειπεν reliquiſſe, & comma poſt λίμνα in fine *ſecundi verſus* poni debere.

Cum

Cum in arca, artificiose confecta, ventus
Fremeret spirans & commotum mare:
Abjiciebat (Danae) *peplum præ metu, neque non uvidis*
genis.

Continuat tum *Danae* sermonem ad filium dormientem. *O fili*, ait, *quas & quantas tui causa tolero ærumnas! tu vero infanti animo dormis in domo illætabili* (arcam designat).

ἐν ἀτερπεῖ δώματι
Χαλκεογόμφῳ δὲ νυκτιλαμπεῖ,
Κυανέῳ δὲ δνόφῳ. τὺ δ' ἀυαλέαν
Ὕπερθε τέαν κόμαν βαθεῖαν
Παριόντος κύματος ὐκ ἀλέγεις.

Clavisque ferreis compacta, sub incerta lunæ,
Atraque caligine. Tu porro siccam
Supra tuam cæsariem profundam
Assilientem fluctum nil curans.

Ita reddit Latina vulgata interpretatio, dubie quædam, alia inficete. Debebant autem (nisi fallimur) *secundo versu* verba sic ordinari: χαλκεογόμφῳ, νυκτὶ δ' ἀλαμπεῖ, & *versu tertio* ἂν θαλεςὰν scribi. Nam ἀυαλέα, *sicca, squalida coma*, prorsus non congruit huic loco, cum βαθεῖα, *densa, profunda*, sequatur, & καλὸν πρόσωπον, *pulcher vultus*. Ambo isthæc in corpus bene habitum, & cui cuticula nitet, illud, *squalida coma*, in corpus macie enectum, cadunt. Caneret autem, conjecturis illis admissis, Poeta sic:

Dormis in domo illætabili,
Æneis clavis confixa, nocte obscura, quam luna non illustrat;
Caeruleaque nebulosa caligine. Tu nihilo minus
Non curas undas, supra floridam tuam
Densam comam transeuntes.

Sunt

Sunt & in ſequentibus verſiculis graviter affecta quædam; quæ qua ſanemus certa medicina, cum non habeamus, mittere malumus, quam Lectores incertis conjecturis onerare.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIARUM Imperialis Petropolitanæ. Tomus XII, ad Annum MDCCXL.

Petropoli, typis Academiæ, 1750, 4 maj.
Alph. 2, Tabb. æn. 10.

Pag. 3. Claſſis *mathematica* contenta hæc ſunt: 1) *L. Euleri Inveſtigatio curvarum, quæ, evolutæ, ſui ſimiles producunt.* Si e curvæ cujusdam evolutione naſcitur alia, hæc ipſa dicitur illius evoluta καθ' ἐξοχὴν; quæ ex hujus denuo evolutione gignitur, dici poterit prioris evoluta ſecunda; quæ e ſecundæ evolutione prodit, ejusdem prioris erit evoluta tertia, atque ita porro; ut adeo evolutarum curvæ alicujus nomine generatim comprehendantur omnes curvæ, quæ ex evolutione tam ipſius, quam evolutarum iterum, produci poſſunt in infinitum. Hac itaque ſignificatione, latiſſime patente, poſita, quærit hic Cel. Autor curvas, quarum evolutæ cujusvis gradus ipſi poterunt eſſe ſimiles: id quod de evolutis primis tantum præſtitit in *Comm. prec. Krafftius.* Non tamen de ipſis his curvis, viaque ſimpliciſſima eas inveniendi, adeo hic fuit ſollicitus Cel. *Eulerus*, ſed potius de ipſa methodo, ad eas eruendas adhibita. Cum enim eas quæſiverit e relatione inter arcum curvæ, & reſpondentem radium curvedinis, qua ratione ad differentialia altiorum graduum pervenitur; id ſibi potiſſimum propoſuit, ut hac occaſione varias methodos, æquationes differentiales altiorum graduum reſolvendi, edoceret, quæ & in aliis ejusmodi inveſtigationibus apprime uſu veniant. Sed ante omnia monenda quædam ſunt de ipſa natura ſimilitudinis, quatenus hic aſſumitur: ſi nempe curva habet evolutam talem, ut, facta evolutione, ſemper punctum, quod deſcribitur, ſit homologum puncto evolutæ, a quo gigni-

gnitur; tum curva dicetur evolutæ suæ *similis*, & quidem *directe*. Alio vero modo fieri potest, ut tota evoluta sit toti curvæ respondenti similis, etsi non puncta homologa dicta ratione generentur; si nempe evoluta posita sit situ contrario respectu curvæ suæ, (quemadmodum in cycloide videre est,) tuncque appellat eas Autor *inverse similes*. En itaque duplicem casum Problematis præsentis. Ad utrumque expediendum præmittit Autor generalia quædam de nexu inter arcus & radios evolutæ, in curvis quibusvis obtinente; nec non de methodo, e data relatione inter arcum & radium osculi pro curva quapiam inveniendi consuetam æquationem inter coordinatas rectangulas. Hisce omnibus stabilitis, investigat primo curvas, quarum evolutæ primæ vel directe, vel inverse, ipsis sint similes. Priori casui satisfacit sola spiralis logarithmica; posteriori vero omnis generis cycloides, hoc est, tam cyclois vulgaris, quam curvæ omnes infinitorum generum, quæ communiter sub nomine tam epicycloidum, quam hypocycloidum, comprehenduntur. Equidem nunc Problema pro omnibus quoque casibus in infinitum quodammodo solutum videri posset: cum manifestum sit, curvam, quæ evolutam primam directe sibi habet similem, habituram quoque eodem modo similes omnes evolutas cujusvis ordinis; eam vero, quæ evolutam primam inverse sibi habet similem, habituram evolutas secundam, quartam, & generatim ordinum imparium, inverse. Sed non generatim sic solveretur Problema; quia pro ordinibus superioribus, præter allatas hasce curvas, adhuc infinitæ aliæ quæsito respondent. Ad generalem itaque solutionem, eadem, qua ante, methodo analytica inquirit porro in curvas, quæ evolutas secundas habeant sibi similes; idque vel directe, quo casu eruit quinque genera curvarum diversa; vel inverse, quo invenit alia infinita genera. Eodem modo progreditur ad evolutas tertias, &c. & generatim ordinis cujusvis, determinandas; ubi notatu dignum, omnes omnino curvas, quæ evolutam quandam sibi habent similem, per

I qua-

quadraturam circuli & hyperbolæ posse construi. Conspectum etiam generalem singulorum casuum exhibet, e quo patet, a cujusnam æquationis resolutione quivis casus dependeat, quæque pro omnibus semper in promtu sit, ut adeo Problema nunc perfecte solutum merito judicandum sit. Tota autem tractatio hæc est simul specimen insigne analyseos æquationum differentialium altiorum. Sequuntur 2) *Ejusdem de seriebus quibusdam considerationes.* Ansam hisce præbuit inventum Cel. Autoris, summas serierum reciprocarum hujus

Pag. 53.

formæ: $1 \pm \frac{1}{3^n} + \frac{1}{5^n}$ &c. generatim a quadratura circuli pendere. Inde porro deduxit varia, tam ad ipsas has series, quam ad alias, earumque summas, pertinentia; sed de quibus, cum longiorem calculi expositionem desiderent, atque methodis saltem particularibus innitantur, plura dicere,

97. instituti nostri ratio non permittit. 3) *Dan. Bernoullii Commentationes de oscillationibus compositis, præsertim iis, quæ fiunt in corporibus, e filo flexili suspensis.* Oscillationes *compositæ* sunt, quando non singulæ partes systematis corporum itus reditusque suos simul incipiunt, simulque finiunt (prout fit in oscillationibus corporum, e filo rigido firmatorum, & suspensorum, jampridem a Geometris consideratis,); sed diversæ systematis partes diversis temporibus oscillationes suas perficere possunt, quamvis nexus partium talis sit, ut singularum oscillationum indoles a mutatione uniuscujusque mutetur. Hujusmodi oscillationum exemplum dedit jam Vir Cel. in *Comment. Tomo VI*, desumtum a corporibus, filo flexili connexis, & suspensis; aliudque in *Tomo prec.* a corporibus, humido insidentibus, & duplicem oscillationum speciem, quarum una ab alia pendet, habentibus. Differunt autem eæ quammaxime a simplicibus, præsertim eo, quod valde sint inæquales, dum quævis systematis particula excursionem facit modo majorem, modo minorem, eamque absolvit nunc citius, nunc tardius. Notandum vero, posse excursionum magnitudinibus assignari talem proportionem constantem, ut ea, semel

femel pofita, perpetuo confervetur, fiantque ofcillationes omnes & uniformes, & tavtochronæ; imo omnes ofcillationes compofitas ad hunc uniformitatis ftatum continuo tendere, eoque tandem fe fponte componere. Exemplum hujus videre eft & in catena ofcillante, & in chorda mufica vibrante. Principiis hifce generalibus præmiffis, confiderat Autor corpora finitæ extenfionis, e puncto fixo, mediante filo flexili datæ longitudinis, fufpenfa. Hæc corpora, cum hinc inde agitantur, motum angularem duplicem obtinere poffunt, alterum, quo angulus filum inter, & rectam verticalem, per punctum fixum tranfeuntem, continuo mutatur; alterum, quo angulus inter idem filum, & rectam, quæ tranfit per punctum, ubi filum corpori alligatur, & per corporis centrum gravitatis, perpetuo variat. Jam hi motus angulares poffunt fimul incipere & definere, tumque ofcillationes ad ftatum uniformitatis reductæ funt. Hunc ftatum, utpote fimpliciffimum, folum hic fibi confiderandum fumfit Autor. Ope principiorum itaque mechanicorum inveftigat conditiones, eo requifitas, ut ejusmodi ftatus obtineri queat. Solutionem tradit generalem æque ac facilem, eamque applicat tam ad virgam utcunque inæqualiter gravem, quam ad plana, & corpora; unde fimul confirmatur fuperior fententia, ofcillationes compofitas ad ftatum uniformitatis tendere. Jam legitur 4) *Euleri emendatio Tabularum aftronomicarum per loca planetarum geocentrica.* Orbitas planetarum determinare, tabulasque aftronomicas condere, per loca ipforum heliocentrica, edocuit Cel. Autor in *Comment. Tomo VII.* Non autem folum in obfervandis locis heliocentricis maxima circumfpectione opus eft, fed & cautione in eligendis ita, ut in orbita fatis a fe invicem fint remotæ; quæ omnia hanc methodum in ipfa appplicatione reddunt paulo difficiliorem. Tres vero in univerfum habentur modi, ex obfervationibus loca heliocentrica concludendi, qui omnes abfolutam & perfectam Solis theoriam poftulant, quam quidem tanquam fatis cognitam affumere licet, cum ea per ipfam illam methodum ex obfervationibus exactiffime colligi queat. Primus confiftit in obfervatione oppofitionis Pag. 109.

planetæ cum Sole; adeoque valet saltem pro planetis superioribus. Sed hæc oppositio non adeo facilis est determinatu. E pluribus nempe observationibus circa oppositionis tempus, verum momentum ejus computandum est, siquidem planeta in ipsa ecliptica moveretur; sin autem latitudinem habeat, tum istud momentum ulteriori correctione indiget, ut vera oppositio secundum longitudinem inveniatur; in quo negotio ipsa jam planetæ theoria quasi cognita assumi debet. In planetis inferioribus, loco oppositionum, conjunctiones ipsorum cum Sole adhibendæ sunt. Sed hæ iterum, ob summam planetarum cum sole viciniam, raro & non satis accurate possunt institui; quare iis tantum maxime fidendum est, ubi planetæ in ipso Solis disco apparent; quod autem est longe rarissimum. Patet ergo, primum huncce modum parum ad institutum illud esse utilem. Secundus modus fundatur observatione latitudinis planetæ, e qua, siquidem tam nodi, quam inclinatio orbitæ ad eclipticam, jam ante fuerint cognita, locus planetæ heliocentricus colligi potest, ut ostenditur in *Astron. Gregor.* Sed, etiamsi hæc requisita exactissime essent cognita, tamen vel minimus error in observatione (qui tamen evitari non potest,) conclusionem reddit maxime incertam; eaque circumstantia hunc etiam modum prorsus ineptum efficit. Utrique ergo longe anteponendus est tertius, qui cognitum sumit planetæ tempus periodicum, id quod e tot, tamque diu factis, observationibus satis exacte habetur. Si enim binæ ejusmodi observationes eligantur, quæ integro tempore periodico a se invicem distant; certum erit, planetam utraque observatione in eodem orbitæ loco versatum esse, etiamsi e terra in diversis cœli locis conspiciatur, ex hac autem differentia locorum geocentricorum verus locus heliocentricus facile concluditur. Sed & hæc methodus id habet incommodi, quod difficulter & raro ad datum quodvis temporis momentum situs cujusque planetæ in cœlo observari possit. Ex his omnibus patet, quantis difficultatibus obnoxia sit determinatio illa orbitarum per loca heliocentrica. Cogitavit itaque Clariss. Autor de locis geocentricis ad eundem finem

finem adhibendis. Siquidem Problema hoc in se consideretur, facile patet, id esse determinatum, & e tribus locis geocentricis, una cum tempore periodico, orbitam planetæ posse definiri. Sed, si ad ipsam solutionem deveniatur, præbet id eam adeo intricatam calculis molestissimis, ut vix ac ne vix quidem ad praxin deduci queat: quivis enim locus geocentricus definiri debet primum loco Solis, dein planetæ tam longitudine, quam latitudine; ideoque tot quantitates diversæ in calculum introducendæ sunt, ut is non possit non fieri fere insuperabilis. Verum enim vero talis investigatio a priori ne quidem nunc requiritur, cum jam orbitæ planetarum vero satis prope sint cognitæ, adeo, ut non tam ipsa eorum theoria, quam correctio ipsius, nunc desideretur. Id ergo sibi in præsenti proposuit Cel. Autor, ut Tabulas astronomicas, jam propemodum exactas, per loca geocentrica corrigat. Quæ methodus eo est facilior, quod ipsæ aberrationes tabularum a veritate assumi possent pro infinite parvis; adeoque in calculo tractari queant prorsus ut quantitates differentiales. Videamus nunc, quomodo hoc institutum exequatur Cel. Autor. Ante omnia, cum orbitæ planetarum ex observationibus terrestribus determinari non possint, nisi orbita terræ perfecte cognita, eam hic ceu talem assumit, id quod & tuto assumere licet, cum & exacte satis jam sit determinata, &, si opus, per methodum, a Nostro tradendam, adhuc magis corrigi queat. Dein data ponit singulorum planetarum tempora periodica, quippe quæ ex observationibus, tot seculorum intervallo institutis, multo accuratius sunt definita, quam per observationes, nunc instituendas, vel exquisitissimas, exspectari posset. Ex his autem, (vi theoriæ *Neutonianæ*) simul constat ratio axium transversorum, seu distantiarum a Sole mediarum. Eandem theoriam secuturus, porro singulorum planetarum tam aphelia, quam nodos, respectu fixarum quiescere, sumit; id quod & cum observationibus apprime consentit. His positis, contemplemur nunc cum Autore tabulas astronomicas, hactenus existentes. Videbimus, quinque eas rebus, quæ ex observationibus desumuntur, niti, totidemque propterea nominibus erro-

neas esse posse: 1) loco aphelii, cujus vera longitudo potest esse major, vel minor; 2) excentricitate orbitæ, quæ potest esse nimis magna, vel parva; 3) anomalia media, ad datam æram constituta, quæ statui potest major minorve, qui error, si fuerit, pro quovis tempore idem manebit, siquidem tempus periodicum recte sit assumtum; 4) locis nodorum, quæ possunt esse aliter posita; 5) inclinatione orbitæ ad eclipticam, quæ esse poterit erronea. Unus autem planetæ locus, ex observationibus deductus, duplici modo a tabulis dissentire potest, ratione vel longitudinis, vel latitudinis. Ex Analysi Problematum vero constat, ad quinque illos errores detegendos, totidem quoque quantitatibus datis opus esse; unde intelligitur, bina planetarum loca non sufficere, terna vero adhuc unam quantitatem redundantem præbere, quæ ad confirmationem optime adhiberi poterit. Operæ jam pretium fore, remque Lectoribus haud ingratam nos facturos, speramus, si elegantis hujusce, simulque utilissimæ, methodi ulteriorem tradamus ac pleniorem expositionem. Ut igitur vestigiis Cel. Autoris insistamus, sit planetæ distantia a Sole media, seu orbitæ semiaxis transversus, $= a$, qui, cum a solo tempore periodico pendeat, in tabulis recte assignatus ponitur; excentricitas, hoc est, distantia Solis a centro orbitæ, applicata ad distantiam mediam, qualis in tabulis habetur, $= k$, vera autem $= k + dk$; anomaliæ mediæ in tabulis aberratio a vera talis, ut augeri debeat angulo dm; longitudo aphelii, a prima stella arietis computata, in tabulis $= p$, vera autem $= p + dp$; longitudo nodi adscendentis in tabulis $= q$, vera $= q + dq$; inclinatio orbitæ in tabulis $= n$, vera $n + dn$. Harum jam quantitatum eæ, a, k, n, p, q, habentur e tabulis; reliquæ autem, errores nempe dk, dm, dp, dq, dn, determinandæ erunt. Porro ex observationibus sit pro tempore quodam longitudo planetæ $= F$, latitudo $= G$; e tabulis vero computata longitudo $= f$, latitudo $= g$. Quodsi jam tabulis correctis uti liceat, errores computatarum ab observatis forent tantum quantitates differentiales, unde poni poterunt df, dg. Si nunc ipsæ f, g, e tabulis definian-



Fig. I.

niantur per expressiones analyticas, compositæ erunt e quantitatibus illis cognitis, quibus tabulæ sunt superstructæ, a, k, p, q, n, earumque erunt functiones; positis vero loco k, &c. ipsis $k + dk$, &c. habebuntur per calculum differentialem $f + df$, $g + dg$, æquationibus hujus formæ:

$$df = Adm + Bdk + Cdp + Ddq + Edn$$
$$dg = \alpha dm + \beta dk + \gamma dp + \delta dq + \varepsilon dn.$$

Ut ergo ex ipsis a, k, &c. exprimantur longitudo & latitudo; ante omnia ex anomalia media, quæ fit e tabulis $= x$, investiganda est anomalia excentri, quæ dicatur v, cum qua ita est connexa, ut sit $x = v + k.\ fin.\ v$; ex hac porro invenietur planetæ distantia a sole $y = a\ (1 + k\ cof.\ v)$, nec non anomalia vera z per æquationem $cof.\ z = \frac{k + cof.\ v}{1 + k\ cof.\ v}$. Ex anomalia vera autem, & aphelio, nodo adscendente, & inclinatione orbitæ ad eclipticam, dabitur longitudo & latitudo heliocentrica sequenti modo: Sit circulus ♈Nap♎ ecliptica, in cujus centro Sol S, $NAPn$ orbita planetæ projecta, ♈ primæ stellæ arietis locus, ad eclipticam relatus, N orbitæ nodus adscendens, A aphelium, P locus planetæ pro dato tempore secundum tabulas. Centro S per A & P sint arcus Aa & Pp ad eclipticam normales, quorum ille latitudinem heliocentricam aphelii, hic vero planetæ, præbet. Longitudo autem heliocentrica nodi adscendentis N erit arcus ♈$N = q$, aphelii A arcus ♈$a = p$, planetæ autem arcus ♈Nap. Inclinatio orbitæ ad eclipticam angulus ANa, seu PNp, $= n$. Anomalia vera arcus AP, seu $ang.\ ASP$, $= z$. Cum ergo sit $Na = p - q$, Δ^{lo} e sphærico ANa habebitur arcus $NA\ tang. = \frac{tang.\ (p - q)}{cof.\ n}$. Dicatur ipse hic arcus (qui adeo facile e tangente invenitur) $= e$; erit arcus $NAP = e + z$; unde arcus $NAp\ tang. = cof.\ n\ (tang.\ e + z)$. Ponatur arcus iste $Nap = r$, erit $q + r$ longitudo heliocentrica a prima stella arietis. Arcus vero Pp, seu anguli PSp, sinus $= fin.\ n.\ fin.\ (e + z)$, erit

TAB. II Fig. 1.

erit sinus latitudinis heliocentricae; quae ipsa latitudo dicatur in posterum s. Inventis autem ex his porro determinabuntur longitudo & latitudo geocentrica sequenti modo: Sit terrae locus tempore observationis T, ejus distantia a Sole $= c$, longitudo terrae a prima stella arietis computata, seu ang. $♈ST = u$, reliqua ut ante. Ex P demisso in planum eclipticae perpendiculo Pp, erit $Pp = y \text{ fin. } s$, & distantia a Sole curtata $Sp = y. \text{ cof. } s$. Jam in Δ^{lo} pST dantur ang. $pST = u - q - r$, latus $pS = y. \text{ cof. } s$, & latus $ST = c$. Ducto ergo ex p in ST perpendiculo pV, erit $pV = y. \text{ cof. } s. \text{ fin. } (u - q - r)$, & $SV = y. \text{ cof. } s. \text{ cof. } (u - q - r)$, unde $TV = y. \text{ cof. } s. \text{ cof. } (u - q - r) - c$. Ex his fit anguli

TAB. II Fig. 2.

pTV, qui dicatur t, tangens $\dfrac{y. \text{ cof. } s. \text{ fin. } (u - q - r)}{y. \text{ cof. } s. \text{ cof. } (u - q - r) - c}$

Quo invento, erit $u - t$ longitudo planetae geocentrica. Deinde est $Tp = \ldots\ldots\ldots \dfrac{y. \text{ cof. } s. \text{ fin. } (u - q - r)}{\text{fin. } t}$; unde oritur $\dfrac{Pp}{Tp}$ $\dfrac{\text{tang. } s \text{ fin. } t}{\text{fin. } (u - q - r)}$, quae expressio praebet tangentem latitudinis geocentricae, seu ang. PTp. Resumendo jam ea, quae antea de erroribus tabularum diximus, e formulis hisce inventis eliciendae nunc sunt aequationes differentiales, quibus hic exscribendis nos, ne nimis longi simus, supersedemus. Facile nempe habetur ex allatis dx, seu dm, per dk & dv, hinc vicissim dv per dm & dk; hinc dy per dk & dv, unde & dz per eadem. Porro dr habetur per dm, dk, dp, dq, & dn. Quo invento, est longitudinis heliocentricae differentiale $dq + dr$; latitudinis autem heliocentricae differentiale ds dabitur per dn, dz, dc. Ex his vero definiuntur mutationes in longitudine & latitudine geocentrica. Positis nempe c & u (quia Solis theoria ceu perfecta sumitur,) constantibus, habetur ex superioribus dt, unde & longitudinis geocentricae incrementum $df = - dt$; eodem-

eodemque modo & latitudinis geocentricæ incrementum dg. Quodsi nunc per observationes habeatur locus aliquis planetæ, hinc longitudo & latitudo geocentricæ F, G, eædemque computentur e tabulis; correctiones tabularum, quæ consistunt in valoribus dm, dk, dp, dq, dn, ita debebunt esse comparatæ, ut fiat $df = F - f$, & $dg = G - g$. Quare, cum hæ df, dg, ex aberratione tabularum ab observationibus cognoscantur; e tribus observationibus determinari poterunt ipsa illa differentialia dm, &c. quibus cognitis, tabulæ etiam habeantur correctæ. Erit nempe pro tabula vera planetæ distantia a Sole media $= a$, excentricitas orbitæ $k + dk$, & pariter reliquæ quantitates, exprimentur ita, ut supra exhibuimus. Jam, si de ipsa applicatione horum omnium agatur, hæc ut instituto fini respondeat, observationes debent seligi exquisitissimæ; unde primo a refractionibus antea penitus purgandæ sunt; dein propagatio lucis successiva in computum ducenda est, quod quomodo fieri debeat, Noster hic clare exponit, in usum vocata formula valde simplici, in *Diss.* ejus *de phænomenis a propagatione lucis successiva oriundis* (vid. *Comment. Tom. præc.*) eruta. A theoria hac nunc ad praxin procedit. Primo nempe methodum istam adhibet ad theoriam Solis, seu Terræ, emendandam, & quidem correctionem suscipit tabularum, ad observatorium Grenovicense constructarum. Sumit ideo tres observationes, quantum reperire potuit, exactissimas, ex iisque, ope regulæ, in *Comment. Tomo VII* traditæ, definit elementa theoriæ solaris palmaria. Deinde eandem applicat ad theoriam planetarum corrigendam, inter quos exempli loco elegit Mercurium, idque hac potissimum de causa, quod non solum loca ejus heliocentrica rarissime observare liceat, sed & quod tabulæ astronomicæ pro hoc planeta maxime differant, ideoque correctione præ ceteris indigeant. Tabulas autem corrigendas sumsit eas, quæ in *Harrisii Lexico technico* exstant; adhibitis tribus observationibus, Lutetiæ institutis. Quo facto, ut videat, an quoque tabulæ, sic correctæ, exactissime, ut desideratur, cum veritate consentiant, ex iisdem investigat transitum Mercurii per Solem, anno (quo hæc scribebat) 1740

d. 21 Apr. exſpectandum. Ceterum integrum calculum omnium, quæ hactenus diximus, extenſum ante oculos ponit, ut adeo ne minima quidem difficultas oriri poſſit iis, qui eandem methodum proprio marte applicare cupient, adeoque habeatur ea tam pro theoria, quam pro praxi, omnibus numeris abſoluta. Sed tempus eſt, ut ad ſequentia quoque Schediasmata progrediamur. Occurrit ergo 5) *C. N. de Winsheim Determinatio exactior graduum parallelorum æquatoris & meridiani, in figura telluris hypothetice ſphærica, aut (prouti per recentiſſimam obſervationem ſtabilitur,) ſphæroide.* Communicat hic initio cum lectore methodum Cel. *Euleri* valde ſimplicem, pro determinandis meridiani & paralleli telluris gradibus, ſecundum menſuram, a Cel. *de Maupertuis* & ſociis inſtitutam. Poſtea exhibet tabulas varias, & quidem primo pro ſingulis gradibus parallelorum æquatoris, per minutias æquatoris, per hexapedas Gallicos, & per pedes Anglicanos, expreſſis, poſita figura telluris ſphærica, per menſuram *Picardianam* determinata; dein pro iisdem per minutias partim æquatoris, partim temporis, exhibitis, & vice verſa pro gradibus æquatoris, per gradus parallelorum, & minutias temporis, expreſſis; denique pro gradibus ſingulis parallelorum æquatoris, per menſuram *Maupertiſianam* determinati, ſecundum dictam methodum *Eulerianam* computatis in hexapedis Gallicis. Quæ omnia, etſi non nova jam ſint amplius, tamen ſtudium & induſtriam Doctiſſ. Autoris declarant.

Pag. 222.

243. Ad *Claſſem phyſicam* relata ſunt hæc Schediaſmata: 1) *Ge. Wolfg. Kraftii de loco imaginis puncti radiantis in ſpeculum curvilineum Diſſertatio catoptrica.* Argumentum hoc eſt dignum omnino, quod ſolertius excutiatur, quippe cum de eo nondum ſatis certo inter viros magni etiam nominis conſliterit, etſi nobiliſſimum plane in Catoptrica integra locum occupet. Non morabimur hic in Autorum definitionibus imaginis variis; ſed potius exponemus ſecundum ductum Noſtri ſententias eorum de ipſo loco imaginis. Antiquiſſimi ſtabiliverunt hanc legem: Imaginem puncti radiantis ſemper apparere in concurſu catheti incidentiæ cum radio reflexo. Diſferte

ferte id posuerunt *Ptolemaeus* & *Albazen*, quos secuti sunt *Vitellio*, *Fabry*, *Tacquet*, & plures recentiorum alii. Demonstrationem petiit *Euclides* exinde, quod, obtecto loco, in quem cadit perpendicularis a puncto radiante ad speculum, hoc ipsum non videatur; *Albazen* & *Vitellio* partim ab experimento baculi, normaliter in speculum erecti, partim e principio mere metaphysico; *Tacquet*, & reliqui fere omnes, ab eodem experimento bacilli, paulo clarius saltem exposito. Primus huic sententiae obstitit *Keplerus*, dum, ad definiendum locum imaginis in curva quavis, quaerere jubet centrum circuli, in puncto incidentiae eandem cum ipsa curvedinem habentis, junctoque hoc centro & puncto radiante, asserit, imaginem apparere in concursu radii reflexi cum ipsa hac linea. Sed, hoc ipso eum nil aliud effecisse, patet, quam ut reduxerit speculum curvilineum quodvis ad sphaericum, pro hoc ipso autem antiquam sententiam adoptaverit. At meliori successu hanc plane evertit, substituitque illi primus aliam, eamque veritati quoque conformem, *Barrovius*. Mittimus, quae ad ostendendos in omnibus argumentis allatis paralogismos, quorum omnes, excepto *Tacquetiano*, vel manibus palpari possunt, affert Noster; unde patet, sententiam illam tantum pro speculis planis locum habere. De vera saltem solliciti erimus; etsi non nova amplius sit, sed post *Barrovium* aliis quoque exculta. Est nempe verus imaginis locus is, ubi duorum radiorum incidentium infinite vicinorum reflexi secum concurrunt. Hic autem est nil aliud, quam focus puncti radiantis, ab hisce incidentibus productus; ejusque determinatio facile habetur per calculum differentialem, (vid. e. g. *Hospital. Anal. inf. parv. §. 119.*) cum qua etiam consentiunt constructiones *Barrovianae*, etsi tecta analysi expositae. Attingit hic Noster difficultatem quandam, ipsi adeo *Barrovio* improbam dictam, & absque resolutione relictam. Quaeritur nempe: Si objectum, ut *AB*, sit longe a speculo remotum, oculus vero *O* proxime ad id positus, quonam in loco imago ejus apparere debeat. Tunc enim, determinatis secundum methodum praecedentem punctis *a*, *b*, quae re- TAB. II Fig. 3.

respondent punctis objecti A, B, imago cadit post oculum, ideoque non liquet, ubinam objectum videri possit; cum tamen theoria dictet, id videri debere per radios DO, EO, tanquam ex infinito intervallo fluentes. Experientia vero docet, objectum tunc apparere erectum, naturali sua magnitudine, sed paulo minus distincta. Solutio, quam tradit Noster, hæc est: Si objectum fuerit remotius, & oculus valde propinquus speculo, spatium reflectens ED esse, non quidem infinite, sed tamen adeo parvum, ut pro speculo plano haberi possit. Hoc sequenti ratiocinio demonstrat: Ducantur radii DC, EC, nec non diameter $GOCH$; ponantur radii GC, EC, DC, $= r$; $CO = a$, $OD = q$, $OE = p$; demissisque in diametrum perpendiculis DK, EQ, levi calculo invenitur, esse $OK = \frac{r^2 - a^2 - q^2}{2a} = m$, & $OI = \frac{r^2 - a^2 - p^2}{2a} = n$; quare habebitur anguli EOC sinus $\frac{\sqrt{(pp - nn)}}{p}$, cosinus $= \frac{-n}{p}$, pariterque ang. DOC sinus $= \frac{\sqrt{(qq - mm)}}{q}$, cosinus $= \frac{-m}{q}$; unde differentiæ EOD sinus $= \frac{-m\sqrt{(pp - nn)} + n\sqrt{(qq - mm)}}{pq}$. Jam vero sit oculus O speculo ED admodum vicinus, hoc est, quantitates q, p valde parvæ, erit OC, sive a, fere $=$ radio r; quo posito, fiet $m = \frac{-q^2}{2a}$, $n = \frac{-p2}{2a}$; unde sin. EOD fiet $\frac{q\sqrt{(4a^2 - p^2)} - p\sqrt{(4a^2 - q^2)}}{4a^2}$; quoniam vero ulterius respectu ipsius a evanescunt p & q, erit sin.

EOD

$EOD = \frac{q-p}{a}$; hoc eſt, (quia q & p fere ſunt æquales,) fere $= o$, ſeu arcus ED pro portioue ſpecali valde parva, ſive pro parvo ſpeculo plano, habendus; unde mirum non eſt, indicata phænomena in eo ita occurrere, prout natura ſpeculi plani ea requirit; niſi quod repræſentatio ſit confuſior, quam in perfecte plano, quia hic ſe e ſpeculis planis parvulis adjacentibus immiſcent novæ imagines, ad multiplicandam imaginem totam, etſi non cum integro effectu, tendentes. Nec prætereundum hic, allegatum phænomenon, ut nempe imagines objectorum remotorum erectæ appareant in ſpeculo cavo, non cerni in tali ſpeculo, quod parvum ſit, & convexitatem habeat magnam, quippe cum oculus tam prope ipſi applicari nequeat, ut ſpatium reflexionis efficiat valde parvum, ſeu parvum ſpeculum planum exhibeat. Ad finem perductis ſic, quæ de ſpeculis curvilineis inſtituerat Autor, coronidis loco addit adhuc dioptricum quid, formulam nempe generalem pro concurſu duorum radiorum infinite proximorum, e puncto radiante, reſpectu axis utcunque poſito, in lentem incidentium, & utrinque refractorum; ſed de qua plura dicere, in præſenti ſuperſedemus. 2) *Ejusdem de Corporum, plano inclinato impoſitorum, deſcenſu.* Propoſitum hic eſt Clariſſ. Autoris, inquirere in caſus, ubi corpus, plano inclinato impoſitum, deſcendit vel ſimpliciter, ſeu rependo, vel volvendo, ſeu rotando. Hac de re in vulgus nota eſt ea regula: Corpus deſcendere priori modo, ſi linea directionis, hoc eſt, verticalis, per centrum gravitatis ducta, cadat intra baſin, poſteriori autem, ſi extra. Verum deprehendit Noſter facto experimento, hoc adeo univerſaliter locum non habere, ſed deſcendere poſſe corpus rependo, etſi linea directionis cadat extra baſin. Porro aliis tentaminibus reperit, corpus, quod in plano inclinato deſcenderet rependo, ſi libere ſibi permittatur, ex quiete, ipſi conciliata, concitari in motum rotatorium, obſtaculo vel minimo ipſi oppoſito; ut & corpus, quod in plano inclinato deſcendit repeudo, in eodem de-

Pag. 261.

descendere rotando, si planum obducatur panno aliquo rudiori & aspero, etsi linea directionis cadat utrobique extra basin; denique corpus, in una plani inclinatione rependo, vel rotando, descendens, in omnibus aliis plani inclinationibus simili modo descendere. Unde conclusit, hæc phænomena deberi unice asperitatibus plani. Hinc formavit theoriam, qua ex idea frictionis statuitur regula alia hujus tenoris: Sit pondus corporis absolutum $= P$, frictio horizontalis (de qua citat *Dissertationem Bülffingeri* in *Comment. Petr. Tom. II,*)
TAB. II Fig. 4. $= F$; ex centro gravitatis C ducta ad extremum basis recta CF, normalis vero ad planum CE, quam vocat *lineam appressionis:* tum corpus descendere vel rotando, vel repedo, prout fuerit F vel $>$, vel $< \frac{FE}{CE} \times P$. Exinde processit ad experimenta, quæ cum theoria illa apprime conspirare, deprehendit; inter quæ eam confirmat præsertim sequens: Corpus ligneum, quod, horizonti insistens, lapsui resistere non poterat, (adeoque, vi regulæ vulgaris, multo magis provolvi debuisset in plano inclinato,) rotando tamen descendisse in omnibus inclinationibus planorum, buxini, chartacei, querni. Tacemus plura alius generis, ex parte satis paradoxa. Silentio autem præterire non possumus, theoriam huc usque usitatam ne quidem phænomenis satisfacere posse, etiamsi quæstio sit de plano & corpore imposito, omnis frictionis expertibus. Respiciendum nempe tunc esse, non ad lineam directionis, sed lineam (quam supra diximus) *appressionis CE:* corpus nimirum descendere rotando, si linea hæc cadat extra basin; rependo autem, si intra. Addit denique theoriam Cel. *Dan. Bernoullii*, ex alio quidem fonte petitam, sed præcedenti exacte
Pag. 276. consentaneam. Succedunt 3) *Ejusdem de viribus attractionis magneticæ experimenta.* Exstant plurium Physicorum recentiorum hac de re experimenta, inter quos nemo tanta cum cura in iis desudavit, quanta *Musschenbroeckius*. Fassus quidem est post plurima tentamina, nullam se omnino detegere potuisse legem generalem, seu functionem distantiarum talem, quæ pro-

proportionem attractionis exhiberet; tandem tamen in egregio Opere: *Essai de Physique, pag. 280*, pronuntiavit, dari aliquam inter attractiones duarum sphærarum, magneticæ & ferreæ, æqualium, proportionem, easque esse in ratione inversa quadruplicata spatiorum cavorum cylindraceorum, inter utramque sphæram interpositorum. Exhibet hic Noster multa experimenta similia, etsi paulo alia ratione instituta, e quibus exacte idem resultat, (nisi quod in contactu theoria hæc attractiones præbeat nimis parvas,) siquidem sphæræ sint æquales; plane autem eam extendi non posse, patet, ad casum duarum sphærarum inæqualium, sive utraque sit magnetica, sive non. Sequitur 4) *Jo. Ammanni Descriptio Cassiæ Americanæ procumbentis, herbaceæ, Mimosæ foliis, floribus parvis, siliquis angustis, planis.* Nihil hæc planta differt ab illa, quæ in *Raji Hist. Plant. Tom. III App.* dicitur *Chamæcrista Mariana flore minore*; convenit quoque proxime cum ea, quæ *Plucknetio Senna spuria Virginiana, Mimosæ foliis, foliis parvis nictitantibus*, vocata, *Tab. CCCXIV Fig. 5* delineata. Tum legitur 5) *C. F. Gellerti* Diss. *de Phænomenis plumbi fusi in tubis capillaribus.* Enumerat hic Autor experimenta, variis methodis instituta, e quibus, eadem, quæ de Mercurio nota sunt, hic quoque locum habere (uti suspicatus erat) phænomena, consequitur. Modum eum invenit optimum, ut plumbum in tubo refrigerare sineret, antequam hunc extraheret; alias enim hoc certos facere saltus, successum experimenti dubium reddentes. His addit explicationem suam causæ factorum istorum physicæ, quam cum aliis in attractione mutua particularum plumbi ponit; unde &, adhibito calculo, demonstrat, cur altitudines sint in ratione reciproca diametrorum. Habes jam 6) *Ejusdem* Diss. *de Tubis capillaribus prismaticis.* Nova hæc est omnino materia, a Physicis huc usque, etsi multum jam circa tubos capillares cylindricos versatis, intacta relicta. Ante omnia præparationem eorum, quæ prima fronte videri posset paulo difficilior, ostendit. Fit nempe hoc, prisma ferreum vitro candente ductili obducendo, perpetuo circumvertendo, ac forcipis ope bene apprimendo; dein, prismate educto, vitrum iterum calefacien-

Pag. 288. 293. 302.

ciendo, ut illud ex hoc possit extrahi. Hinc enarrat experimenta ipsa: altitudines nempe, ad quas adscendit aqua in parte, & angustiori, & latiori, quarum illam hac semper esse majorem, jam ex analogia tuborum vulgarium cylindricorum licet augurari. Invenit etiam, eandem regulam generalem in his quoque obtinere, quod nimirum altitudo eorum sit semper in
Pag. 312. ratione inversa subduplicata basium. Accedimus 7) ad *J. C. Wildii Observationes anatomicas rariores:* 1) *de vena cava duplici adscendente.* Divisa erat ea in duos truncos, aorta in medio existente; quorum dexter adscendens non procul ab emulgente vena vas spermaticum dextrum suscipiebat, paulo superius vero venam emulgentem, quo iterum aliud vas spermaticum adscendebat; sinister vero itidem sub vasis renalibus assumebat vas spermaticum sinistrum, posthæc binas venas renales, super quibus denique vena atrabilaria sinistra infigebatur. 2) *de vena jugulari externa, quoad progressum triplici, quoad insertionem autem quadruplici.* Ramus nempe a subclavia utrinque inter venas jugulares duabus radicibus exibat, in tracheæ medio coeuntes in ramum unum, jugulari crassitie æqualem, qui super glandula thyroidea sinistri lateris quasi immergebatur, & per canalem brevem cum vena jugulari interna sinistra tandem conjungebatur. 3) *de vena azygos trunco duplici.* 4) *de musculo singulari gemino, sternum superjacente.* Ad cartilaginem xiphoidem utrinque erat musculus, qui, superato sterno dimidio, fiebat tendinosus, seu aponevroticus, dein cum sternomastoideo intime connectebatur. 5) *de tendinum, digitos manus sinistræ extendentium, extraordinario numero.* Musculus nempe digitorum extensor communis, ordinario loco oriundus, primo ultra dimidium procedebat carnosus, dein in quatuor productiones tendinosas, ligamentum annulare trajicientes, excurrebat, quarum prima super indicis, secunda super medii digiti, phalanges in latere interiori protendebatur, tertia in duos abscedebat tendines, annularis digiti, & digiti minimi; quarta denique duos quoque ablegabat tendines, quorum unus interior os metatarsi digitumque minimum transcendebat, alter exterius latus

tam

tam metacarpi, quam digiti, occupans, juxta phalanges ipsas desinebat, & sic dictum auricularem proprium præbebat. En itaque emissos hoc e musculo tendines novem, loco quatuor, aut quinque, consuetorum. 6) *de intestino cæco, & processu vermiculari.* Observavit, præter glandulas mesenterii consuetas, prope angulum ilei & coli, alias ejusmodi, modo unicam, modo duas pluresve conjugatas, variæ magnitudinis; vasa quoque a colo, cæco, & appendicula vermiculari, occurrentia lymphatica, tam horum superficiem perreptantia, quam partim glandulis appropinquantia, partim per mesocolon in mesaræum ipsum intrantia. Præterea notavit intestinum cæcum, singularis structuræ, valde breve, & in appendicem vermicularem, spiralem, abiens. 7) *Ejusdem de renibus succenturiatis, in puero disquisitis, notata.* Spectant hæc imprimis vasa, partim arteriosa, partim venosa, eorumque ortum, ipsorum quoque renum substantiam, de quibus, nil est adeo peculiare, quod moneamus. Pag. 327.

Observationes Astronomicæ sunt omnes Clariss. *Godofr. Heinsii*; altera *Eclipsis solaris d.* $\frac{24\ Jul.}{4\ Aug.}$ *A. 1739*; altera *transitus Lunæ ad Saturnum d.* $\frac{20\ Apr.}{1\ Maj.}$ *A. 1740*; utraque Petropoli habita; denique *de declinationis siderum determinatione, absque exacta elevationis æquatoris cognitione.* Constat, fieri hoc solere per observationes siderum in meridiano ope instrumenti altimetrici, muro firmiter infixi. Quomodo autem effici hoc possit, etsi positio instrumenti hujus respectu horizontis non sit summe accurata, nec etiam elevatio æquatoris exactissime cognita, Noster hic ostendere instituit. Proponit hunc in finem, ex observationibus Solis meridianis investigari debere primo puncta divisionis instrumenti pro altitudine maxima minimaque; unde, refractionis ratione habita, dabitur obliquitas eclipticæ; hujus autem ope dein facile ex observatione transitus sideris per meridianum, refractione addi- 333. 349. 352 - 364.

 ta

ta demtave, determinatur ejus declinatio. Sola itaque negotium hic facessit refractio, quæ, cum in regionibus, polo propinquioribus, Solis meridiani parum elevati altitudinem variare nimis possit, methodum hanc tunc paulo dubiam reddit. Sed, quomodo & huic incommodo occurri queat, ope Problematis geometrici ostendit; ut adeo hæc methodus pro penitus absoluta merito haberi debeat.

NOVUM PHÆNOMENON LUCIS PERPETUÆ, a Dom. Principe DE S. SEVERO detectum. Excerptum ex Gallica ejus ad Dom. NOLLET Epistola MSta, Neapoli d. 8 Maji A. 1753. data.

Scias nempe, cum Julio anni ultimi chymicæ cuidam operationi physicorum experimentorum causa operam darem, mensesque circiter quatuor laborassem, die quadam, versus finem Novembris, hora prima noctis, urinalia quatuor chymica vitrea aperiebam, quæ tabulæ parvæ imposita erant, materiæ, quam illis concluseram, statum examinaturus. Dum autem propius forte candelam admoverem, quod in uno illorum continebatur, pondere quartæ unciæ partis granis septem imminutæ subito ignem concepit, flammaque pulchra & vivaci, subflava, deflagravit. Hoc improviso accidente attonitus, sudariolo manum munivi, ut tutus urinale prehenderem, alio translaturus, ne, si forte rumperetur, & reliqua aperta, flammam conciperent. Sed non calidissimum, ut suspicabar, verum tepidum saltem, sentiebam, ut nec sudariolo ad tenendum illud indigerem. Flamma vero hora 7 noctis, cum 6 horas flagrasset, non minus vivida integraque erat, quam sub initium. Illam igitur operculo vitreo, quo claudi solebat urinale, exstincturus, eodem adhuc gradu tepidum vitrum, quo sub initium erat, mirabar.

Die sequenti mane frustra, ut accenderem rursus materiam, labo-

laborabam; cum illam aurifcalpio eburneo commoverem, flammula inftantanea egrediebatur, ei, quæ ex fpiritu vini, a phlegmate fuo non fatis depurato, exilit, fimillima. Fruftra, ut rurfus accenderem, omnem operam impendi; diminutam materiem non comperi, perfecte eadem confiftentia prædita videbatur, qua ante, quam accenderetur, gaudebat, butyri mollis tempore æftivo. Nec vel minimam partem ponderis fui perdiderat.

Hæc tam mirabilia gradus faltem funt ad ea, quæ magis ftupeas. Ita quidem animum meum agitabant, ut 3, aut 4, diebus nil aliud cogitarem. Varias illis explicandis formans hypothefes, & repetiturus experimentum, partem fimilis materiæ ex uno reliquorum trium urinalium tubulo indidi, qui operculo in medio perforato tegebatur, addito filo tali Phyficis noto, quod igne non confumeretur, ellychnii loco, ut candelam exhiberet. Fili hujus extremum, quod exibat, larga materia unxi, candelæque flammam admovi, tunc vero accendere non poteram.

Attonitus, quod hæc non fuccederent, removi ellychnium & operculum, materiam ipfam candela accenfurus, fed & hoc fruftra. Cogitavi, an forte nimis exigua quantitate flammam non conciperet; indito igitur rurfus ellychnio, operculoque, ut non exacte tubum clauderet, fuperimpofito, omnia libræ impofui, novamque materiam aurifcalpio paulatim adjeci, jam quidem non incaffum laborans; nam, cum quartam unciæ partem minus granis 27 pondus materiæ attigerat, non computato fili pondere, flamma, candelæ admota, flagrabat ellychnium, quod eo usque conftanter renuerat. Ut igitur certus fierem, fitne hæc quantitas, ut flammam conciperet, materies abfolute neceffaria, ut major ellychnii pars prominer et, efficiebam, attollebamque operculum, paulatim auferens materiam, ut ante adjeceram. Quamprimum grani circiter pondus abftuleram, agitabatur flamma fic, ut exftinctioni proxima videretur: ftatim reddidi, quod abftuleram, recepitque vires priores flamma, jam non amplius agitata. Minor multo erat hæc flamma ea,

quam cerei monſtrant, aut lampades vulgares, flaveſcens. Manu vertici ad diſtantiam digitorum quatuor admota, dolorem auctum pungentem (*cuiſon fort aigüe*) ſentiebam, quam ferre non poteram, ibique candela accendebatur, ac ſi flammula a candela vulgari proficiſceretur. Chartam albam, per eam regionem ductam, fumo veluti fuſcabat. Lucem fundebat, non magni ſplendoris, ſed quæ literis, utcunque minutis, legendis ſufficeret.

Augendo materiam, auctum iri flammam, ut diminuta minuebatur, conjectavi, auriſcalpio, quodcunque materiæ in urinali hoc ſupererat, adjiciebam. Erant vero contenta in urinali grana 20 ſupra quartam unciæ partem, ergo grana 47 addidi, ſed inutile augmentum compertus, pallida flamma, & in ſtatu, in quo ante, erat, manente. Suſpicabar, has ejus conditiones ab ellychnio pendere, illud oleo indidi, flammamque longam & ſplendidam, qualis eſt goſſypii, vidi. Cur goſſypium non adhibuerim infra videbis.

Deſperans de ſplendore flammæ ipſaque magnitudine augendis, ſuſpenſa manu vas, flagrantem materiam continens, prehendi, alium in locum illud collocaturus. Vix quatuor paſſus progreſſus eram, cum agitaretur flamma, velut a vento vehemente, licet clauſæ eſſent feneſtræ, nullusque aer transſpiraret. Conſiſtens ergo, tabulæ, quæ ad manus erat, impoſui, tranquilliorque fiebat flamma, etſi adhuc paulatim agitaretur. Ventum imperceptibilem in cauſa eſſe, ſuſpicatus, chartæ flammam, veluti laterna, circumdedi, ſed proh! flamma ſic agitabatur, ut perterritus, oculorum uſu fere orbarer. Paulatim minuebatur agitatio, prehenſoque rurſus vaſe, lentis paſſibus viam abſolvi. Caveram igitur charta illa, ne flamma ab aere quidpiam pateretur, ſed tamen interdum agitabatur, & fortius, quam ſi non ita eſſet munita. In eum locum, ubi reſtare debebat, illam afferens, janua & feneſtræ ut exacte clauderentur, juſſi, chartam removi, & tabulæ impoſui, non ceſſante adhuc flammæ agitatione, licet minore. Certus, a vento id non proficiſci, cauſam non divinabam, manum vero tubulo, qui lucem continebat, admovens, fortuito animadverti, illo ad dextras partes pau-

paululum sublato, cessare agitationem, formarique a flamma conum valde regularem; redire vero agitationem, quamprimum sinistram versus inclinaretur. His sæpius repetitis, intelligebam, ne agitetur, poni debere in situ horizonti exacte recto; tabulam igitur exacte ad libellam esse collocandam, eique tubum perpendiculariter imponendum, quod libellæ exactioris ope perfeci. Stabilitatem tunc & tranquillitatem flamma consequebatur, etsi janua loci, in quo consistebat, aperiretur. Novo & singulari reperto ita capiebar, ut illud per aliquot horas assidens contemplarer, ut amator dominæ imaginem. Occludens deinde januam, abibam, quamdiu duratura esset hæc lux, experturus.

Sæpius, ut viserem eam, redii, timens semper, ne exstinctam reperirem. Nihil vero certius est, quam a fine Novembris usque ad 2 Maji anni modo elapsi semper lucentem flammam me reperisse, nullo motu agitatam, ejusdem perpetuo longitudinis & vigoris, quo ab initio gaudebat. Maxime vero mirabar, me pondus materiæ hac ipsa die nihil plane imminutum reperisse, sed plane tantum, quantum erat ante tres menses, cum accenderem. Ridebis, hæc legens, timores meos & gaudia mea, chymicorum eorum, aut cinislonum potius, unum judicabis, quorum animus levissima ex re ignem concipit, sed melius de his cogitabis, omnibus perceptis, quæ vidi, quæ inde colligo, & quæ hinc obtineri posse spero.

Secundo experimento, quod de hac luce instituendum suscipiebam, occasionem dabat insignis illa agitatio, in flamma conspicua, cum tubus non esset horizonti rectus. Curabam igitur construi laternam, ex charta spissiore, quadratam, magnam, superne & inferne apertam, tribus a lateribus charta, quarto vitro, clausam, ut omnia spectari possent. Lucem meam sustentaculo dimidium circiter pedem alto imponebam, lateraque tegebam, nihil motus in flamma quartam fere per horæ partem observans. Animus erat, foramen superius chartæ simili occludere, sed flamma ita agitabatur, ut exstincta fuisset, nisi statim operculum removissem, licet inferior laternæ pars non ita exacte jungeretur tabulæ, & aer intrare non

 possset,

posset, quantum opus est alii cuique lumini conservando. Perforavi deinde unum ex lateribus chartaceis quatuor, aut quinque, digitis altius basi flammæ; operi denuo foramen superius; flamma subito agitari incipiebat, non vero tanta vehementia, ut, statim exstinctum iri, metuissem, sed, quod miraberis, flamma non verticali situ amplius consistebat, sed apicem versus latus perforatum dirigebat, acutum cum tubo angulum continens, semperque satis agitata. Quamprimum operculum sustulissem, flamma priorem suam directionem rursus nanciscebatur, cessante etiam agitatione. Obturato hoc foramine, aliud statim e regione baseos flammæ feci; clausa deinde apertura superiore, vidi flammam subito vehementius multo agitatam, quam ante, sicque versus hoc foramen directam, ut cum ellychnio angulum rectum fere contineret. Versus hoc foramen apex flammæ linguæ ad modum se extendebat, ut cum lampadis flammam artifices tubulo ad fundendum vitrum, aut similia exigua, dirigunt. Ita quidem increbrescebat agitatio, ut metuens, ne exstingueretur, laternam aperirem, operculo ablato, tuncque priorem nacta rursus directionem, tranquilla consistebat. Obturato & hoc secundo foramine, aliud faciebam tribus digitis infra horizontem baseos flammæ, rursusque operculum superius imposui, sed, nisi statim removissem, profecto exstincta fuisset lux æque, ac si nullo plane foramine facto laternam superius texissem. Hoc nonne mirum tibi videtur, quod subsistere flamma hæc non possit, licet a foramine, infra basin ejus facto, aerem recipiat? Pluribus deinde foraminibus reliqua tria latera chartacea pertudi, quibusdam sat magnis, ut manus immitti possit, nihilo minus tamen, extinctum se iri, minabatur lux, apertura superiore occlusa, quia foramina hæc basi inferiora erant. His experimentis hac die contentus, laternam sustuli, lumenque, insistens sustentaculo, relinquens, cameram, in qua erat, occlusi, & abii.

Rediens eo post aliquot horas, cylindrum ligneum fieri curavi diametri circiter cerei, quo vulgo utimur, altitudinis sesquipalmaris, ferendo huic tubo, qui lumen continebat, destinatum, in parte inferiore capite cum acetabulo præditum, ut in-

inclinari pro lubitu posset, gradus vero inclinationis additi semicirculi fixi ope notari. Hæc omnia tribus diebus absoluta erant. Hujus machinationis ope cum tubulum, lumen ferentem, gradu unico infra rectum angulum inclinassem, jam leviter agitatam vidi flammam, crescente continuo agitatione, ut magis inclinabatur; poterant tamen adhuc ad hanc lucem literæ legi, donec angulus cum horizonte fieret graduum 60. Cum ad gradus 45 pervenisset, exstinctioni proximam conspiciens lucem, subito elevare volebam cylindrum, sed, succussu forte facto, misero lux omnis periit. Quod vehementer dolui, certus pluribus experimentis, exstinctam semel flammam, rursus accendi non posse. Dices, superfuisse mihi materiam in vitris duobus; sed aliter senties, ubi, quæ in animo mihi erant, aperuero. Scis, omnem me operam collocasse in ornando templo, in quo meorum sepulcra sunt; concedesque, lucem, quæ ex tam exigua materia per tres menses substitit, satis diu durare posse, ut æterna fere præstantissimum ornamentum huic templo fuisset datura.

Hanc lucem æternam, crediderim, jure appellari posse, meliori certe, quam lucem lampadum illarum sepulcralium, de quibus adhuc inter eruditos disputatur. His & eo præstat, quod aerem liberum desideret, cum antiquæ illæ locis occlusis, si vere duraverunt, per longum tempus saltem duraverint. Equidem *Chambers* in Encyclopædia docet, Doctorem *Ploot* possibilitatem lampadum æternarum docuisse, sed experimento idem rem non comprobavit, ellychnio procul dubio asbestino, & naphtha, usurus, non vero ostendens, quod flagrare diu possit nullo sensibili decremento.

Cur vero rursus præparare non possim hanc materiam, causam accipe. Nosti, quantum a gradu & regimine caloris in Chymicis pendeat; jam, cum ingredientia, unde natum est hoc miraculum, in unam officinarum nostrarum vitriariarum mitterem, de nulla re minus, quam de luce æterna, cogitabam. Parum igitur de gradu caloris, & duratione, sollicitus, ne quidem, quot dies in fornace fuerit, didici. Quod igitur superest mihi materiæ, duobus luminibus servo, in templo, de quo dixi, publice exponendis, æternis mirandi hujus reperti testibus,

ita

ita ut examinari a quovis possint. Sed crypta, cui inserentur, non nisi sub finem anni hujus 1753 absoluta erit, tuncque præsentibus Professoribus Regiæ nostræ Universitatis, & Notariis, qui de veritate facti ad perpetuam rei memoriam testentur, lumina ibi ponam. Tunc curioso cuivis liberum erit, me adire, miraculique certitudinem addiscere, de quo ita securus sum, ut, si fallam, itineris impensas vel ex China, aut America, me adeunti sim restituturus. Ipsum compositionis modum jam, ne vulgatius factum miraculum vilescat, aut ne quis idem ex libris antiquis exsculpat, celo. Hæc tamen addo:

Basis phænomeni materies est, ex ossibus nobilissimi animalis terrestris extracta, optimaque præcise sunt ossa capitis. Sed credo, adhiberi posse etiam alius animalis multo ignobilioris ossa. Accedunt varia, sed menstrua saltem, quæ abeunt rursus, nec corpus cum hac materia constituunt, quam pro vera causa habeo flammularum in cœmiteriis, in locis, ubi pugnatum est, in ipsis facinorosorum capitibus, in viis publicis expositis, forte etiam in sepulcris antiquis, quæ cum aperirentur, lucula dicitur, subito disparens, oculos feriisse, ut rustici crediderint, a lampadibus, quas forte ibidem repererunt, esse profectam, hasque admisso aere statim exstinctas. Vera hujus phænomeni ratio pendebat a salibus, in ossibus hisce contentis, qui, admisso aere, ignem concipiebant, sed subito exstinguebantur, quia non satis erant depurata. Ignis igitur hic fatuus magis, quam verus, debet appellari.

Nosti, phosphoros artificiales optimos ex urina fieri, quia salibus illa abundat. Hæc autem salia ab excremento corporis proficiscuntur, seu ab ea materiæ portione, quæ, nobis nutriendis inepta, separatur, & a nutrimento secernitur; igitur vix phosphorum præbent, nunquam ignem. Etiam salia, quæ corporis nostri partes constituentes intrant, his accensionibus momentaneis producendis idonea sunt, multitudine scilicet partium crassiorum, igni concipiendo ineptarum, involuta; & ad hanc secundam classem ignes illi fatui, de quibus locutus sum, pertinent. Tandem hæc salia, ex solidis nostris extracta, depurata, & a crassioribus inertibusque particulis separata, quibus offuscan-

scantur, &, ne satis activa sint, impediuntur, tunc demum non durabiles saltem flammas, sed & indefinitæ durationis, exhibent, & ad hanc tertiam classem lux mea æterna, de qua dixi, pertinet. Ejus phænomena explicare, jam in animo erat, sed, recensitis illis uberius, malo aliorum de ortu illorum sententias addiscere.

ANTONII GUILIELMI PLAZII, PHILOS. ET Med. Doct. Botan. Prof. Publ. Ord. Facult Med. Assessor, Academ. Cæs. Leopold. Natur. Curios. Socii, de jucundis Morborum causis Dissertationes septem, seorsim antebac in Academia Lipsiensi editæ, conjunctim nunc recusæ.

Lipsiæ, sumtibus hæredum Lanckisianorum, 1754, 4. Alph. 1 plag. 3.

Fallaces sunt rerum jucundarum, quibus subinde inescamur, species, neque tantum nocent causæ manifestæ, quæ veluti aperto marte nobiscum militant, quantum illæ, quæ sub speciosa apparitione absconditum virus alunt, & credulis imponunt mortalibus, sua pericula ignorantibus. Quod ergo pastorum est, greges ab illis arcere pascuis, in quibus nocentes herbæ nascuntur, illud Medicorum est officium, suæ curæ creditos commonefacere, illosque a variis rebus voluptuariis, vana jucunditatis imagine imponentibus, dehortari. Peractum hoc fideliter ab erudito Autore fuit, qui in se desiderari eorum nihil passus est, quibus possent ab illecebris falsæ jucunditatis deterreri cives, qui vel educationis mala consuetudine, vel exemplorum, quorum in deducendis animis magna vis est, impetu abrepti, sanitatem lento aliquo ac veluti successivo veneno corrumpunt, & illuc denique abeunt, ut etiam a cognitis sibi periculis abstinere porro nequeant, postquam, ut suam propriam calamitatem magno studio affectent, spuria aliqua gratæ sensionis perceptione, quam ex nocentium rerum fructione habent, compulsi fuerunt. *Primum* pravi istius habitus, longo usu acquisiti, experimentum ex *tabaci sternutatorii abusu*

M capi-

capitur. Tanta est plurimorum, atque ipsarum quoque fœmellarum, erga pulverem ex *Nicotiana* computrefacta, hinc in pollinem conversa, propensio, ut, magna felicitatis parte sese carere, nisi nares acri isthac medicina perfundere liceat, arbitrentur. Quantæ autem ex ista *nasi pica* miseriæ oboriantur, sero nimis percipiunt, & solent præ ceteris organa olfactus ista spurcitie obtundi, & ipsorum nervorum, quibus olfacimus, extremi tubuli obturari, ut non tantum aliquo nobiliore sensu istud hominum genus fere destituatur, sed, quod maximum exinde malum est, officina salutis, qua, sub ingruente aliqua febre catarrhali, per destillationes seri acrioris, causa majoris morbi tollitur, corrumpatur, quo ad nobiliora viscera abire illud nunc oporteat, quod, brevi via, naribus, sternutationis beneficio, exiturum erat. *Altera de potus Coffée abusu noxio* inscripta est commentatiuncula. Ipsius arbusculæ, cujus arilli gemini, ex bacca succulenta, ignis tortura, in pollinem redacti, & calida aqua perfusi, in omnium ore nunc sunt, historia traditur. Illam ex Jasminorum gente esse, equidem *Breynius* in Centuriis, atque post illum *Jussavius*, docuerunt; ast, ex infundibuli longitudine, & staminum quinario numero, & pistillo bicorni, a Jasminorum gente alienum hunc fruticem esse, ostenditur. Etiamsi autem multi sint, qui singulares hujus infusi virtutes analepticas, cardiacas, & stomachicas, prædicare soleant, aut, singularem nutriendi virtutem illi inesse, glorientur, cum aliquid forte olei ætherei illi nucleo insit, quod aliqua ex parte sub velo sachari nervos solari posset; est tamen illius decocti vis nocendi ubique major, &, uti fœtor, inter ustionem spirans, docere videtur, mere narcotica, ut historiarum memoria quoque proditum sit, languere maritos, cum isto potu abusi sunt. Certe omnes in universum sanitatis consiliarii in eo conspirant, quod *Coffée* potus, maxime ubi sedentarium vitæ genus accessit, genus nervosum præ ceteris infestet, efficiatque, ut motus vitales sensim flaccescant, illamque crasin lentam, quæ sub cachexiæ muliebris nomine nota est, sanguis sensim adipiscatur, aliis sanitatis impedimentis nunc non recensendis, quæ ex illius liquidi sacharati compotatione

pallim

passim oriuntur, quorum mentionem eruditus Autor ornata, uti solet, scriptione fecit uberrimam. *Tertia Dissertatio de morbis ex munditie intempestiva* agit, & illos, qui ex formæ cultura consequuntur, effectus præternaturales exponit. Eo enim res in consortio humano nunc rediit, ut plus placendi studio, quam sanitatis existimationi, homines tribuant, dum multæ extrema subire, quam amasio displicere, malunt, cujus ocellos in se conversuræ fœmellæ, capillos deurunt, ungunt, pulveribus conspergunt, aliquas ex ista cincinnorum coacta serie illecebras, quas natura negavit, se habere posse, sperantes. Deinde desiccant comas, quarum est, transpirabilem capitis integumentis servare habitum, atque hac sua sese comendi, seseque pectendi, libidine malam dolorum capitis, atque sæpe lippitudinis, lucrantur gratiam. Similiter pessime mulctantur, quæ nudo thorace per hyemem incedunt, fœmellæ, atque catarrhis plectuntur miserrime, quos aeris inclementia, occlusis ex frigore cutis meatibus, inducere solet. Affine huic argumentum illud est, quod *Dissertatione IV de munditiei affectatæ incommodis* recensetur, cujus ab illo præcedente ea est diversitas, quod, qui placendi studio sese corrumpunt, ex stultitia, illi autem, qui ex affectata munditie morbos contrahunt, ex præjudicatæ opinionis errore, peccasse videantur. Taxat igitur Noster nimium corporum infantilium, ex quo illa nata sunt, curam, in strictiore deligatione ac fasciatione positam, quare, incrementum æquale corporis cohiberi ac corrumpi posse, demonstratur. Sic quoque, cum beneficæ esse videri volunt, peccant matresfamilias, quando balneis vinosis aliquam corporibus infantium ingenerare volunt fortitudinem, cum id potius agant, quo indurentur corporis fibræ, & transpirationi viæ præripiantur. In his erroribus aliqua providentiæ veluti umbra est; verum excusari omnino nequeunt illi, qui voluptate, quæ bonos simul mores offendit, & animum quoque vitiat, morbos emunt, & parvi temporis sensum jucundum perpetuæ sensioni gratæ, quæ ex sanitatis constantia capitur, præferunt; ac laudandi quidem illi aliqua ex parte forent, qui præsentis temporis opportunitate frui, quam vitam precariam, carentia jucunditatum, incerta aliqua spe, redimere,

malunt. Sed pleræque voluptates imaginariæ sunt, atque illo ipso tempore, quo capiuntur, plus offendunt, quam delectant; unde *Dissertationes VI* atque *VII de oblectamentorum incommodis* inscriptæ sunt, in quibus universæ artis gymnasticæ præcepta continentur, &, sub quo moderamine omnis ætas, maxime illa vegetior, ex corporeis exercitiis oblectationem & salutis præsidium capere possit, erudite ornateque exponitur.

VINDICIÆ PRO P. EDUARDO CORSINO, CLERICO Regulari Scholarum Piarum, in Pisana Academia Philos. Profess. adversus P. FRANCISC. HOFFMANNUM, e Soc. Jes. AA. LL. & Philos. Doct. nec non Ethicæ & Historiarum nuper, tum etiam Theolog. Mor. in Univers. Prag. Profess. occasione libelli, cui titulus: Fundamentum universæ Philosophiæ moralis, ab hoc postremo Pragæ typis Academicis A. 1749 editi; Autore Anonymo.

Coloniæ, apud Petr. Marteau, 1752, 8.

Plag. 20.

Cel. *Corsini* Institutiones philosophicas primus sugillarat in Satiris *Sectanus*, ejusque commentator, *Philocardius* dictus, quos depexos dederunt *Cesellius*, & alius Poeta, adscito *M. Thymoleontis* nomine. Deinde *Hoffmannus* eum aggressus est, cujus librum Autor noster, serius acceptum, refutandum hic sibi sumit, solo *Corsini* amore, veritatisque studio, ut ait, ductus. Hæc *Caput I*, scribendi has Vindicias occasionem enarrans, continet. *Cap. II* agit de adversariis, quos sibi *Hoffmannus* præstituit. *Cap. III* ejus in conviciando male dissimulatam liberalitatem, hujusque causas, ostendit. *Cap. IV* peripateticam scribendi rationem *Hoffmanni* perstringit, quam ob phrasin mire eum exagitat Autor, cum *philosophandi* ratio alia dogmatica sit, alia Academica, *scribendi* alia Scholastica, prænotata, conclusiones, probationes, objectiones, instantias, distinguens, alia oratoria, alia geometrica, peripatetica appareat nulla, nisi *barbaram* Autor intellexerit, cujus specimen est hæc phrasis: *nihil sollicitor de verborum ornatu. Cap V*, Pisani Historiographi nomen quam recte *Corsino* tributum sit,

inquiri. Quatuor autem sunt, de quibus *Corsinum Hoffmannus* in jus vocavit: de actibus metu factis, de scientia media, de bonitate & malitia actuum interna, de usu opinionis minus probabilis. *Corsinum* vero ipsum non nominavit, sed Pisani Philosophiæ Historiographi denominatione indicavit, contumeliæ, ut monstrat Noster, causa, quia *Corsinus* sententias Philosophorum conquisiverit & recensuerit. *Cap. VI* circa actus metu gestos *Corsini* sententiam, & in ea assequenda supinam *Hoffmanni* oscitationem, monstrat. *Corsinus*, nullo metu, nullo doloris, vel mortis etiam, timore, induci debere quempiam, asserit, ut divinam æternamque legem violet, si violet, excusari a reatu non posse. De humanis legibus & actibus externis, ad societatem pertinentibus, secus censet, hicque, quod metu extortum est, pro involuntario haberi, irritumque esse. Hic aliam plane sententiam affinxerat *Corsino Hoffmannus*, & cum umbra sua dimicaverat. *Cap. VII Corsini* judicium de scientia media ab *Hoffmanni* cavillis vindicatur. Graviter offenderat *Hoffmannum*, quod scientiæ mediæ hypothesin falsam & absurdam *Corsinus* dixerat, sed, acerbiora ab Ignatianis in alios dicta esse, ostenditur. *Cap. VIII* judicium *Corsini* vindicatur, & *Hoffmanni* declamatoria levitas castigatur. *Cap. IX* habetur græcanica *Hoffmanni* eruditio, cum reliquis ejus commatis. Scripserat *Hoffmannus: αυτος εφα. Cap. X* de bonitate & malitia intrinseca quorundam actuum sermo est. Asseruit *Corsinus*, bonitatem & malitiam actionum repetendam esse a convenientia, vel disconvenientia, cum natura humana, non nude qua tali spectata, sed quatenus hac potius, quam alia, ratione a Deo constituta, consequenter ab ipsa divina voluntate, quod firmaturus Anonymus noster, ostendit, moraliter bona, vel mala, minime esse, vel esse posse, quæ naturæ humanæ, *secundum se saltem* spectatæ, conveniant, vel adversentur, cum ita *physice* saltem consideretur homo, non moraliter. Hoc *Cap. XI* magis firmatur *mendacii* exemplo, quod interne malum a Romano-Catholicis omnibus habetur. Heterodoxos quosdam aliter sentire, Autor asserit, iniquior in eos, quos hoc nomine compellat, qui *falsiloquium* a *mendacio* sollicite distinguunt, *pias fraudes, reservationes mentales*. regulam illam: *Hæreticis non esse servandam fidem, simu-*

lationem in cultu divino, & sexcenta alia ejusdem farinæ, detestantur. Jam natura humana, quocunque modo versetur, nihil habet in se sola spectata, quod mendacio contrarium sit. Imo æqualis facultas est homini mendacium ac veritatem edicendi. Equidem socialitati, & felicitati hominis, contradicit mendacium, sed sic natura humana non in se sola amplius spectatur. *Cap. XII* & *XIII* idem porro stabilitur, voluntatemque divinam necessario hic esse considerandam, ostenditur. Eadem *Cap. XIV* blasphemiæ, & odio Dei, accommodantur. *Cap. XV* dilemmati *Hoffmanni* respondetur. Quæsiverat scilicet *Hoffmannus*, num alio rerum statu odium Dei licitum esse possit. Facilis est responsio, statum talem existere non posse. Igitur, ut ipse fassus *Corsinus*, hæc ejus sententia verbis magis, quam re ipsa, a *Grotiana* recedit. *Capita XVI - XXXI* de probabilismo agunt, defenduntque *Corsinum*, illum dedecus Theologiæ appellantem, in æternam animorum perniciem invectum; *Corsini* judicium pluribus summorum inter Romano-Catholicos Theologorum autoritatibus firmant, & quæ similia sunt. Equidem inter Probabilistas numerantur Summus Pontifex unus, Cardinales sex, Archiepiscopi quatuor, Episcopi undecim, Doctores in celeberrimis Universitatibus plurimi. Sed his respondet Autor: *Esse, ubi persequatur unus mille, & duo fugent centum millia*, Deuter. *XXXII*. Addit, plures, hic inter Probabilistas relatos, *ex ea parte solum probabilismo subscripsisse, quatenus, probabilitatem secundum se posse esse actionum nostrarum regulam, docuerunt, aut certe de probabilitate minori respectu aliorum, non vero ipsius operantis, esse locutos, si hac forte, pensatis omnibus, liquido ei major videatur*; quo pertinent Pontifex ille, Cardinales 6, Archiepiscopi 4, & plerique ex 11 Episcopis. Ipse autem Ignatianorum Generalis Præpositus, *Thyrsus Gonzalez*, testatur, pro hac sententia nullum citari Cardinalem S. Ecclesiæ. Cur vero in Germania largior sit Probabilistarum seges, in causa esse ait Anonymus, quia cathedras omnes occupent Probabilistæ, unde discipuli alii prodire nequeant, quam qui patrias cantiones canant, funiculumque ducant perpetuum, quem, nemo est, qui secet, alios vero, quam Probabilistarum, libros

non

non legant, hincque sibi persuadeant, paucissimos esse adversos. Conditiones, quæ opinionem vere probabilem ex mente eorum, qui ita sentiunt, efficiunt, excutiuntur. Nam, si, *pium & doctum* esse Autorem, cujus sententia debeat probabilis haberi, prima est conditio, de hac, nisi pius & doctus ipse, judicare non potest. Hic autem alterius autoritate non indiget. *Capite* denique ultimo *XXXII Hoffmanni* argumento satisfit, quo, P. P. Prædicatores in eligenda sua de conceptione B. *Mariæ* Virginis sententia Probabilismi leges secutos, asseruerit, quod vero negatur. Subjiciuntur loca libri *Hoffmanniani*, quibus opponitur præsens scriptum, sale multo conspersum, & eleganti stilo exaratum, neque argumentis gravibus destitutum.

NOVA LITERARIA.

Haud ita pridem ab Imperatoria Scientiarum Societate, quæ Petropoli congregatur, Programma publicatum est, quod, inde ad nos missum, Lectoribus nostris, maxime rerum naturalium studiosis, hic legendum damus. Est autem hoc:

Quanquam non pauca specimina exstant, quæ ad explicanda electrica phænomena conscripta, imo quædam præmiorum honoribus ornata, sint; verum tamen multitudo experimentorum, quæ postea instituta, & varietas phænomenorum, quæ nuper detecta sunt, clarius lumen doctrinæ de electricitate accensura esse existimantur. Idcirco Academia Scientiarum Imperialis Petropolitana omnibus atque singulis naturæ indagatoribus, pro obtinendo solito centum ducatorum præmio, ad Annum 1755, ante diem 1 Junii, hoc elaborandum proponit, ut in veram electricitatis caussam inquiratur, veraque ejus condatur theoria. *Quocirca, præter ea, quæ ex more recepto Problematis subjunguntur, monita, sequentia quoque attingere, non inutile judicavit. Quandoquidem ingeniosæ hypotheses, quibus solertissimi arcanorum naturæ scrutatores ad excolendam electricam theoriam sunt usi, detectis recens electricis proprietatibus explicandis haud sufficere posse videntur; eumque defectum inde exstitisse, quod non pauca, ad veram electricitatis theoriam condendam utilissima, non satis observata fuerint, quorum brevis hic fit mentio. Primo quidem electrica phænomena multa habent, quæ cum ignis proprietatibus sunt communia; non pauca, quæ ab ejus indole prorsus abhorrere videntur. Prioris generis est, quod flamma per vim electricam*

ex-

excitetur; posterioris, quod ipsa vis electrica in productione sua igne inbibeatur: quemadmodum vitra nimium calida illam excitare recusant. Porro ipsa per candefactum igne ferrum & per glaciem pariter propagatur. Quam ob rem sollicite perspiciendum & distinguendum esse arbitramur ea, quæ in causa electricæ vis & ignis communia, quæ diversa, sint. Quibus rite perpensis, & distincte evolutis, majorem in meditationibus & doctrina de electricitate claritatem exorituram esse, speramus. Secundo, cum corpora, in diversa prorsus genera a natura alias discreta, electricis phænomenis in unum associentur, ita, ut vitrum, corpus fragile, durum, fixum, flammæ concipiendæ minus capax, & ad mineralium regnum potissimum spectans, cum molli, tenaci, volatili, & combustili, serica materia, ad animale regnum unice pertinente, primitivæ electricitatis virtute in unam speciem copuletur; rursum animal vivum & metallum, corpora naturæ regno, imo toto cælo, differentia, derivativæ electricitatis vinculo sint connexa: quam ob rem ad veram hujus materiæ theoriam condendam utilissimum fore judicamus, ut corporum utriusque generis qualitates particulares sedulo examinentur; atque, quæ omnibus primitivæ electricitatis corporibus communes sunt, non secus ac illa, quæ omnibus, derivativa virtute gaudentibus, insunt, probe notentur: alias enim timendum erit, ne, ipsorum palpabilium corporum proprietatibus neglectis, insensibilium materiarum illecebris seducta mens imaginationi magis indulgeat, quam rigorem judicii sequatur. Tertio denique materiæ subtilis electricæ, cui pori corporum patent, diversi, & quidem tres, concipi possunt motus: nempe progressivus, gyratorius, & tremulus. Hic quoque animadvertendum esse videtur, quæ & quot motuum genera ad producenda electrica phænomena sufficiant: ne cui eorum precario illa tribuantur, & tota theoria, infirmo fundamento superstructa, instabilis atque vaga reddatur. Hæc non ut præcepta & requisita prorsus necessaria, sed ut monita, arbitrio cujusque observanda relinquuntur: nec etiam ulli secundum sua principia in explicandis electricis phænomenis impedimento esse possunt. Problemati Chymico, antehac proposito, nempe separationem auri ab argento, ope aquæ fortis institui solitam, ex physicis & chymicis principiis explicare, aptioremque methodum invenire, quæ minore opera & pretio ad hæc duo metalla secernenda indiget, *quoniam non est satisfactum, ideo in Annum 1754, diem 1 Junii, solvendum differtur.*

Petropoli, 1753, die 25 Nov.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCLIV.

Pars I.

ANTICHITÀ SICILIANE SPIEGATE, &c.

hoc eſt,

ANTIQUITATES SICULÆ, UNA CUM DESCRIptione hujus regni generali, quæ hiſtoriam particularem urbium comprehendit, quarum antiqua monumenta ſeparatim enarrantur; Autore JOSEPHO MARIA PANCRATIO, Clerico regulari Theatino, Patricio Cortonenſi, Academico Hetruſco, & Socio Columbario Florentino. Tomus I, in duas Partes diviſus, quarum prior hiſtoriam hujus inſulæ generalem complectitur, altera de antiquo Agrigento exponit. Auguſtiſſimo Siciliarum Regi ſacrum opus.

Neapoli, 1751, fol. maj.
Alph. 2 plag. 7, Tabb. æri inciſ. 24.

Novam Numiſmatum Siculorum collectionem jam aliquot abhinc annis noſter meditabatur *Pancratius*. Ut vero, quantum fieri poſſet, omnibus numeris abſoluta hæc collectio in publicum prodiret, iter in ipſam Siciliam ſuſcepit, eo conſilio, ut gazophylacia, quæ ibi

reperiuntur, ipse suis lustraret oculis, nec a pictorum, vel chalcographorum, fide penderet. Interim, dum Panormi, deinde Agrigenti, moratur, insigni aliarum antiquitatum copia capitur, adeo, ut majus opus mente conciperet, thesaurum nempe Antiquitatum Sicularum generalem. Cel. enim *Montfalconius* in suo illas Opere omiserat; *Fazellus* autem, *Amicus*, &c. partem tantum earum exiguam in lucem dederant. Monumenta, quæcunque reperiri poterant, ipse solus collegit & interpretatus est, nec ullius operæ, nisi eorum, usus est, qui delinearent reperta monumenta, vel eadem æri inciderent, vel etiam latentia effoderent. Initium improbi hujus laboris fecit Agrigenti. Hinc factum est, ut *primum* etiam Operis *Volumen* ab hac urbe initium duceret. Nec enim ordinem vel chronologicum, vel accuratiorem geographicum, sequi placuit, quod tale institutum progressum operis impedivisset. Charta & charactere usus est nitidissimis. Figuras etiam, ornatus gratia, ex antiquitate desumtas, principio uniuscujusque *Capitis*, & fini, addidit, nec literæ *Capitum* initiales iis sunt destitutæ. In Præfatione figuras istas ita Noster interpretatur, ut diligentiam ejus & doctrinæ copiam inde suspicere cogamur. Frontem cujusque *Capitis* pars historiæ *Ulyssis* & *Polyphemi*, ab *Homero* descriptæ, æri incisa, ornat. *Polyphemus* non unum, sed duo, monstrat oculos, alterum clausum, apertum alterum, ut medium inter illos teneretur, qui vel monoculos, vel utroque oculo aperto, sistunt Cyclopas. In hujus rei illustrationem Tabula inseritur æri incisa, & imaginem urnæ sepulcralis referens, ubi *Polyphemus* utrumque oculum apertum ostendit. Inscriptiones Noster in suo itinere ideo neglexit, quod compertum habebat, alium quendam iis evulgandis operam dare. Si comparuerint, partem etiam harum Antiquitatum Sicularum efficient typis iterum mandatæ. Quodsi secus evenerit, illæ, quas *Gualtierius* in lucem dedit, inscriptiones, auctæ tamen, denuo imprimentur. Index omnium *Voluminum* generalis *ultimum Tomum* efficiet. Mappa totius Siciliæ antiquæ geographica e *Cluverio* desumta est: meliorem tamen, a *Lud. Fardella* descriptam, in alio quodam *Volumine* Autor dabit.

dabit. Unum anno quoque *Volumen* comparebit, eadem, ac *primum Volumen*, forma, & eodem, vel etiam majore, Tabularum æri incifarum numero fuperbiens. Tum in Magnam Græciam Nofter progredietur, & antiquitates, quæ in Neapolitano regno fuperfunt, eadem folertia illuftrabit. Ut Numifmatum Siculorum egregium fpecimen adeffet, decem numos, uni tabulæ incifos, Præfationi inferere placuit, omnes Syracufanos. Præfationem laus Siciliæ generalis excipit, ob res ibidem geftas, & heroas, in hac infula natos. Additur tabula, quæ octo *Scillæ* facies monftrat, ex variis monumentis defumtas. *Partis primæ Caput I* in celebrem illam quæftionem inquirit, num Sicilia femper fuerit infula. Poft allatas Autorum fententias, iis Nofter affenfum præbet, qui negant, Siciliam omni tempore infulam fuiffe. Ut Nofter fententiam fuam contra *Valguarneram, Cluverium, Cellarium, Carufum*, & alios, probet, primum Autores allegat, eorumque verba, una cum verfione, apponit integra. Quæ cum traditione incerta nitantur, quam & ipfi Autores dubiam effe fatentur; miramur, doctiffimum *Pancratium* tam grande fuæ opinioni fulcimen in iis quærere. Tum vero monftrare conatur, a veri fimilitudine minime abhorrere, five vim maris caufam abruptionis ab Italiæ continente ftatuamus, five etiam terræ motus. Hinc &, duos illos montes, Abilam & Calpen, olim cohæfiffe, cum quibusdam Autoribus pro vero habet. Argumentum pro fua fententia præcipuum a ftratis illis arenofis defumit, quæ & ab aliis plerisque Autoribus inundationibus variis & iteratis adfcribi folent, vel diluvio etiam univerfali. Adverfariorum argumenta, quantum fieri potuit, docte confutat. *Caput II* de primis Siciliæ incolis exponit. Hi, fecundum *Marcianum Heracleotam*, & *Ephorum*, quem *Strabo* allegat, Iberi fuerunt; non tamen illi Hifpaniæ incolæ: fed, qui Pontum inhabitabant, Iberi orientales. In quatuor iidem claffes dividebantur: Cyclopas, Læftrigones, Phæaces, Lotophagos. Cyclopes artifices erant, Læftrigones agricolæ, Phæaces nobiles, Lotophagi tandem facerdotes. Ita contra *Cluverium* Nofter difputat. Ab Iberorum vicinis, Colchis, qui ab Ægy-

ptiis suam ducebant originem, talem gentis divisionem derivatam fuisse, probabile judicat. Hinc varia Ægyptiaca in Sicilia reperiuntur monumenta. *Capite III* illam contra suam hypothesin objectionem confutare Noster annititur, ubi verisimile non putatur, Iberos ab orientali plaga tam remota in Siciliam appulisse, tantasque itineris difficultates sustinuisse, quantas tum temporis nemo gentium sustinere ausus fuit. Primos Italiæ incolas allegat, qui a Scythis, non minus remotis, originem duxisse feruntur; unde facile fieri potuit, ut Iberi etiam, a vicinis gentibus forsan expulsi, per mare in Siciliam venerint, paucis ante Trojanum excidium seculis, postquam *Ausonii*, & *Hetrusci*, e Lydia forsan venientes, in Italia jam sedem fixerant. A *Tubale* ortos fuisse Iberos orientales, veritati minus consentaneum esse putat. Linguam primorum Siciliæ incolarum Ægyptiacam fuisse, judicat, vel huic similem. Data occasione de origine navigiorum, deque linguarum confusione, more suo disserit. De Sicanis, eorumque numinibus, *Capite IV* exponitur. Sicanos, & ipsum *Sicanum*, a Cyclopibus oriundos fuisse, Noster censet; hinc, Sicanos indigenas esse, & a quibusdam primos Siciliam incoluisse putatos, dicit. *Ceres Sicani* uxor fuisse perhibetur, & agrum colendi artes emendavit forsan, aut perfecit, non invenit: nam antea Læstrigones agrum colebant. Vixisse, Noster, *Cererem*, putat, CCC annos ante captam Trojam. Asserit præterea, non a fratre *Jovis* Cretensis progenitam eam fuisse: sed a Rege quodam Epiri, quem *Plutonem* Poetæ vocaverint; nec marmor Arundellianum de vero *Cereris* in Græciam itinere loqui, sed de mysterio cultus ejusdem in Atticam introducti, vel etiam de frumento, quod *Cecrops* e Sicilia transferri jusserit. Sic temporis rationes melius constare, existimat. De reliquis Siciliæ numinibus ipsis *Jo. Bapt. Carusi* verbis dicit. *Alteri* hujus *Voluminis Parti* veteris Agrigenti chorographia præmittitur, quam magna diligentia elaboravit doctissimus *Pancratius*, & ex antiquis Autoribus eruit, auxilio tamen *Salvatoris Hectoris* adjutus. *Capite I* de fundatione Agrigenti, ejusdemque nomine, disputatur. E *Thucydide* & *Polybio* Noster probat,

Rho-

Rhodenses Gelæ cives prima Agrigenti fundamenta jecisse; nomen autem *Camici* primum ejusdem fuisse, defendit contra *Cluverium*, *Bochartum*, & alios, qui, Camicum aliam prorsus urbem fuisse, asserunt. Non tamen urbes plane easdem Camicum & Agrigentum fuisse, dicit: sed, ut debebat, Camicum juxta Agrigentum ponit, hujusque arcem vocat, a *Dædalo* exstructam, & a fluvio Camico sic nominatam. De fluminibus circa Agrigentum *Capite II* differitur. Acragantem, alias Dracum, illum esse fluvium, qui nunc *il fiume di Girgenti* dicitur, & urbem ipsam alluit, Noster contra *Cluverium* & alios, strenue asserit, qui eundem cum Hypsa fluvio confundunt, quem nunc *Naro* incolæ vocant. Illum, qui nunc S. *Blasii* nomen gerit, fluvium antiquis temporibus eo, quo nunc, loco non exstitisse, sed arte & casu sic formatum fuisse, cum *Salvatore Hectore* ita probat, ut assensum omnino extorqueat. Olympiade XLIX, vel L, Agrigenti fundamenta jacta fuisse, conjicit. Pergit Autor *Capite III* ad pleniorem urbis Agrigenti descriptionem, eamque in quinque olim partes divisam fuisse, docet: Camicum arcem; rupem Athenæam, seu collem Minervalem; ipsam urbem, proprie sic dictam; Agrigentinam in Camico, quæ *Diodoro* dicitur; tandem aliam partem, fortasse Neapolin *Plutarchi*. Additur alia mappa geographica æri incisa generalis, cujus deinde partes singulæ Tabulis XV describuntur. Partes eæ Agrigenti, & campos circa hanc urbem, ita referunt, ut nunc conspiciuntur. Finem facit alia Tabula æri incisa, vas quoddam sistens in sepulcro repertum, ab urnis tamen diversum. *Pauli Paciaudii* interpretatio additur, qui transformationem quorundam *Ulyssis* sociorum in figuris, vasi impressis, reperire sibi visus est. Sequens *Volumen* de Agrigenti antiquitatibus sigillatim exponet.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΩΝ ΚΑΙ ΚΑΚΙΩΝ. ΠΛΗΘωνος περὶ ἀρετῶν. &c.

hoc est,

ARISTOTELIS DE VIRTUTIBUS ET VITIIS; PLETHONIS de Virtutibus, libelli. Recensuit EDUARDUS FAWCONER, Coll. Merton. apud Oxon. Portionista.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1752, 8. Plag. 10.

Aristotelis sit, nec ne, hic, qui est de vitiis & virtutibus, libellus, eruditos dubitare, Autor in Præfatione indicat. Ipse non obscure illorum accedit sententiæ, qui *Andronico*, non ignobili Peripatetico, eundem tribuunt, cujus luculentæ Ethicorum Nicomacheorum παραφράσει subjungitur ferme opusculum περὶ παθῶν, in quo plurima, quæ hic occurrunt, iisdem pæne verbis, etsi ordine alio, descripta, legas. Utcunque est, tamen, fœtum saltem Academiæ illius veteris esse, unde schola tam Peripatetica, quam Platonica, orta sit, ipse dubitandum non putat. Quibus ita expositis, docendi rationem, qua usus sit Autor, ostendit, eamque Philosopho apprime dignam esse, judicat. A definitionibus enim exordium eum capere, deinde, quæ virtutem consequantur, quæve quodque vitium, tanta cum verborum, tum rerum, concinnitate, ne dicamus ἐνεργείᾳ, ob oculos ponere, ut, tanquam *Theophrastus* alter, mores hominum depingere videatur, docet. De *Gemisto*, seu *Plethone*, hæc habet. Patriam ejus Peloponnesum esse, Editor Basileensis tradiderat. Cujus sententiam cum ipse in Præfatione probasset, postea in annotationibus rejecit, *Fabricio Caveo*que assensus, qui, eundem Constantinopolitanum quidem fuisse, perhibent, sed qui maximam ætatis suæ partem in Peloponneso peregerit, Orationes ibi, de ordinandis hujus regionis rebus, composuerit, & magistratum gesserit, centumque annos fere natus diem supremum obierit, extremis Græciæ temporibus, cum Turcorum imperio ea jamjam esset cessura. Summo eum honore prosecutos esse *Bessarionem*, Cardinalem, *Theodorum Gazam*, ceterosque Græcos, quibus, capta Constantinopoli, Europa occidentalis asylum præbuit, affirmat. In libello ipso Clariss. *Fawconer* diligenter contulit

Ari-

Aristotelis Sylburgianam & *Duvallianam*, nec non alias duas hujusce opusculi, Basileae A. 1552 & 1586 excusas, editiones; in altero, *Gemisti* scilicet, easdem Basileenses, *G. Canteri* aliam, & Codd. duos MStos Bibliothecae *Bodlejanae*. Annotamenta subjunxit, partim ad veram lectionem, partim ad Autoris utriusque sensum, pertinentia, eaque ad libri calcem rejecit. Itaque in iis nunc *Aristotelis* sententias similibus aliorum scriptorum locis illustrat, nunc lectionis varietatem observat, nunc ejus sententiam uberius explicat, nunc vocabulorum quorundam differentias monstrat, ἀκολασίας & ἀκρασίας, Pag. 110. quorum illud petere voluptates, ratione minime retinente, immo plaudente magis; hoc allici voluptate, revocante ratione, voluntate dubia, esse, autoritate *Horatii Lib. II Sat.* 7, & *Aristot. Eth. Nicom. VII*, 8, docet; nunc, cur a vulgari lectione recesserit, aperit. In annotationibus vero ad *Plethonem*, iis, quae pertinent ad *Aristotelem*, longe uberioribus, nunc *Plethonis* vel definitiones, vel descriptiones, vel sententias, cum aliis Stoicorum, Peripateticorum, Platonicorumque, *Arriani* 127 seq. maxime, *Epicteti*, & *Antonini*, effatis confert; nunc varias variarum sectarum doctrinas expendit; nunc vocabula & loquendi formas illustrat; nunc lectionis observat varietatem. Exempla aliquot, ut oculis se ingerunt, afferemus. Ἀπολείπειν τὴν χώραν, e re militari translatum esse in Philosophiam, 128. putat, ut multa alia, e. g. λείπεσθαι τὴν τάξιν *Plat. Vol. I pag. 28* edit. *Serr. Arriani Epict. I, 16, III, 24, I, 29*. Vitam hominum cum celebritate comparasse primum *Pythagoram*, (vid. 130. *Jamblich. vit. Pyth. Cap. 12*,) post hunc plures eadem similitudine libenter usos, ut *Menandrum, Ciceronem, Epictetum*, aliosque, ait. Vid. *Davis. ad Tusc. Disp. V, 3*, *Uptonum in Arrian. Epict. II, 14*, *Longinum de Subl. sect. 35*. Veteres contemplationem eorum, quae *semper sunt*, ad Metaphysicam, sive θεωρίβειαν, ut *Plethon* loquitur; *earum vero rerum, quae gignuntur & pereunt*, ad Physicen, sive naturalem Philosophiam, retulisse (quia, φύσιν motus caussam esse, putabant, & omnino in motu esse occupatam,); eam denique scientiam, *quae res nostras & vitam humanam spectabat*, ab eodem εὐβουλίαν, ab 132.

alii

Pag. 133. aliis *φρόνησιν*, appellatam esse, indicat. *Κοσμιότητι Gemistum*
138. eandem vim tribuere, quam *Socrates* apud *Xenophontem ἐγκρατεία, Memor. I, 5*, monet. *Δόξας*, in numero plurativo, non proprias cujusque opiniones, sed famam, gloriam, atque hominum de nobis existimationem, significare, demonstrat
142. idoneis Autoribus. Diversis rerum generibus diversa, quibus starent, principia assignasse Stoicos, rebus infimis, ut lapidibus & glebis terræ, *ἕξιν*; plantis *φύσιν*; animantibus *ψυχὴν*; denique hominibus *λόγον*; *λόγον* vero omnium principiorum non modo præstantissimum esse, sed maximam in se conjungendi atque uniendi vim habere, ideoque tali principio universum hoc contineri, testimoniis *Sexti Empirici IX pag.*
147. *570, M. Antonini VI, 14, IX, 9, X, 2*, confirmat. *Ἐπίλογον τῶν ῥηθέντων* a *Plethone*, negat ab hujus esse manu: prætermittendum tamen, cum ad meliorem totius opusculi intelligentiam conferret, non censuit. Sed sufficiat, hæc speciminis loco hic exhibuisse. Certe Editor & ingenium, & Græcarum literarum peritiam, satis approbavit æquis lectoribus.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΝΕΦΕΛΑΙ, &c.

hoc est,

ARISTOPHANIS NUBES, CUM SCHOLIIS ANTIquis, e recensione LUDOLPHI KUSTERI, in usum lectionum, cum Præfatione JO. AUGUSTI ERNESTI, in qua Scholia pluribus locis emendantur, illustrantur.

Lipsiæ, apud Jo. Wendlerum, 1753, 8.
Plag. 21.

Ingenti cum voluptate animi, velut certissimum crescentis literarum bonarum amoris augurium, diligentiam hominum eruditorum prædicamus, qui tot præclaros Scriptores Græcos vel integros hac nostra ætate denuo ediderunt, vel operum certe illorum particula præstantissima juventutem, elegantiæ veteris cupidam, donarunt. Cum enim proscripti paulo

paulo ante ex civitatibus illis literariis, universitates vulgo dicimus, viderentur homines antiquitatis maximi, atque, omnis ævi judicio, sapientissimi, verendum sane erat, ne, quam magno studio sibi ante hæc duo, amplius, secula pepererant majores nostri, eruditionis laus, nostra posterorum, majoris quippe momenti rebus, si diis placet, intentorum, culpa, propediem amitteretur. Quis igitur est, qui non, præclare agi, atque e re communi, existimet, cum sint hac ætate nostra, qui fugientes musas velut sistant, easque in universitates artium, adolescentiumque cœtus, studia æmulantium, tanquam postliminio, revocent? In quibus, pridem est, quod eluxit limatissimum politissimumque Cel. *Ernesti* ingenium, cui homini doctissimo quantum in patria nostra literæ debeant, futura demum ætas existimare recte poterit: adeo non solum scriptis, sed voce etiam, illustrare illas studet; ex cujus quippe scholis, ut ex *Socratis* quondam & *Isocratis* institutione, & prodierunt, & adhuc prodeunt, viri, in omni literarum varietate præstantissimi, ac vere Attici. Qui igitur cum aliquam *Aristophanis* Comœdiam, cum Scholiis antiquis,in hac nostra Academia enarrandam sibi sumeret; *Nubes* putavit ei consilio accommodatiores, propterea, quod primo chori rationem & omnia comica metra [illegible]piebat esse cognita, ut & vitia, reliqua adhuc in textu Comici, indagare, & de virorum doctorum conjecturis recte judicare, discerent studiosi, caveretque ipse, ne cui suorum accideret, quod non uni accidisse, in Poetis tractandis, constat, ut contra leges versuum conjecturæ exercerentur. Accedebat, quod scholia *Nubium* nondum expolita essent cujusquam justa diligentia, iisque adeo enarrandis optime exemplum recte tractandorum scholiorum proponi posset: cum *Pluti Scholia* jam ingenium, doctrinam, diligentiam, *Hemsterhusii*, summi in his literis Viri, essent experta. Itaque, cum exempla istius Comœdiæ in tabernis librariis non reperirentur, perfecit Vir. Cel., ut ea, cum iis scholiis, quæ ab *Aldo* & *Junta* edita essent, *ad fidem editionis Kusterianæ*, typis describeretur. Quæ qualis sit, Lectores nostros minus latere arbitramur: quid vero ingenio *Ernestiano* debeant, nunc pau-

eis, ex Præfatione ejus, videamus. In qua instituit *primum* de modo horum scholiorum enarrandorum, hoc est, de eorum indole, bonisque cognoscendis, vitiis corruptelisque vel indagandis, vel tollendis, dicere; denique etiam aliquot exemplis ostendere, scholia & metri scientiam etiam textus *Aristophanici* emendandi facultatem præbere.

Singulorum dabimus specimina aliquot, ut, quanta munere suo functus sit Vir Cel. cum diligentia, appareat. Scholia igitur, primo monet, non unius hominis esse, ne tum quidem, ubi velut unius in libris exhibentur, neque usitato illo ἄλλως discernuntur. Oportere animo concipere farraginem excerptorum e commentariis Grammaticorum in *Aristophanem*, *Apollonium Rhodium*, aliosque Poetas, e Glossariis antiquis, etiam ex alio genere scriptorum, *Thucidyde*, *Plutarcho*, *Luciano*, *Stephano de Urb.* multisque aliis; interdum sub nominibus eorum, plerumque ἀνωνύμως, positorum. Nec eam farraginem unum Autorem habere; sed in suum quemque librum, aut ejusdem libri plures deinceps dominos, addidisse aliquid de suo, appendiculas exemplorum, testimoniorum, locorum denique ex Geographis, Historicis, Philosophis, & sæpe quidem perineptas illas & stultas, quas, in unum confusas, & per particularum δὲ & οὖν vincula copulatas, atque in hunc pulcherrimum scilicet cinnum commixtas, *Aldo* dederit edendas *M. Musurus Cretensis*. Multa etiam esse alieno loco posita, & mire perturbata, abhorrentia denique prorsus ab eo, quod in textu sit. Itaque primum docet, magistri munus esse, *distinguere*, quæ male *confusa* sint *ob similitudinem* dictorum, ut ad *vers. 1, 12, 21, 34, 109, 130, 151, 157, 177, 184*, quod sæpe difficile judicat esse non satis exercitatis; præsertim ubi superiori scholio aliud subjicitur, capite, quod in libro scripto fuerat, truncato, veluti ad *vers. 297*, ubi in verbis ἢ καὶ ἄμεινον, novi scholii est initium, cujus demtum sit principium, quod ni addatur, totum illud sit ineptissimum, & aliis in locis quamplurimis. Interdum vero, indicat, confusionem animadverti *e repugnantia*; cum in posterioribus plane diversus sensus tribuatur verbis *Aristophanis* ei, qui in prioribus traditus est, & quidem sic,

ut

ut appareat, non diversas interpretum opiniones commemorari, sed utramque pro certa interpretatione poni, velut ad *vers.* 22, 44, 337, 438 extr. 552, 585, 591, interdum etiam *tota scholia, diversis locis posita, repugnantia esse*, probat eo, quod est ad *vers.* 639, 641. Posthæc curare magistrum jubet, ut discipulos consuefaciat *animadvertere appendiculas scholiorum* bonorum & antiquorum, sæpe ineptas & falsas, quale illud est, quod ad *v.* 16 additur de discrimine τοῦ ὀνειροπολεῖν & ὀνειρώτῖειν, consuetudini ac Scholiastæ veteri ad *vers.* 28 contrarium. Præterimus alia, quæ attulit, quamvis luculentissima ea, exempla. Denique, *transpositiones*, per negligentiam factas, non modo *totorum scholiorum*, alienis verbis subjectorum, sed etiam *minorum particularum*, diligenter indagandas esse, censet. Sic *v.* 361 in scholio secundo σεμνύνη - - βαδίζειν relatum esse ad verba τ'ὠφθαλμῶ παραβάλλει, cum pertineat ad βρενθύει, pronuntiat. Sequitur, ut, *quid in singulis verbis vitii corruptelæve sit*, primum *indagare* magister doceat, deinde *emendare*. Quorum illud eum consecuturum ait, si omnia ad *rationes grammaticas*, hoc est, consuetudinem loquendi, exigat, res etiam ipsas, de quibus agitur, in consilium adhibeat, quidque eæ desiderent, cogitet; deinde *libros* etiam *consulat*, ac scholia cum primis editionibus *Suidæ*, cum Scholiasta *Apollonii*, *Harpocratione*, aliisque, conferat, qua in re nimis sæpe vel festinavisse bonus *Kusterus*, vel dormitavisse, dicitur. Ita in argumento, quod *Th. Magistri* nomen præ se fert, τὸν τούτου παῖδα, pro τὸν ἑαυτοῦ παῖδα, & δεύτερον εἶδε πλοῦν, pro ἦλθε, tum πεπείηκε, pro πέπεικε, poni hodie, docet, nec non ad *vers.* 37 ἐπώνυμον ἀρχὴν pro τὴν κατὰ δῆμον, (in quo tamen, pace egregii Viri, aliter nobis videtur, quibus quippe ἀρχὴ ἐπώνυμος magistratus in eos est, unde ipsum ejus nomen ducitur, nempe in δῆμον,) & ad *vers.* 41 ἐπευχομένου pro ἀπευχομένου (quod exhibet etiam editio *Frobeniana* anni 1597). Neque vero vitia modo scholiorum cognoscenda atque tollenda Vir Cel. censet; sed etiam bona, eaque vel ad integritatem Autoris, vel ad augendam literarum Græcarum scientiam, conferre jubet. A posteriori-

bus incipit, ac jure suo requirit a bono scholiorum interprete, ut sit idonea Græcarum literarum copia instructus; propterea, quia in Scholiastis, neque ipso hoc *Aristophanis*, cujus tamen commentarii, cum *Apollonii* scholiis, post *Eustathii* παρεκβολὰς, principatum putentur in hoc genere obtinere, omnia sint aurea. Cujus rei exempla in interpretando indicanda putat, ut discant tirones, æra a lupinis mature discernere. Neque vero hactenus modo prodesse scholiorum diligentem, & cum ratione institutam, lectionem, tradit, ut explicationes verborum rariorum ac rerum, atticismum etiam, ex iis cognoscamus; sed interdum eam, aliud agendo, rariores verborum formas, & potestates, docere, judicat. Uno defungitur exemplo. Quæsitum est viris doctis, quid apud *Lucianum*, in *Somn. pag.* 13, *Tom. I* edit. *Hemsterh.* ἐπιδικάσιμος φίλοις sit. *Micyllus* interpretatus est *appetibilis* amicis; *J. F. Gronovius*, *utilis advocatus amicis*, quod probarunt filius *Jacobus*, & *Hemsterhusius*. At, cum forma verbi, secundum analogiam linguæ, & origo ejus, significationem non satis admittant, ex vi verbi ἐπιδικάζεσθαι, ad *vers.* 47, quæ sit *certare de hæreditate*, *petere hæreditatem*, deinde *expetere aliquid*, *utilitatis causa*, evincit, ἐπιδικάσιμον φίλοις esse, *quem*, *utilitatis spe*, *ament amici* (qui ἐπιδικασθῇ). Idque etiam confirmare, monet, locum *Josephi* (quo augeri Lexica poterunt,) *Antiqu. IV*, 2, 4, edit. *Haverc.* Sed, multo majus illud esse, existimat, quod scholia, bene tractata, facultatem dant textus emendandi, idque non una ratione. Primum genus illud ponitur, quod, *metris versuum tradendis*, interdum *vitia vulgatæ lectionis* deprehendendi rationem demonstrant. In quo tamen, post *Bentlejum*, V. C. plurimum esse relictum aliorum diligentiæ, videt. Ita in *vers.* 535 pro ἦλθεν ἦν που legi debere ἦλθ' ἦν που, autor est, quia in genere trochaico Eupolideo tertia regio semper habet trochæum: atque *vers.* 714 e duobus unum factum esse, nos discere, credit, si a *vers.* 700 versus, ad notata in scholiis metra, dinumeremus. Esse enim duo cola, sic in posterum edenda:

— — καί μ' ἀπολοῦσιν,
ΣΩ. Μὴ νῦν βαρέως ἄλγει λίαν.

Aliam

Aliam etiam emendandi viam aperire fcholia indicat, *tradenda explicatione textus Ariftophanici ea, quæ nullo modo conveniat fcripturæ, hodie in libris obviæ.* Ita *verf. 815* ftultitiam, docet, vocare *Strepfiadem*: Τὸν Δία νομίζειν ὄντα τηλικουτονί. Scholia autem tradere, *Symmachum*, interpretem antiquum *Ariftophanis*, dicere, τὸ α in Δία produci Attice, ideoque hunc locum in libris X notari. Unde apparere, antiquiora exemplaria habuiffe (& habent etiamnum), fine articulo: Δία νομίζειν ὄντα τηλικουτονί. Ac profecto, Atticos non dicere: Τοὺς Θεοὺς νομίζειν; fatis conftat. Sed hæc obfervatio, ab *Hemfterhufio*, V. C. univerfe propofita, non unam habere cautionem Viro Doctiffimo videtur. *Primum* enim videndum putat, ut locus, e quo talis lectio eruatur, fatis fanus fit; *deinde*, tenendum, Grammaticos centies in fcholiis, cum interpretantur verbum difficilius, vel per fe, vel a contextu, ponere non illud ipfum, fed ejus fynonymum, ut ad *verf. 15, 218, 323, 844*; *denique* fciendum, in fcholiis, quæ ab imperitis hominibus adfcripta fint temere e gloffariis, fæpe nihil effe, quod textui conveniat, ut ad *verf. 308*. Sed fortaffe fufius hæc, quam par erat, perfecuti fumus; etfi exemplorum accommodatiffimorum parum repetiimus: itaque filum abrumpimus, bona fide profitentes, fpiffis fæpe voluminibus tantam rerum utiliffimarum multitudinem inclufam vix inveniri, quanta hic paucarum paginarum anguftiis comprehenditur. Quid futurum demum effet, fi talis Vir, ea lege ufus, integrum nobis daret *Ariftophanem*? Certe nihil ad feculi patriæque gloriam præftantius, nihil ad literarum incrementa infignius, optari a nobis voverique poteft.

JO. CONRADI RÜCKERI, JCTI ET ANTECESS. Interpretationum, quibus obfcuriora quædam Juris Civilis capita illuftrantur, Liber fecundus.

Lugduni Bat. apud Sam. Luchtmanns & Filios, 1752, 8 maj. Plag. $7\frac{1}{2}$.

 Ecce

Ecce libellum Interpretationum, brevem illum quidem, sed in tanta brevitate, doctrinæ tamen gravitate valde æstimabilem: qui, cum *Jo. Conr. Rückerus*, V. C. jam unum Interpretationum Librum ediderit, secundi numeros impleat, ac priori illi sit simillimus, & veluti geminus. Quo minus multa nobis de eo dicere necesse erit. Conjecit in eum Vir Doctiss. interpretationes locorum Juris Civilis eorum, quæ in assidua lectione difficilia intellectu, nec dum satis expedita, observavisset. Neque enim, quamvis perpetua Interpretum doctissimorum & acutissimorum diligentia, effici potuit, quin multa adhuc obscuritatis, atque difficultatis, vitio laborent Juris civilis capita. Ex iis autem selegit V. C. tantum pauca quædam, quibus ingenii atque doctrinæ suæ lumen hoc libello impertiret. En tibi igitur Interpretationum *Capita;* 1) Species atque sensus *l. 77 §. 2 D. de Cond. & Dem.;* 2) Lectio Florentina in *l. 91 §. 6 D. de Legat. I* defensa & explicata; 3) Interpretatio *l. 80 de Cond. Dem.* rejecta emendatione; 4) Explicatio *l. 680 §. 3 D. de Legat. I*, & *l. 65 §. 2 D. de Legat. II*, quorum capitum pugna componitur; 5) *Ulpiani* & *Maciani* in *l. 11 §. 3 D. de Legat. III*, & in *l. 30 §. 7 D. ad L. Falcid.* dissensus, veluti arbitrio sumto, finitus; 6) Lectionis vulgaris in *l. 18 D. Condit. instit.* & *l. 77 pr. de Cond. & Dem.* possessio, veluti interdicto, contra emendationem, retenta; 7) Emendatio a *l. 26 D. de Vulg. & pupill. subst.* rejecta; 8) Florentinæ lectionis veritas *l. 28 §. 4 D. de liberat. legat.* & *l. 31 §. 2 eod.* asserta, ac species utriusque fragmenti exposita.

Enumeratis, veluti per indicem, singulorum *Capitum* argumentis, nostrum est, selectum aliquod specimen proponere. Cui consilio vel primum *Caput* satis poterat facere. Elegantissima enim est observatio. Existimat Vir Doctiss. omnem difficultatis causam in *l. 77 §. 1 D. de Cond. & Demonstr.* sitam esse in confusa interpunctione, a nullo dum interpretum observata: sicque adeo orationem JCti distinguit: *Titio, si mulier non nupserit, heres centum dato. Quam pecuniam eidem mulieri Titius restituere rogatus est, si nupserit. Mulier, die*

legati

legati cedente, fideicommissum petet: remoto autem fideicommisso, legatarius exemplum Mucianæ cautionis non habebit. Qua sane adhibita interpunctione, omnia sunt expedita: neque opus est aut emendatione, aut ceterorum Interpretum contortis explicationibus. Nam duplex est legatum: alterum sub conditione datum, sed sine fideicommisso; alterum, cum fideicommisso, item sub conditione præstando. Nubente muliere, atque adeo cedente die legati, mulier fideicommissum petere potest a *Titio. Remoto autem fideicommisso*, hoc est, non nubente muliere, quæ erat conditio fideicommissi, legatarius *exemplum cautionis Mucianæ non habebit*, hoc est, legatarius, etiamsi cautionem Mucianam, in conditionibus non faciendi præstari solitam, offerat, tamen non admittetur: propterea scilicet, quia cautio ista pertinet tantum ad eas conditiones, in non faciendo positas, quæ a facto ipsius legatarii pendent, sive quæ morte legatarii finiuntur, ut *l. 73 D. h. t.* cavetur: hic autem conditio non finitur morte legatarii, sed morte tertii cujuspiam, nempe mulieris.

Sed utemur speciminis adhuc loco *Capite tertio*. Mirum est, quantum *l. 80 D. de Cond. & Dem.* turbarum, disceptationum, emendationum denique, interpretibus pepererit. Quorum quidem plurimi negantem particulam, quasi nævum aliquem e corpore, tollunt: sed, vim istam fieri, vetat Vir Doctiss. omnemque orationem *Scævolæ* hoc modo interpretatur: *Eas causas, quæ agentem protinus repellunt*, de Viri Doctiss. sententia, *Scævola* dixit, adjectiones istas, quæ fideicommissum non ex aliquo casu, eventu, vel facto futuro, suspendunt; in quibus statim apparet, repelli agentem, nec ne: quæ non sunt vere conditiones, quamvis speciem conditionis ferat oratio. Hujus generis sunt eæ, quæ in præteritum tempus scriptæ sunt; veluti *si navem ædificavit*. Eas adjectiones, negat JCtus, *observari oportere pro conditionibus*: ita, ut, si navis tempore mortui testatoris nondum ædificata sit, quamvis ædificare velit fideicommissarius, tamen non admittatur. *Eas vero*, inquit JCtus, *quæ moram habent cum sumtu, admittemus, cautione oblata*: hoc est, eas adjectiones, quæ ad futurum aliquod factum

ctum pertinent, adeoque moram cum sumtu habent, quamvis nullam figuram conditionis habeant, pro conditione habebimus, adeo, ut fideicommissum peti possit, modo fideicommissarius caveat, se facturum, quod scriptum sit: veluti si testator legaverit: *Titio decem dari volo, ut navem ædificet:* quæ formula est illa quidem neque conditio, neque figuram habet conditionis, sed modum, sed tamen pro conditione observanda est. Rationem reddit JCtus his verbis: *Neque enim parem dicemus eum, cui ita datum sit*, si monumentum fecerit, *& eum, cui datum est*, ut monumentum faciat. In quibus verbum *fecerit*, ex Latinæ orationis elegantia, capiendum est de præterito, non de futuro: quo observato, omnis obscuritas dispellitur. Hæc nobis speciminis loco decerpenda visa sunt, unde appareat, quanta facilitate luceant Viri Doctiss. interpretationes.

GERARDI L. B. VAN SWIETEN, AUGUSTISS. Imperator. & Imperatric a Consiliis, Archiat. Com. Bibliothecæ Augustæ Præfecti, Inclyt. Facult. Medic. Vienn. Præsidis perpetui, nec non Academiæ Reg. Scient. & Chirurg. Paris. Institut. Bononiensis & Literar. Incognitor. Membri, Commentaria in Hermanni Bœrhaave Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis.

Tomus III.

Lugduni Batav. apud Joannem & Hermannum Verbeek, 1753, 4 maj.

Alph. 3 plag. 16.

Perillustris Autor, etiamsi se gravibus circumseptum negotiis esse sentiat, quippe quem cura Augustæ domus, & rei medicæ publicæ, satis superque occupat, ut, laboribus literariis haud detineri, turpe ei esse nequeat, suo tamen, quo erga humanam societatem, ejusque salutem, se teneri sensit, debito satisfacturus, suæ super *Hermanni Bœrhaavii Aphorismos* eruditæ, atque veris Medicis omnibus exspectatissimæ, scriptionis filum nunc continuat, morbosque acutos, qui

qui ex inflammatione nascuntur, atque illos, qui ex mali super cerebrum succi decubitu, tandemque, ex diuturnis, illos, qui ad nervorum genus pertinent, quique ex humorum vitalium corruptela surgunt, exponit, pedemque, post *Empyema*, figit, reliqua, quæ supersunt, proxime traditurus. Nolumus in laudibus tanti Viri extollendis longiores esse; haud enim commendandus videtur esse liber, qui, post imperitos, reliquos omnes æstimatores habiturus est, cujus parvam imaginem daturi, morborum, qui intra illum descripti sunt, summa capita nunc exponemus.

De *Pleuritide* primo loco agitur. Omnis dolor laterum pleuritis dici nequit, cui, ut dici possit, febrem adesse oportet acutam. Possunt tamen *dolores laterum* dici aliqui ex illis, qui sine febre sunt. Tales aliquando ex spasmo proveniunt, hypochondriacis, hystericis; tales ex retrograda podagra esse possunt. *Dolor* & *febris*, comites, pleuritidem adesse, innuunt. Ut autem genuina pleuritis sit, oportet illam suæ febri esse synchronam; nam & febri priori aliquando dolores laterum accedunt, quos, etiamsi illi communem cum vera pleuritide curationem venæque sectionem postulent, aliquantulum a punctura laterum discrepare, cum *Hippocrate* in *Coacis* Perillustris Autor arbitratus est. Pulsus durus argumento est, incensam esse membranam, quæ costis succingitur; pulsus tamen mollities & exilitas pleuritidem aliquando propterea haud excludit, cum præ doloris acerbitate respirare æger sæpe nequit, adeoque, propter impedimentum, sanguini, in dextras, per pulmonem, transituro, nascens, thalami cordis posterioris repletio eo usque cohibita est, ut pulsus magnus atque durus exprimi haud possit. Dolor, eo usque auctus, ut thoracem expandi haud sinat, morbi formam sistit. Hic inspirantibus est exquisitior; quapropter illi, ideo quod costæ subigi satis nequeunt, se ipsos veluti suffocant, solamen autem accipiunt, quando vel ipsi sibi auxilio sunt, &, suo compulsi instinctu, latus dolens manibus sustentant, vel fascia subligantur, siquidem, solius diaphragmatis versus ventrem explicatione facta, quiescentibus interea costis, homo tamen utcunque respirat. Sunt autem

pleuritidis variæ ſpecies; *humida*, aut *ſicca*, alia, alia *vera*, aut *ſpuria*, *idiopathica* denique alia, atque alia iterum *ſymptomatica*, ab Autoribus appellatur. *Humida* illa eſt, quæ tuſſim ſecum habet comitem, eamque, ſi morbus recte procedit, efficacem. Damnatur enim ab omnibus *ſicca*, ἄπτυστα, quam ſcreatus, ſanguine tinctus, haud ſolatur, utpote qui ſemper eſt beneficus. Etiamſi autem *piripneumonia* ſingularis morbus eſt, qui in ſanguinis quiete per pulmones ſola ponitur, & pleuram ſanam eſſe ſinit, quo tempore ſumma eſt reſpirandi difficultas, pulſus exilis, dolor nullus; attamen, pro illa, quæ morbis congeneribus intercedit, affinitate, tantus inter pleuritidem & peripneumoniam nexus eſt, ut, cum illa ſummum ſui gradum aſſecuta eſt, hæc abeſſe haud poſſit. *Pleuripneumoniam*, vel *peripneumopleuritidem*, hunc morbum Autores dicunt. Eſt igitur haud raro ipſe pulmo pars affecta tunc, cum pleura inceaſa eſt. Aſt tunc demum, cum altius ad ipſum pulmonem malum deſcendit, *peripneumonia* dicitur. Neutiquam autem obeſt, pulmones pleuritici ſanos eſſe, quod tuſſis & ſputa cruenta intercurrant, ſiquidem ex *conſenſu* tuſſis, ex *translatione* autem, per intervenientem *venam ſine pari*, ſputatio, pulmone licet ſalvo, eſſe poſſit. Pleura omnis inflammationi ſubeſt, nec tantum in ſiniſtro latere, ubi tamen acerbius malum ſemper eſt, neque vero tantum in dextro, ſed etiam prope ad dorſum & ubique, quorſum aulæum thoracis pertinet, pleuritis eſſe poteſt. Non ſemper pleuritis eſt, quando latus, junctim cum febre, dolet, ſed poteſt dolor & febris eſſe, nec tamen inflammatio; tunc morbus *pleuritis notha* dicitur. Hanc alii ita diſtinguunt, ut, eam adeſſe, dicant, cum muſculi ſaltem intercoſtales inflammati ſunt, pleura ipſa manente ſalva. Aliter autem & rectius veteres, atque ex his *Galenus*, quando ſpuriæ pleuritidis notas in abſentia tuſſis, ſcreatus, pulſusque duri, collocat. Frequentior pleuritis illis eſt, qui ſanguine abundant, quibus pulmo ad latus accrevit, quibus aliqua ſanguinis excretio ſolennis oppreſſa eſt; eſt etiam in multis aliqua deatheſis inflammatoria, quæ, cum in alias, tum in pleuræ, inflammationes erum-

erumpit, quando causa occasionalis, aer maxime, aut vix definienda aliqua constitutio epidemica, quæ hujus mali frequentiam affert, accessit. Cum igitur pleuritis vera inflammatorius morbus sit, omnes quoque modos, quibus inflammatum exire solet, assequitur, & optabile quidem est, discuti illud ac resolvi posse, quod intra minima pleuræ vasa quievit: id quod, sub primo hujus morbi stadio, cum febris adhuc levis, nec magna pulsus est durities, effici potest, solo diluentium, & emollientium, loco ipsi dolenti applicandorum, usu, eum in finem, ut vasa facile dilatabilia transmittant id, quod hæret. Quando autem provectius nunc malum est, efficacior medicina requiritur. Nisi enim spontanea aliqua sanguinis fluxio, sive illa, quæ naribus fit, sive quæ per ora venarum hæmorrhoidalium, aut uteri, celebratur, vacua vasa reddit, efficitque, ut per sanguinem arteriosum, a tergo irruentem, loco moveri obstructum possit; nisi etiam aliqua metastasis, quod salubre & frequens, ad scapulas, vel humeros, dolor, & cum illo doloris materies, secedit; nisi quoque sputo cruento morbi vis frangitur; tunc sane impetus humorum, circumductorum in loca inflammata, infringendus est. Etiamsi enim sputi cruenti magna sit effusio, atque per illud inflammatoria materia sensim minui possit, si illi signa bonitatis, & ad sanationem sufficientiæ, adsint, *facilitas*, *spissitudo*, &, quæ exinde consequitur, *ægri euphoria*; sæpe tamen, nisi in leviori malo, quod spontaneum est, haud sufficit, & efficaciora medicina tunc opus est. Cum enim dolor acerrimus, respiratio autem valde impedita est, ut blanda resolutio, quæ sudoribus, urinis turbidis, vel sputo, peragi solet, exspectari nequeat, atque cum sicca pleuritis est, tussimque habet inertem; tunc vero, cum spontanea resolutio sperari nequit, & vehementer metuendum est, ne inflammatio in gangrænam, scirrhum, vel suppurationem, vergat, præcipuum doloris remedium in sanguinis missione ponitur. Hanc omisisse, plerumque, celebrasse, raro, nec nisi tunc, nocet, cum solennes excretiones jam præsto sunt, quæ obstructum solvere possint, neque, quo minus sanguis mitti possit, vel graviditas, vel ætas tenera, aut

P 2 per

per senectutem infirmata, dummodo missi sanguinis quantitas viribus respondeat, impediunt; namque & puerperis, pleuritide vexatis, cum lochia fluere desinerent, sanguinem duci posse, *de la Motte* experimento cognovit. Fallax quoque est spontanea fluxio, nec venaesectionem impedit, si symptomata urgent. Huic consilio dies dictus nullus est, & vanum in plerisque morbis acutis est famulitium, dierum criticorum, ad literam facta, observatio. Igitur serius quoque mitti sanguis, aut ejus fusio repeti, potest, si respiratio anxia, & dolor acerbus, id postulant, & febris urget. Octavo die *Hippocrates Anaxioni Epid. III agr. 8* sanguinem misit, &, bene hoc cessisse, re ipsa sensit. Neque vero, in pus abire inflammatum nunc velle, tam dierum numero, quam signis, horrore scilicet, &, quae illum consequitur, nova febre, & doloris mutatione, aestimandum est. Unicam pleuritidis curam, si pergant, vel renoventur, dolores ac gravis respiratio, in sanguinis missione *Sydenhamius* posuit. Imo ne numerus quidem est, qui venaesectiones definiat, sed eo usque sanguis ducendus est, quousque crusta illa, ex albo livescens, coriacea, in sanguine misso superest, quae diathesin phlogisticam significat, &, si unquam, in hac certe curatione, taxandi sunt Medici, quos αἱμοφόβους *Galenus* nominat, cum sanguinem effundere nolunt. Saepe ne debilitas quidem in causa est, cur vena porro pertundi pleuriticis nequeat, cum tamen dolor urget & anxia respiratio. Proximus a venaesectione locus, in pleuritidis curatione, veteribus est emollientium usus, quos imitatus Perillustris Autor, pannos, sapone Veneto, ex aqua & lacte cocto, tinctos, calentes subinde lateri dolenti imposuit, atque illos, per noctem, emplastro de meliloto permutavit; quae remedia, tam inflammationi tollendae, quam illi, quando hoc evitari porro nequit, in pus convertendae, famulantur. Interna remedia illa sunt, quae vel diluunt, vel solvunt. Simplex decoctum hordei cum oxymelite & nitro frequenter suffecit, admixtis lenioribus anodynis, quod *Trallianc* in more fuit. Damnatur frigidae, laudatur calidae, potus. Praeterea, cum febris inflammatoriae indoles in putredinem proclivis sit, commendantur, quae illam arcere,

cere, aut refrænare, possint, acida scilicet ad mentem veterum, ptisana hordei, acetum, mel, mulsa diluta. Etiamsi enim illi, qui, ad mentem *Helmontii*, acidum inflammationis, adeoque & pleuritidis, causam esse, volunt, alcalicis terreisque medicamentis utendum esse, sibi persuadent, illa tamen nocenter, hæc, etiamsi haud nocent, inutiliter, applicantur, sed eo dirigenda curatio est, ut post illa, quæ sanguinis impetum refrænant, & putredinem arcent, caveatur sedulo, ne pleniori victu æger, omnium minime jusculis meracius coctis, oneretur. Cum enim febris inflammatoria pleuritidem comitetur, omnia, quæ calorem augere possint, evitanda sunt sedulo, unde etiam, regimine calido, æstu scilicet per stragula & culcitras aucto, aut remediis, qua sudorem movent, nihil potest esse nocentius. Proinde nec cantharidibus fides habenda omnino est. Etiamsi enim *Baglivius* illis, ad suras & humeros applicatis, multum tribuat; neutiquam tamen ubique securus illorum usus est, cum, tanquam venenum, ad putredinem disponant; possent fortasse prodesse, cum febris debilis pulsusque exilis est. Quando autem febris exorbitat, ut, illam plus versus putredinem, quam blandam solutionem, propendere, intelligas, refrænanda illa omnino est, cum aliis, tum maxime enematibus, quæ sine acri stimulo coquuntur; metuendum enim valde est, ne, proritata alvo, materia inflammatoria ad indecentia organa compellatur. Neutiquam tamen optabilem illum finem, qui in blanda resolutione positus est, natura semper assequitur, sed, cum penitus insedit, ut commoveri nequeat, inflammatoria materies, mutatur illa ad legem omnium inflammationum, quæ solvi non potuerunt, atque in pus convertitur. Illuc propendere morbum discimus, quando symptomata illis diebus, quibus fas est, haud mitescunt, febris magis accenditur, sputa vel nulla sunt, vel cruento pure illis haud immixto, neque etiam per urinas, aut alvum, aliquid excedit, quod solvendo morbo par esse possit. Subitanea tamen dolorum ac febris remissio fidem propterea haud facit, pus nullum fore; namque pus tunc factum jam est, latetque & demum febris hectica, & tabes succedunt, quandoquidem, nimia

mia erga specificorum antipleuriticorum usum fiducia, venam tempestive secare medentes noluerunt. Fieri autem illa materiæ inflammatoriæ in pus conversio nono undecimoque die, ad *Hippocratis* mentem, solet, si eo usque febris haud mansuevit. Id quod nunc prope esse, significant horrores vagi, febre simul remittente, pulsu satis valido, nec tamen duro. Etiamsi autem suppuratio optimus aliquis finis haud est, est tamen illi proximus, atque vel scirrho, vel gangræna, optabilior, siquidem de eo semper haud quæritur, quod velis assequi, sed quod possis. Longus sæpe labor ille est; namque, cum vel pleura pus accipit, vel tuberculum in pulmone suppuratur, non semper continua febris est, sed illam sæpe intermittens excipit, atque securius longo nunc tempore perficitur, quod cito effici sine periculo haud poterat. Cum sub pleura pus natum est, varia illud via progreditur. Aut enim, si forte pulmo illi loco adhæsit, ab illius cellulositate accipitur, aut iisdem, ex quibus sputa pleuriticorum proveniunt, fontibus, *venæ* scilicet *azygæ* osculis, sorbetur, aut circuli lege quaquaversum dispergitur, &, variis organis excretoriis applicatum, corpore excedit, aut denique trans intercostales musculos, sub cute lateris, prominet, &, abscessus lege, rumpitur. Insignis sæpe puris copia inter pleuram, quod fieri posse *Aretæus* miratus olim est, & costas, alitur, fitque inde nova tensio novusque dolor, quem minus periti Practici novæ inflammationi tribuunt, ideoque intempestiva venæsectione ægrotum exinaniunt. Quandoquidem autem metus est, ne denique folliculus ille pure plenus rumpatur, seseque in thoracem effundat, tentanda sunt ea, quæ pus erga cutem dirigere possint. Huc respexerunt veteres, cum, suppuratam pleuritidem esse, cognoscerent, & tam cucurbitis, quam maturantibus, ipsoque igne ac ferro, usi sunt, quo pus extrorsum duceretur. Eadem mens *Bœrhaavii*, atque Perillustris ejus Commentatoris, est. Docuit enim spontaneus morbi decursus, abscessum aliquando suapte natura foris erumpentem, immanem puris quantitatem profudisse. Pejus est, si abscessus versus pleuram actus, illa distenta, ac denique rupta, omnem suam in thoracem dejicit

dejicit virulentiam; qua de re quid statuendum sit, *ultimo* hujus *Tomi Capite* figillatim proponitur. Lethalis pleuritidis exitus est, cum vel morte lenta ægri pereunt, postquam illorum vires febris lenta excoxit, & ex pleuritico pure ulcus pulmonum subnatum est, vel cito auferuntur gangræna, quæ tunc oboritur, cum nec solvi, nec in pus converti, inflammatum potuit, quem morbi eventum, sputa suppressa, dyspnœa manens, dolor summus, extrema virium dejectio, excreta quævis, ore, ano, urinis, fœtida, nigra, aliaque sinistri ominis signa, notant. Etiamsi autem desperata tunc omnia esse videantur; desperandum tamen est neutiquam, atque desperato morbo desperata quoque adhibenda sunt consilia. Antiquitas ussit latus, aut secuit, neque quidquam aliud est, quod, nisi ægrum deserere Medicus malit, factu opus est, quam quo, si lividus sub cute laterum color, qui gangrænam ostendit, sese commonstrat, bona excitetur suppuratio, mortuum a vivis separatura, veluti hoc ubique, cum partes inflammatæ gangrænescunt, ita efficiendum est: id quod cum fieri, nisi nova inflammatione excitata, & viribus vitæ aliquantulum irritatis, nequeat, hinc, ex natura gangrænæ, scarificandus locus ad pleuram usque, & pus coquendum, est.

Jam dicendi materiam *Paraphrenitis* præbet. Si morbi indolem spectes, a pleuritide, ejusque curatione, parum hic morbus discrepat; est enim illi per omnia similis, atque illis saltem discrepat circumstantiis, quæ ex natura diaphragmatis læsi fluunt. Antiqui, qui septum transversum Φρένας dicunt, nobis hunc morbum sub phrenitidis nomine tradiderunt; verum, cum alia, quæ duræ meningis est, inflammatio nunc communiter sub hac notione tradatur, retinendum paraphrenitidis est vocabulum, neque disputandum circa nomina, scholastica severitate, est, cum seria aguntur. Inflammatum autem diaphragma esse, singultus, conatus vomendi, laboriosa deglutitio, significant, utpote quæ symptomata non tam ex natura pleuræ, quam diaphragmatis, etiamsi ceteroquin pleuritis & paraphrenitis eodem redeant, consequuntur. Minus constantia paraphrenitidis signa sunt reliqua, ut mens emota sit, ut labia ridentium more diducan-

ducantur, quem oris rictum risum Sardoum vocant; namque etiam ab acribus venenis, speciatim a *ranunculo palustri apii folio*, quem propterea *herbam Sardoam* vocant, ejusmodi spastica oris diductio oriri solet, qualis quoque infantulorum risus sub somno est, quem illi mentiuntur, quando prope ad epilepsiam accedunt. Etiamsi autem septi dolor laterum dolori sit simillimus; acerbiora tamen longe ejus sunt symptomata, & brevis morbi hujus potest esse duratio, cum resistere æger tanto malo, ob nexum pericardii & aortæ, cum diaphragmatis tendinibus, diu nequeat, nisi levius illud est, quo tempore *Hippocrates* illi æquas cum peripneumonia partes tribuit. Minus grave malum esse videtur, cum superficies diaphragmatis, quæ abdomen respicit, incensa fuit; fieri enim potest, ut ex pure, inter peritonæi, quæ septo adhæret, laminam, nascente, exoriatur empyema, quod in diem durat, licet denique vel tabem, vel, cum ruptum est, ascitem purulentum, non possit non producere. Sunt & aliæ inflammationum thoracicarum species. Mediastinum inflammatum in se ipso sensit *Abenzoar;* abscessum, cor undique amplectentem, & cor inde fere putrescens, invenit *Columbus;* cor exteriori pericardio accretum vidit *Ruyschius;* quos morbos omnes, cum existunt, & gravissimos esse, & ad legem pleuritidis, si tamen sanari possunt, sanari oportere, quilibet intelligit.

Ad *Hepatitidem* & *Icterum multiplicem* Perill. Autor progreditur. Etiamsi rariores sint hepatis inflammationes, ideo, quod exigua, pro istius visceris rationibus, hepatis sit arteria, sanguis autem venosus, ad hoc viscus procedens, laxioribus, & pulsus expertibus, vasis contineatur; vomicæ tamen, frequenter in cadaveribus circa hepar repertæ, prægressam inflammationem luculenter testantur. Ast ea est hepatis, etiamsi illud inflammatum est, conditio, ut nec effectus sanguinis, a corde versus inflammatum vehementer propulsati, ab ipso ægroto satis percipiantur, nec per consueta signa intelligi a medentibus possint, ideo, quod causæ morbi in extremis sinuum venæ portæ ramulis contineantur, atque illa resistentia cordis motum exacerbare admodum haud possit. Quamvis autem obscura, si pulsum spectes, hujus

jus morbi est diagnosis, sunt tamen alia signa, quæ hepatitidem notare possunt, eaque multum diversa, quod *Galenus* notavit, prouti vel *gibbosa*, vel *sima*, hepatis pars morbum sustinet. Cum enim in illa inflammatum hæret, ideo, quod gibber hepatis diaphragmati per naturam adhærescit, non potest non difficilem diaphragmatis actionem, atque proinde dyspnœam & singultum, æger persentiscere, nec dolore vacuus erit, quod & Celeb. *Bianchi*, & olim quoque *Hippocrates, de internis affectionibus*, notaverunt. Quando autem *sima* hepatis pars incensa est, ipse viscerum nexus docet, tunc vomitus, & nauseam, alvinasque dejectiones, intercurrere debere, quæ mala, cum recentia sunt, nec forte ex vetusto hepatis morbo oriuntur, cum etiam febris ægrotum derepente invasit, si præterea dextri hypochondrii tensiones accedunt, hepatitidem subesse, indicant. Veluti autem sanguinis motus per hepar, suapte natura, plus reliquis humoribus impeditus est; ita quoque in illo viscere obstructiones frequentius eveniunt, tam illæ chronicæ, quam hæ acutæ, febriles, quarum omnium causæ in liquido, per hepar progressuro, sua autem natura inerti, *pinguedine omenti, humore atrabiliario*, quem *Hippocrates* inter causas hepatitidis numerat, inque *materia purulenta, aliunde translata*, ponuntur, quibus accedunt bilis cysticæ acor, fellis calculus, ex occasionalibus autem causis, venenum, epidemica constitutio, aeris æstus. Ex longinquo sæpe causæ hepatitidis colliguntur, suntque haud pauci, quos propterea *hepaticos Galenus* appellat, qui latens & antiquum malum in hepate abscondunt, *scirrhum, callum, steatoma, vermes*, quos varios in hepate repertos esse, historiarum monumentis traditum est. Etiamsi autem, singulariter hepar inflammari, rarius est, non tamen raro evenit, ut synochus putrida, cum alia viscera, tum hepar quoque, incendat. Ea autem est hepatis, propter vasorum suorum inertiam & texturam minus irritabilem, conditio, ut ex statu inflammatorio in scirrhosum abire facile possit; namque, doloris particeps hepar haud esse, *de la Motte*, in *Chirurgia*, cum abscessus hujus visceris illi sub manibus esset, observavit. Igi-

tur, cum hepar aliqua sui parte intumuit, nascuntur sanguini transituro impedimenta, quæ cum variorum morborum, tum maxime icteri, causæ fiunt. Etiamsi enim icterus omnis induratum hepar in se haud comprehendat, siquidem omnis conditio corporis, effluxum bilis ad duodenum impediens, etiamsi febris prægressa haud sit, *graviditas*, *spasmus*, *calculus cystidis felleæ*, icterum producere valet; illa tamen icteri species exinde resultare potest, quæ non tam ex bilis cysticæ effluxu ad duodenum impedito, quam ex trajectu sanguinis venosi portarum cohibito, nascitur; siquidem in illo sanguine, qui nunc per hepar transfluxurus est, jam adest bilis rudimentum, atque aliquis quoque color, bilem referens; unde fit, ut in febribus quoque acutis ictericium colorem multi ostendant, veluti a vipera, aut fele rabida, admorsis contigisse legitur. Non tamen flavus, sed ceraceus, pallida cute in dilutissimam flavedinem exeunte, color est; atque *Aretæus*, innumeras posse esse colorum varietates in variis icteri speciebus, monuit. Quando igitur sananda hepatitis est, quam adducta signa ostendunt, generalis equidem omnium inflammationum cura, atque illa, quæ sub pleuritidis sanatione continetur, adhibenda est, omnium tamen maxime ea tentari debent remedia, quæ blandam resolutionem juvare poterunt, atque ea, quæ metuendæ a bile, quæ ad illam maxime propendet, putredini resistunt. Talia sunt illa antiphlogistica acida vegetabilia, serum lactis, juscula tenuia, succis vegetabilibus incocta. Accedant his leves hypochondrii dextri frictiones, epithemata, clysmata. Veluti autem proximo sibi loco materia inflammatoria resoluta prodire gestit; ita quoque fit, ut hepatis inflammatio per porum biliarium ad duodenum descendat, perque alvum dejiciatur. Fit adeoque, ut multis striæ sanguineæ, atque sincerus quoque sanguis, fæcibus alvinis immixtus, sub hepatitidis finem, ano effluat, ut, illud ex dysenteria esse, multis videatur. Falsi autem sunt, qui hoc ita æstimant; namque, quando sine torminibus atque tenesmo sanguis fluit, ad hepar ille fluxus referendus est,

quod

quod hac via, sub aliqua veluti hæmorrhagiæ specie, suo se sanguine sublevare potest. Omnis fluxio sanguinis spontanea inflammatis salutaris est, proinde & sanguinis ex naribus profluvium laudatur ab *Hippocrate* in *Prognosi*, cum hypochondrii tumor durus dolensque est, & æger ex febre ictericus factus fuit, veluti hoc a *Galeno* passim notatur. Est quoque aliqua bili per vasa sudoris via, hinc sudores amaros, ictero salutares, *Galenus* animadvertit, &, lintea croceo colore tincta quin ostendant, icteritii sunt paucissimi. Quorsum ergo humores vergunt, illuc ablegandi sunt, mitissimorum laxantium atque diureticorum usu, servata simul diæta tenui, quod *Aretæi* est consilium, fomentis una, non aliter ac in pleuritide, ad latus dextrum, ad mentem *Hippocratis*, *de internis affectibus*, applicatis. Est etiam aliquis hepatis inflammati in suppurationem exitus, & malum omnino illud pus est, quod ex hepatis substantia vi inflammationis soluta oritur, fœdum, amurcosum, quale potissimum ex vomica, circa simam hepatis regionem hærente, nascitur. Mitius esse potest pus, quod in convexa hepatis parte, sub membrana hujus visceris, gignitur, inque abscessum elevatur, quo aliquando per musculos progresso, hinc vel inciso, ad salutem via esse potest, cujus puris in hepate præsentiam, febris inflammatoriæ remissio, manente lento calore hectico, arguunt. Est autem varium iter, quo pus hepaticum procedere in alias partes potest. Si in medio hepatis loco pus in folliculum colligitur, augescit ille magis atque magis, exesaque hepatis substantia, pus vel poris biliariis ad duodenum, atque deinde ad alvum, deducitur, vel venis hepaticis acceptum, venæ cavæ, hinc cordi, traditum, ad pulmones abit, screatu sæpe ejicitur, aut passim per corpus procedit. Proinde *Hippocrates* de hepatitide ita effatus est *Coac. Prænot.*: *Qui circa hepar dolent, cardialgici, soporosi, rigentes, alvo turbata, extenuati, cibos fastidientes, multis sudoribus diffluentes, purulenta per alvum dejiciunt.* Inde tertia icteri species *Bœrhaavio*. Pessimus eventus ille est, quando pus, rupto abscessu, in cavum abdominis effunditur, unde ascites purulentus, & ex *putredine physogona* tympani-

tis. Est quoque modus, quo pus vomitu ejicitur, cum illud duodeno illatum, superato inferiori ventriculi ostio, hoc viscus ingressa est. Vidimus abscessum in sima hepatis parte, prope ad curvaturam ventriculi parvam, natum, qui, postquam hepatis lobulus, qui sub omento parvo est, fundo stomachi coaluisset, parietes ejus sensim perforaverat, reluctante satis diu ægrota, & pus sanguine mixtum evomente, donec, extenuata per lentem febrem, interiret. Admirabilis enim est puris progressio, atque illud, juvante naturæ avtocratia, sibi sæpe ad exteriora viam parat, & auxilium chirurgi postulat, quo educi possit, quem in finem veteres, metuentes ferrum, hepatisque vulnus, & natam exinde hæmorrhagiam, igne, quo ad abscessum sensim ac sine sanguinis effusione pervenire possent, usi fuerunt: *Si secare malis*, ait *Aretaeus*, *profluvii sanguinis periculum instat, statimque hominem perdi contigit, nam sanguinis e jecore profusio nullo modo coerceri potest.* Nihil autem habent, quod metuant, qui prudenter & circumspecte secare didicerunt. Oportet sane scalpellum ita duci, ne præcipitantius intrudatur, cum, quod *de la Motte*, *Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie, Tomo I*, expertus est, vesicula fellea, majorem sæpe in modum tumens, abscessum mentiri possit. Communis glandularum viscerumque glandulosorum, ab inflammato, nisi hoc suppuretur, in scirrhum abeundi, modus est. *Si a phlegmone non suppuratur hepar*, ait *Aretaeus*, *nemini dubium fuerit, tumorem durum subsidentem in scirrhum mutari ac stabiliri, quando continuus dolor non infestat, cumque adest, obscurus sentitur, unde demum, omnium malorum colophon, hydrops, nascitur.* Et, veluti ex scirrho cancer oritur, ita quoque, cum durus in hepate nodus ortus est, depascens ulcus, quod diris intestinorum cruciatibus, fluxuque sanguinis alvino, indicitur, vitæ finem ponit. Tot tantæque hepatis affectiones sunt, e quibus aliorum quoque morborum, tam chronicorum, quam acutorum, aut periodicorum, rationes peti possunt. Multæ sane passiones, colicæ, iliacæ, vomitus cruenti, cruentæque dejectiones, febrium intermittentium typi admirabiles, asthmata, icteri sæpe revertentes, ex hepate variis modis obstructo, tanquam

quam causis suis, progerminant, inter quas numeratur calculus, qui, cum in vesicula fellea frequens est, bilis iter intercipiendo, omnem malorum catervam, ex errore fellis ad vasa indecentia promoti, atque ex ejus intra canalem alimentosum defectione, ducit. Produnt autem calculorum ejusmodi præsentiam dolores acuti, vomitus, fæces decolores, spastica hypochondriorum contractio. Et vomitus quidem inter benefica recensetur symptomata, cujus molimine calculi illiusmodi exire de poro biliario, & ad duodenum compelli, possunt feliciter. Proinde, juvandum hunc naturæ impetum esse, Perillustris Autor consulit, ptisana ex hordeo & melle cocta, eademque sub enematis specie exhibita. Laudat quoque succos vegetabiles acidos, & meracissima decocta, ex taraxaco, fumariæ, cichoreo, & similibus, infuso illis lactis sero, parata, viditque, pertinaci talium remediorum usu sanatos fuisse icteros, inventis in fæce calculis grumisque calculosis. Lithotomiam vesiculæ felleæ, cui calculi inesse per signa intelliguntur, proposuerat *Petitus*, *Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie*, *Tomo I*, si, vesiculam felleam peritonæo adhærere, percipi possit. Quodsi enim libera cystis est, ex ejus vulnere, & bilis abhinc descensu ad cavum abdominis, mors est. *Forte*, ait Perillustris Autor, *prima fronte audax apparebit facinus, talia moliri, sed certe audacior ille fuit, qui primus ex vesica urinaria, sectione, calculum educere tentavit.*

Pergit Noster 4) ad *Ventriculi inflammationem*. Quo tenuiora, nervisque ac aliis vasis pleniora, sunt viscera, eo periculosius inflammantur reliquis. Ventriculum adeoque incendi, summum malum est, nec infrequens, etiamsi illius, tanquam singularis morbi, mentionem veteres haud fecerint. Habet autem ventriculus suæ inflammationis causas vel *ex se ipso*, vel illas *aliunde* recipit. Ex idiopathia inflammatio est, cum gelida, observante *Hoffmanno*, calente ventriculo, epota, ejus sanguinem sistit, cumque acre medicamentum, vel venenum, ex observatis *Wepferi*, hujus visceris tunicas arrosit, aut acris bilis huc delata est. Ex sympathia autem quiescit sanguis in ventriculi parietibus, si hepar, diaphragma, intestina, vitiata sunt, si transiturus per hepar

venæ portarum ſanguis in venas gaſtricas regurgitat, & ſanguini arterioſo, a tergo irruenti, reſiſtit, atque inde, dilatatis venarum oſtiis, cruenta vomuntur, aut dejiciuntur, ſique ex metaſtaſi febrili mala materies ad ventriculum ablegatur. Etiamſi autem generalia inflammationis ſigna, & dolor ventriculi ſummus, hoc viſcus accenſum eſſe, indicant; nondum tamen liquet, an illud ex ſe ipſo, an aliunde, ægrotet. Igitur propria idiopathiæ ſigna attendenda ſunt, dolor etiam, a deglutita minima re ſubito obortus, ſumma deglutitioni, circa os ventriculi ſuperius, nata reſiſtentia; frequentia hujus morbi ſymptomata, ob maximam nervorum vim, ſunt convulſio, ſpaſmus. Oportet adeoque exhiberi medicamenta illa generalia, quæ ex inflammationis indole fluunt, & blandam reſolutionem tentari, mitiſſimis acidis vegetabilibus, quorum collectio in ſero lactis eſt. Reſpondent huic morbo clyſteres ex emolliente, ptiſana, hinc externa epithemata, atque ea, quæ ſpeciali acredini, venenatæ, aromaticæ, ſpirituaſcenti, fermentanti, ex quibus inflammatio nata eſſe poſſit, opponuntur. Etiamſi autem plerumque celer hujus morbi in mortem exitus eſt; fit tamen, ut in alium morbum ille exeat, & vel abſceſſus, atque ex hoc ulcus, quod aliquando per muſculos abdominales erumpit, vel ſcirrhus, quem *Ruyſchius* atque *Bonetus* notaverunt, oriatur. Rarius, ob texturæ ſuæ laxitatem, lien inflammatur; neque tamen omnino a natura hujus viſceris alienum eſt, inflammari, cum & pulmones, laxum ſane viſcus, hoc idem experiantur. *Non videtur improbabile,* ait Noſter, *quandoque ſub pleuritidis nomine tractari lienis inflammationem, & absque magno damno, cum cura pleuritidis huic quoque morbo conveniat, quem dolor ad imas ſiniſtri lateris coſtas notat.* Non incognitus ille morbus veteribus fuit, qui, cum multa lieni tribuunt, tum maxime, illum inflammari, notaverunt; *Hippocrates* acutorum dolorum, qui etiam ad humerum, claviculam, ilia, ac mammas, abirent, cauſam in lienis inflammatione poſuit. Sequitur illa inflammationum indolem, ut, niſi blanda reſolutio locum invenerit, in pus, ac denique ſcirrhum, progrediatur. Hoc ſimiliter non ignoraverunt veteres, & *Aretæus*, pus

pus in liene reconditum esse, etiamsi ille sensus expers sit, tamen ex dolore tenui & saepe remittente, atque ex horroribus parvisque caloribus, judicavit. Perillustris Autor suppuratum lienem in juvene describit, & dira mala, exinde nata, atque metastasin puris splenici in diversas partes, animadvertit, atque, hoc non aliter in raro hoc morbo evenisse, quam illud ab *Hippocrate* jam ante annotatum fuerat, docet, hac occasione Graecorum Medicorum laudes evehens. *Nihil*, ait, *magis incitet Medicos, ut diligenter evolvant priscorum Medicorum volumina, quam dum vident, difficillimis casibus lucem affundi a veterum observationibus, vixque aliquid in praxi occurrere dubii, quin inveniamus apud illos.* Ita quoque scirrhum lienis, frequens malum, apud *Aretaeum* offendimus; cujus exempla plura excitantur a *Ruyschio*; & solet equidem illud viscus in praegrande volumen excrescere, atque per multos annos ita durare. Nullum viscus ab inflammatione alienum est, adeoque, cum praegrandes pancreatis scirrhi a *Graafio, de succo pancreatico*, aliisque, notati fuerint, dubium supereft nullum, hanc quoque glandulam inflammari posse & solere. Omento quoque evenire potest, ut inflammetur, cujus affectiones variae sunt & admirabiles. Sine aegrotorum damno, magna sui parte, resecatur saepius, veluti, a *Galeno* penes gladiatorem hoc ita factum esse, legitur, consumitur in hydropicis, manente vita, increscit in magnam molem, hinc situm intestinorum mutat insigniter, deinde quoque inflammatur pessime; nam, cum pingue sit, putrescit subito.

Accedimus 5) ad *intestinorum inflammationem.* Generales inflammationis causas in intestinis quoque locum habere posse, apparatus vasorum insignis, quae per omnem tubum intestinalem obveniunt, docet; videntur autem *Boerhaavio* tenuia maxime intestina huic malo obnoxia esse. Non enim tantum illa ex idiopathia & propriis sibi causis laborant, sed etiam aliunde malum habent, & frequenter omnino, notante *Sydenhamio*, malignarum febrium tota vis ad intestina convertitur, atque illa exinde accenduntur, quod mali genus ille *passionem iliacam veram* appellat, quando inflammationem, a scybalis duris or-

tam,

tam, *passionem iliacam notham* appellandam esse, autumat. Est ergo inflammationis intestinorum causa vel circumducta, vel fixa & domestica. Non tamen videtur vel dura fæx, vel pituita vitrea, sola intestinum accendere posse, nisi acrimonia accesserit, fermentans, aromatica, venenosa. Hæc, etiamsi alimentis remixta sunt, ventriculum tamen frequenter prætereunt, ejus tunicas haud offendunt, atque in tenuia saltem intestina suam exercent truculentiam. Sæpe etiam venena in homine nascuntur, atque haud raro evenit, ut, humoribus acribus ex toto homine ad tenuia intestina translatis, iisdemque irritabili intestinorum tunicæ villosæ ac nerveæ applicatis, oriatur cholera, atrocissimum malum, quo homo totus exinanitus, convulsivus demum moritur. Quævis autem res, acris, destructiva, tubo alimentoso applicata, motum illius vermicularem eo usque augere potest, ut spasmus, exinde autem, consensus lege, convulsio totius, consequantur, quamvis ille, sine ulla acredine, quod in hypochondriacis atque hystericis frequenter evenit, a solo spirituum motu, aliquando etiam a materia arthritica aut podagrica absorpta, consequi soleat. Cum ergo a variis causis inflammatio intestinalis nata est, angustatur tubus, atque fæcibus flatibusque impervius redditur, sistuntur illi inter locum inflammatum interque ventriculum, hinc ructus fiunt benefici; interceptus autem inter bina loca contracta aer immanes ex distensione dolores, hinc novæ inflammationis causam, producit. Oriuntur a tali irritatione convulsiones diaphragmatis musculorumque intestinalium, fitque asthma, vomitus, flatus ad anum perveniunt cum murmuribus, observante *Aretæo*, nec tamen procedunt.

Cum igitur inflammatio omnem contentis exitum præclusit, fit 6) *Ileus. Ileus*, ait *Galenus*, *est phlegmone intestinorum, ita, ut nec flatus, nec stercora, exeant, tormina sequantur vehementia & cruciatus intolerabiles.* Dicitur enim ἀπὸ τῦ εἰλέιν, quod est *contrahere*, cum intestinum, uti apud *Celsum* est, verti videtur. Inde *volvulus*, quando, ut *Cælius Aurelianus* habet, *præ vehementia dolorum, supra eas partes, quæ patiuntur, intestina arcuata convolutaque plicantur.* Quo autem

hoc

hoc fieri possit, possintque intestina sese subintrare, mesenterium gangræna tactum antea esse oportere, Noster arguit. Tunc omnia medicamenta cathartica ilico fiunt vomitoria, ob motum peristalticum inversum, nec enemata quidem proficiunt, atque una cum stercoribus ore ejiciuntur, mutua susceptione liquidorum versus superiora viam nequaquam impediente, quod Autor vidit, simulque periodicum stercoris vomitum notavit, cum, plenitudine stercorea sensim inducta, denuo morbus recrudesceret. Impetuum igitur non est, ex prognosi *Galeni* atque *Hippocratis*, ileo correptos emergere nullos. Tunc autem salutis spes nulla est, cum gangræna supervenit, quæ tubum laxat, & finit equidem clysmata subire, procedere etiam flatus, sed sine auxilio. Aliquando hernia incarcerata hujus mali causa est. Absque inflammatione quoque ileum provenire, *Aretæus* notavit, atque tunc venæsectionem omittendam censuit, quo in casu κολικὰ medicamenta valere aliquid possunt, inter quæ illud est, ex *pipere longo, rotundo, & cassia*, quod apud *Celsum* legitur. Nocet autem regimen calidum quodvis tunc, quando inflammatio per sua signa sese manifestat, quæ in febre acuta, calore, dolore, urina flammea, & subitanea virium prostratione, ponuntur. Ille ipse morbus, quando colon invadit, colica passio dicitur. Aliquando, sub finem tenuium, colon ab extrema ilei parte intus suscipitur, quod *Hildanus* vidit; aliquando colon sese ipsum subingreditur, quod *Ruyschius* observavit. Etiamsi autem colicæ nomen penes *Hippocratem* haud legas, utpote quam ille sub ilei notione comprehendit; apud *Aretæum* tamen uterque morbus distinctus invenitur. Colicam seorsim nominavit *Galenus*, atque, illam cum renum doloribus confundi posse, ast innocenter, cum cura nihil discrepet, notavit. *In hoc tamen malo*, ait *Aretæus*, *periculum tanto levius, quanto colon tenuibus intestinis carnosius, crassius, & noxæ tolerantius, est*. Ad loca enim affecta per clysmata aditus est. Rectum intestinum si inflammatum est, tunc aliquando morbus hæmorrhoidas cæcas mentitur, siquidem venæ varicosæ, intra anum deprehensæ, huic opinioni fidem facere possunt; ast sine illis quoque inflammatur sedes. Interea, etiamsi

pro hæmorrhoidum tumore accipiatur colica, parum tamen interest, cum eadem utrinque medela esse possit & debeat. Molestissimum in hoc morbo symptoma *Teinesmus* est, seu inane desidendi desiderium, cum stranguria, si vir fuerit. Elegans super hoc argumento *Hippocratis* locus est, *de Fistulis* libro: *Si rectum intestinum inflammetur, & dolor prehendat, & febris & ad alvum exonerandam crebro desideat, nihilque dejiciat, & a pituita videatur anus procedere, interdum etiam urinæ stillicidium prehendat, qui morbus oritur, cum pituita ex corpore in rectum intestinum procubuerit.* Solvit hunc morbum sanguinis ac muci blanda dejectio & dysenteria, quæ proinde hunc morbum sanare *Hippocrati* dicitur. Tanto morbo, brevi & in gangrænam vergenti, celer quoque medicina, & eadem quidem, quæ in omnibus inflammatis, ast ubique valentior, paranda est; venæsectionem largam, ex vulnere lato, ad animi deliquium, *Aretæus* consulit. Nec tantum tollendæ, sed etiam præcavendæ, inflammationi, si ex spasmis intestinorum dolor est, vena secta conducit. Laudat clysteres oleosos *Celsus*, & *Aretæus*, hos fomenti loco esse posse, scribit, quod consilium Noster valde laudat, cum ad blandam inflammati, &, etiamsi hoc nondum adsit, ad spasmi, resolutionem, emollientium medicamentorum, fotu, aut enemate, applicatorum, usu, nihil possit esse conducibilius; *Sydenhamius*, post venæsectionis usum, dabat *laudanum suum liquidum*, quod valet, si a spasmo solo dolor est. Nihil autem valent paregorica, cum ex humorum intra vasa quiete, vel acredine, morbus est; quin gangrænam accelerant, qui motus vitales hac medicina exstinguunt. *Celsus* totum hominem in oleum calidum demittere jubet, quo omnia laxa reddantur. Fomenta quoque, exterius admota, discussionem promovent. *Sydenhamius* catulum viventem abdomini, iliacam passionem curaturus, incumbere jussit. Noster omentum, animali, recens mactato, extractum, laudat. Cum autem materia immeabilis in tubo alimentoso hæserit, fæx dura, muco inducta tenaci, tunc, ad mentem veterum, *Sydenhamius*, præmissis, quæ inflammationem refringere possunt, purgans quoque dedit. Follem fabrilem hoc

hoc in casu, frustra tentatis aliis, adhibuit *Hippocrates*, consilium ex natura adglutinati ad intestini parietes glomeris stercorei petens. Possunt etiam clysteribus incoqui, quæ purgant, maxime Nicotiana, cujus fumum, ano injectum, *Heisterus* in ipsa quoque hernia incarcerata utilem deprehendit. Alii corpus metallicum grave, quod, nisu & descensu, impedimentum tollere posset, suaserunt. Mercurii crudi usum laudarunt multi egregii viri, nec Noster illum improbat, &, satis tuto sumi posse, si cito iterum exeat, arbitratur. Igitur copiose sumendum consulit, quo ille obvias sibi fæces duras perfringere, &, postquam in unum confluxit, exitum, sui ipsius pondere specifico, urgere, possit. *Trallianus* frigida aqua usus est, atque in illàm sensim ægrotum demersit. Crudele est, hominis vivi reserare viscera; *Praxagoras* tamen, referente *Cælio Aureliano*, intestina discindenda, &, exempto stercore, consuenda, jussit, qua temeritate ducti ex recentioribus etiam aliqui, *Barbette*, *Nuckius*, vulnus tentaverunt abdominis, volvuloque extricato, pertinax hoc malum sanaverunt. In omnibus inflammatis ita constitutum, naturæ lege, est, ut, quod solvi noluit, pure moto, abigatur. Itaque & intestinorum inflammationem surrogatà solutioni suppuratio sanat, quando id, quod ita liquefactum est, in canalem prorumpit, atque sic ano expellitur. Neutiquam autem semper ita fit, ut, quod inflammatum fuit, pure in fasciculum collecto, verum sistat abscessum, sed, quoniam in celluloso illo, qui villosam respicit, contextu, phlegmone continetur, evenit, ut tunica villosa ipsa a substrata nervea secedat, in tubum veluti excavata, non aliter, ac si intestini totius portio evulsa, quod ab *Aretæo* ita observatum legitur, esset. *Nonnunquam*, ait, *oblongum quiddam, in pluribus non discretum, instar sani intestini, rejicitur*. Hoc idem per totum intestinorum tractum ita contingere solet, ut tunica illorum villosa, sub informis muci specie, secedat, id quod dysentericis ita evenire novimus, qui propterea, donec nova epidermis intestinalis renascatur, a quibusvis rebus, intestinum transeuntibus, vexantur miserrime. Maturatio ergo crudi inflammati promovenda est; hinc clysmata, ex decocto herbarum

R 2 emol-

emollientium sæpius injecta, & ptisanæ lævigantes, efficiunt, ut interna intestinorum superficies laxetur & emolliatur. Deinde cavendum sedulo est, ne quid, quod vel acrescit, vel duram fæcem gignit, devoretur. Laudatur seri lactis recentis, jusculi, carnium, quibus radices *scorzoneræ*, *sisari*, incoctæ sunt, usus. Pus motum esse, tam fæcum color, quam febris & doloris remissio, docent. Dolorem autem, sine bonitatis signis, quæ in virium integritate consistunt, statim abigi, tam malum est, ut gangrænæ potius significatio exinde desumatur, quando de bonis suis æger gaudet, viribus vitæ haud respondentibus. Ubi enim gangræna partem inflammatam occupat, dolor cessat, intestina quoque, nunc per mortem inchoantem laxata, suis liquidis iterum fiunt pervia, ast frigus extremorum, pulsus debilis, sudor frigidus, mendacem hanc euphoriam esse, significant, tunc maxime, cum nescientibus fœtida, nigra, fæx dejicitur. Est aliqua sæpe desperatis ad vitam via, ideoque & gangrænosæ partes, subnascente nova carne, aliquando secedunt, cui naturæ negotio promovendo commodum remedium corticem peruvianum esse, Noster, uberioribus experimentis edoctus, affirmat, gratiam pro suo candore illi habens, a quo acceperat, celebri chirurgo *Ruschworth*, qui de sistenda per hoc medicamentum gangræna primus cogitasse dicitur. Vita quoque trahitur languida, & mors differtur, cum intestini portio, quæ nec solvi, nec suppurare, poterat, in scirrhum indurata est. *Ruyschius* invenit intestinum rectum adeo induratum, ut pollicis crassitiem fere superaret; hinc ingestorum impedita dejectio, actio intestinorum in ingesta, debilitata. Veluti ex scirrho cancer est; sic intestina quoque in putidissimam diffluunt saniem. Videtur *Trallianus* cancrum intestinorum observasse. Inter initia morbi, cruenta, hinc saniosa, excernuntur, multis primo ramenta, postea pinguia, descendunt, & fæculenta fœdi odoris. Postremo, ubi in cancrum morbus abit, varia excrementa & nigra, cum quibusdam putridarum carnium particulis, per alvum redduntur. Hinc febris cum multa siti, nec non cibi fastidium, unde corpus emarcescit. Quandoqui-

deoquidem intestinorum morbis sæpissime intercurrunt *aphthæ*, de illis quoque *Boerhaavius* aliqua conscripsit, quæ res Nostro in aphtharum indolem inquirendi opportunitatem subministravit. *Aëtius* aphthas, lata squalida, quæ infantibus nascuntur, oris appellavit ulcera, atque illa adstringentium usu sanavit: qua occasione Autor mel rosatum cum spiritu salis consulit. Ast *Hippocrates* alibi quoque aphthas quærit, atque illas in fistula quoque respirationis & circa verenda collocat; serpentia oris ulcera *Celsus* vocavit; illa ultra oris quoque limites procedunt, inque genas faciemque divagantur, id quod epidemica aliqua constitutione ita factum esse, Noster meminit, atque, cum emollientia ulcus augerent, virulentiam hanc spiritus salis usu cohibitam fuisse, adducit. An veteres noverint aphthas, ex febre acuta natas, in ambiguo est. Harum tamen aphtharum quoque antiquitatem Autor, adductis veterum monumentis, evincit. Hæ ultimi emissarii, quo humor mucosus, salivosus, in os mittitur, sunt germina; igitur super linguam sola haud existunt, sed per universam oris faucium que tunicam propullant, & detersæ renascuntur, atque illæ non tantum ex linguæ cryptis muciparis enascuntur, sed, veluti *Boerhaavius* in textu addit, gingivas, genas internas, palatum, fauces, tonsillas, gulam, stomachum, intestina, ubique investiunt, atque ex lacunis harum partium mucosis progerminant, veluti, cum desiccatæ defluxerunt, apparet, atque, observante *Katelaer*, in sua *de Aphthis* Dissertatione, gregatim, magna copia, ano dejiciuntur. Has neque cum crusta linguæ febrili sordida, quæ a demortuis nervulorum thecis nascitur, nec cum variolis papulisque miliaribus, quæ per internam non minus superficiem efflorescunt, confundere fas est, cum harum diversa sit nascendi conditio. Post infantes, intra primum annum viventes, rarius, nisi in febribus continuis, ad intermittentes vergentibus, se illas vidisse, Noster affirmat, tunc maxime, cum sudores rari essent, materia febrili ad internam superficiem tunc ablegata. Frequenter, observante *Sydenhamio*, illas comitantur febres, quibus diarrhœa, aut dysenteria, intercurrit; qui Autor in dysentericis epidemicis febribus aphthosas

 febres

febres vidit, quæ ſymptomata dyſenterica omnia, præterquam quod mitiores ventris dolores pulſusque tenues eſſent, ſecum habebant. Sequuntur illæ exanthematum indolem, & criticæ ſunt, febrim mitigant, ante ſeptimum diem periculoſiores, atque evaneſcendo novam febrem excitantes. Etiamſi autem materiæ febrilis vis omnis ita de ſanguine depellitur, priori nocentior tamen hic morbus eſt, quando internam tubi alimentoſi ſuperficiem aphthæ occupant, & gangrænoſæ redditæ, hinc mortis cauſa fiunt, quod ita eſſe, ex nauſea, ſummaque ægrotantium anxietate, diſcitur. Præſtantius eſt, illas albeſcere, & bono pure turgere; ſuſpectæ ſunt cinereæ. Reliquæ ſuos colores, quos *Bœrhaavius* notavit, a vario deſiccationis gradu habent; principio nigras nec *Ketelaer*, qui aphthas febriles Zelandiæ incolis endemicas magno ſtudio obſervavit, nec Autor, vidit. Nigras autem, horrido ſpectaculo, Noſter, ſub mortis limine, conſpexit. Etiamſi autem delapſæ ſunt, pluribus tamen vicibus repullulant, niſi loca, ubi ſederant, pura apparent & humida; ſi autem locus ſiccus apparet, malum ſignum hoc eſt, & cruſtæ gangrænoſæ indicium, quæ in latum deinde diffunditur, & partes quoque ſanas occupat. Hinc deglutitionis difficultas ſumma, inteſtinorum anguſtia, ex deglutitis dolor intolerabilis, ſub cruſta gangrænoſa poſitarum tunicarum lenta deſtructio, poſt cruſtam deciduam, dilatatis tubulorum halantium oſtiis, diarrhœa, aut in ore ptyaliſmus, utrumque ſalutare, ſi vires adſunt; aſt purgantium uſus nocentiſſimus eſt, & hypercatharſes inde naſcuntur ſumme exitiales, cruſta ſubito renaſcente, & in profundum abeunte, donec tubus totus pereſus fuerit. Igitur diſpoſitio vera ad gangrænam in aphthis adeſt, & mitiſſimæ quoque minima gangræna ſunt, qua ſumma cutis devoratur; illæ autem ſunt nocentiſſimæ, quæ duræ & rigidæ, ſiquidem ſub eſchara hac gangrænoſa viva adhuc caro comprimitur, & ſimiliter gangræneſcit. Ex confuſione, inter aphthas benignas infantum, & febriles, nata, error ille inſignis ortus eſt, quo, quæ illis opportuna ſunt medicamenta, adſtringentia ſcilicet & refrigerantia, his quoque ſalutaria eſſe putantur. Namque, cum aphthæ febriles tranſlata ad ſuper-

superficiem internam sint materies, illam desiccari, hinc retropelli, perquam est noxium. Torpens propterea vis vitæ excitanda, ipsa autem materies diluenda, est, ut facilius transmitti possit; simul ac enim impeditur aphtharum eruptio, febris augetur, anxietas summa fit, & pessima multa symptomata sequuntur, non sedanda, nisi denuo aphthæ prodierint. Igitur diluentia inducenda sunt, decocta radicum dulcium; nisi hoc, ob deglutitionem impeditam, atque ob vias lacteas, a crusta ulcerosa præpeditas, effici possit, alia via procedendum, & liquidum diluens per peripheriam cutis, balneo, fotu, perque clysmata, inducendum erit. Laudat Noster dilutum decocto panis vinum, nisi deglutiri possit, ore certe tenendum, cujus mira sit in sustinendis ægrorum viribus efficacia. Crusta ipsa emollienda est. In illis locis, ubi aphthæ grassantur frequentius, moris esse dicitur, ut raparum succus, cum melle mixtus, sumatur. Jusculum carnis vitulinæ, cum oryza & rapis contritis coctum, pulchre prodest, quo os subinde foveatur & gargarisetur. Expertus quoque corticis peruviani vires, ex *Sydenhami* consilio, Illustris Autor fuit, cum aphthæ essent persistentiores, febresque continuæ, veluti autumnales illæ, intermittentium typum servarent. His enim potissimum apthæ febriles intercurrere solent. Tunc crustas citius desiccatas fuisse, deprehensum est. Etiamsi autem, sub aphtharum summo statu, purgantibus uti, periculosum est; conveniunt tamen illa, cum, viribus ægroti surgentibus, crustæ aphthosæ loco moventur, mitissima tamen, antiphlogistica, & quæ roborandi vim sibi junctam habent, rheum, myrobalani, & similia. Aphthæ quoque alias partes, quibus tunica glandulosa, illi oris similis, est, affligunt, pudenda scilicet, & ani ostium, quarum sanandarum eadem quoque ratio esse posset.

De 6) *Nephritide* Perill. Autor habet sequentia: *Hæc*, ex definitione *Galeni*, *renum est inflammatio cum vehementi dolore, interdum eidem adjuncta est mejendi difficultas, cum fibrosis excretionibus aut arenosis, aut modico sanguine.* Equidem *Hippocrates* τὰ νεφριτικὰ omnia sub

uno

uno complexu habet, quando renum morbos explicat, ast constans & perpetuum est, nephritidis titulo statum renum inflammatorium sisti. Hanc, post alia signa inflammationum generalia, maxime, ubi ad summum progressa est, urina tenuis alba, stupor cruris vicini, dolorosa testiculi retractio, indicant, præcipue, cum calculosa nephritis est. *Celsus* hujus morbi signa collegit: *Si doleant coxæ, quæque inter has superque pubem sunt, & accedant frequentes victus, interdum vomitus biliosus, extremæque partes frigescant, urinæ crebra cupiditas, sed magna difficultas, est, &, quod inde excretum est, aquæ simile, vel rasum, vel pallidum, est, paulum tamen in eo levamenti est, alvus vero cum multo spiritu redditur, utique in renibus malum* est. Iliacus quoque dolor, quando propiora renum dolentium signa accedunt, hujus mali suspicionem haud parvam facere potest. Causas collegit *Aëtius Serm. XI*: *Ob plurimas causas renes inflammantur, nam & humores corrupti, & plagæ, & attritiones, & pharmacorum potiones, inflammationem generant, & præsertim equitationes continuæ & vehementes.* Quicquid enim sanguinem fibrosum in tubulorum renalium apices propellere valet, inflammationis causa erit certissima. Videmus illos, qui curru, per vias asperas, citatiori cursu feruntur, & confertim mingere, & sanguinem quoque dejicere in matulam, maxime, cum sunt bono sanguine turgidi. Igitur omnis causa externa, applicata foris, intus suscepta, venenum, pharmacum diureticum acrius, sanguinem, quem ultra arteriosos limites progredi haud decebat, in tubulos uriniferos compellere, & renum inflammationis causa fieri, poterunt. Inter causas autem prædisponentes spastica est diathesis, qua hypochondriaci & hystericæ laborant præ ceteris. Illis enim, sub contentiosa nervorum contractione, plurima & alba urina funditur, tanquam angustiæ tubulorum renalium significatio, atque illa eo sæpe usque provehitur, ut ischuria consequatur. Itaque sanguinis quoque impedimentum, quo minus ille ad venas revertatur, ex spasmo esse, & inflammatio inde nasci, potest. Etiamsi igitur ischuria ab aliis causis vesicalibus, consen-

ſenſualibus, naſci poteſt, inter nephritidis tamen effectus merito numeratur, tunc maxime, cum calculus aſper in renibus præſens ſpaſmo opportunitatem dedit. Illos, quibus hoc ita evenit, celerrime perire variisque affectibus nervoſi generis, tremoribus, convulſionibus, diſtenſionibus, ſoporibus, deliriis, opprimi, *Aretæus* notavit. Quæ, in univerſum, omnibus inflammatis eveniunt, quo vel blanda reſolutione, quod optabilius, obſtructæ ſanguinis viæ reſerentur, vel, quod dilui haud potuit, in pus abeat, id quoque renibus inflammatis opportunum eſt. Prius, natura ipſa fieri imperat, quando, quod impactum tubulis renalibus eſt, proxima via, ſub craſſæ hypoſtaticæ urinæ ſpecie, ad veſicam ablegatur, abſorpto reliquo, quod venis reſpondet. *A concoctis*, ait *Aetius*, *Sermon*, *XI inflammationibus urina prodeunt, multa & craſſa & in quibus eſt, quod ſubſidet; atque hæ ipſæ maxime judicant & ſecernunt morbum; aquoſæ autem mictiones & puræ & pellucentes, ægre morbum ſecerni, indicant.* Alia quoque, quam quæ per urinas eſt, via, inflammatum renis ſolvitur, cum ſanguis ſponte fluit; ita, veluti pleuriticis & phreniticis, nephriticis quoque ſalutarem hæmorrhoidum fluxum eſſe, *Hippocrates* propoſuit, *Aphor. XI Sect. VI: Melancholicis & nephriticis ſuccedentes hæmorrhoides, bonum.* Igitur, ad legem hanc naturæ, venæſectio nephritidem quoque ſolvit, ſi alia accedunt, quæ ex natura inflammationis fluunt, remedia. Abſtinendum autem ab acriorum diureticorum uſu eſt. Ita *Trallianus* vult, cum ea ſeligi jubet medicamenta, ὅσα τὸ ἀδηκτον ἔχει, quæ inſipida ſunt, nec mordent; igitur *aquam mulſam*, &, ſi hæc quoque acrior videretur, aquam tepidam, potare juſſit. Quandoquidem tunc ſummus dolor eſt, igitur illius remedium ægroti anxie expetunt, atque hoc illis denegandum omnino haud eſt, cumque vena ante ſecta eſt, mitioribus opiatis uti poſſumus, veluti *Ægineta* papaver, in clyſmate, *Aetius* autem, internum papaveris & opii uſum laudat. Tunc autem maxime urget malum hoc, cum calculus ureteribus firmiter impactus eſt, cujus movendi cauſa, conſenſus lege, vomitus fiunt ſane ſalubres, mulſa epota ſu-

S ſtinen-

ſtinendi, ne vacuus ventriculus, iſto molimine, plus laboret, quam ferre poteſt. Etiamſi autem videretur calculus, cujus ſigna ipſe vomitus cum urinæ difficultate, edit, diureticorum efficaciorum uſu pellendus eſſe, nocent tamen illa, ideo, quod ſuo ſtimulo febrim augent. Tenuiſſimis propterea diluentibus ac oleoſis, interne, externe, emollientibus utendum eſt. Ex inflammato, niſi ſolvi obſtructum poſſit, ad generales omnium inflammationum leges, abſceſſus renum naſcitur, quem, doloris levamen, febris horrida, atypa ante quam ruptus eſt, poſtea autem cum ruptus fuit, urinæ olidæ, ſanguineis ſtriis atque carunculis mixtæ, ſignificant.

Tunc eluenda erit vomica, uſu tenuioris potus, potiſſimum ſeri lactis. Antiquitas lactis potum commendat; *Ægineta* lac aſini laudat. Aquas minerales *Noſter* haud improbat, nec alienus eſt a balſamorum uſu, cum parcum quid datur, quandoquidem hæc, ſe ad urinas movendas multum valere, charactere odoris violacei, quem urinis imprimunt, ſignificant. Eſt & alia puris via, atque illud, abſceſſu in parte, cui ren ſubeſt, protuberante, effundi foris vellet, niſi muſculorum ſtrata obeſſent. Igitur arte ſubveniendum eſt, juſſitque *Hippocrates* abſceſſum, cum ejus præſentiam ſufficientia ſigna indicant, ſecari: *cum ren ſuppuratus eſt, ad ſpinam intumeſcit, hunc, cum ita habuerit, qua parte tumor eſt, profunda maxime ſectione ſecato.* Neque tam temeritatis hoc eſt, quam prudentiæ, cum ſatius ſit, deſperato remedio uti, quam nullo. Etiamſi autem, rupta renum vomica, præſentaneo periculo æger eluctatus eſt, nondum tamen evaſit, ſed diuturnus exinde morbus, *tabes renalis, Hippocrati dicta*, naſcitur. Denique, cum nec ſuppurationi renum locus eſt, ſcirrhus oritur; *Ægineta* σκληρίαν νεφρῶν habet, & *Aëtius*, hujus morbi eventus docuit: *Quacunque durities circa renes oboriuntur, dolores quidem non amplius inferunt, ægris autem ex vacuo ventris loco, veluti quidpiam pendere videtur, & ſtupor adeſt coxendicum, & impotentia crurum, minguntque pauca, & reliquo corporis habitu, aqua inter cutem laborantibus maxime ſimiles exiſtunt;* qui-

quidam etiam, temporis progressu, manifeste hydropem incurrunt, veluti etiam ab aliis visceribus induratis contingit. Declivis ex inflammato in gangrænam via est, & renibus inflammatis id quoque accidit, quod factum esse intelligimus, cum, post urinæ oppressionem, quæ ex summo inflammationis statu fit, lotium amurcosum, fœtidum, putre, fluit, quod ex rene corrupto descendit, atque sano superstitis alterius renis lotio immiscetur. In putrilaginem converti posse renum substantiam, *Eustachius* in cadaveribus observavit. Quam parum spei tunc supersit, exinde liquet, quod sanari æger, nisi id quod mortuum est a vivo secedit, nequeat; cui salutari eventui, ars neutiquam, natura vix, subvenire poterit. Possunt tamen corruptæ renis partes una cum urinis dejici, & observata plurima docuerunt, uno rene penitus inutili reddito, vitam superesse posse, cum alter ren solus, urinæ secernendæ officio fungitur. Abhinc, cum substantia renum sensim abscedit, miræ illæ rerum in urinis deprehensarum, vermium, uti videbantur, atque capillorum, apparitio. Tanta autem hujus Operis dignitas, & tantum momentorum in illo contentorum pondus est, ut, epitomen illius tradituris, præsentes paginæ haud sufficiant, cui igitur absolvendæ, proximus missus Actorum destinatus est.

ENARRATIO EORUM QUÆ PRO EXPLICANDIS lucis suæ æternæ Phænomenis secunda ad Abbatem NOLLET Epistola scripsit, Dom. Princ. de S. SEVERO.

In compendium hanc Epistolam mittimus, phænomena ex priore nota supponimus.

Cum lucet flamma, nullo sensibili materiæ decremento, ex aere nutriatur oportet, quem particulis igneis scatere in confesso est apud Physicos; dari vero materiam, quæ semel accensa illas attrahat, absurdum non videtur.

Hinc ad foramina laternæ dirigitur flamma, nutrimentum suum ibi quæsitura; inclusa extinctionem minatur, impedito nutrimento.

Paucissimas materies ipsa particulas inflammabiles contineat oportet. Hinc, nisi certum eius pondus capiatur, flammam non concipit, neque enim sat magnus numerus adest inflammabilium in massa minore. Igitur quas ex materia ipsa accipit flamma particulas, eas primis momentis consumit, non duratura nisi ex aere alias acciperet, sicque perpetuo duratura, cum ex aere perpetuo habere possit, aliis non indigeat.

Consumtis illis particulis inflammabilibus, iners materia unice superest, hincque non amplius accenditur ubi flamma quam semel ediderat, orbata est.

Candelæ cujusvis flamma durat in aere, ob æqualem undique pressum, a quo apicem nanciscitur, eoque incumbenti aeri resistit. Jam nostra flamma apicem foramina versus laternæ dirigit, quæ si infra horizontalem flammæ ipsius sint, apex deorsum dirigitur, sicque non resistit incumbenti columnæ aereæ adeoque premitur flamma, extinctionemque minatur plane ut spiritu candelæ flammam extinguimus, ab una parte fortius illam urgentes quam a reliquis premitur. Quo inferiora sunt foramina, eo fortior est hic effectus: congruente præterea directione particularum aerearum, in flammam mutatarum cum directione atmosphæræ qua deorsum premit, cum & hæ particulæ deorsum versus foramen tendant, sicque resistere pressioni aeris plane non possint.

Dum inclinatur flamma, manere in statu erecto conatur, tum vi inertiæ, tum ob aeris resistentiam; præterea obliquus apex minus prementi aeri resistit. Hinc agitatur flamma cum particulæ ejus sint mobilissimæ. Durat autem agitatio & crescit cum debilior sit flamma, quam quæ restituere se vi sua possit, donec cum nimia sit agitatio, impotens ferendo aeris ponderi pereat. His omnia continentur quæ de causis phænomenorum Princeps scripsit. Nos & hæc, & phænomena ipsa Lectoribus dijudicanda relinquimus, qui sine dubio nobiscum optabunt, ut mirandæ rei plura experimenta capere liceat. Neque de eo desperandum credimus cum ingredientia materiæ suæ norit Illustriss. Princeps, sola præparatio habeat quæ illum latent, hæcque tentaminibus institutis detegere, non ultra vires chymici positum videatur.

LET-

[illegible]

LETTERA DEL SIGNOR GIOV. GALFI AL SIGNOR FLAVIO GANGINI, &c.

id est,

LITERA JOACH. GALFII AD FLAVIUM GANGINIUM, continens quasdam observationes in articulos tres Operis COLINI MACLAURINI de Calculo Fluxionum.

Pesaro, 1753, 4.
Plag. $1\frac{1}{2}$, Tab. I.

Colinus Maclaurinus, cujus præcepta calculi fluxionum A. 1742 anglice in lucem prodiere, *Art.* 802, 803 & 927 proprietates & constructionem curvæ elasticæ tradit. Quasdam huc spectantes, imo fere easdem propositiones *Marchio Fagnari*, Diario Eruditorum Italico (*Giornale de' letterati*) jam pridem A. 1715 & 1718 inseri curavit. Suspicio inde haud levis Autori hujus Epistolæ enasci videtur, Maclaurinum, celatis fontibus unde hauserit, hæc theoremata, in suum opus tanquam sua transtulisse.

Nam, *Articulum* 802 Operis *Maclaurini Art. IV Tom. XXX* Diar. Erud. Ital. & *Art.* 803 *Art. X Tom. XXIX* haud obscure convenire, mutatis modo aliquantum expressionibus arcuum Ellipsis & Hyperbolæ æquilateræ, in opere Maclaurin. prolixe & evidenter monstrare, insimulque constructionem geometricam formulæ $\frac{zz}{r+z}$, tanquam minus concinnam, obscuram, & demonstratione carentem, emendare, & meliorem in ejus locum surrogare, in hac Epistola annisus est. TAB. III Fig. I.

In fine Epistolæ *demonstratio theorematis subsequentis* annexa est.

Ducatur in *Hyperbola æquilatera AB*, ex centro *C*, abscissa centralis *CD*, *BD* ordinatim applicata ad *CD*, & tangens *BS*, in cujus continuationem demittatur tandem perpendiculum *CP*.

Probetur hinc; *CD*, *BD*, *DS*, *esse in ratione continua geometrica*.

Sit $GD = x$, $CA = a$; erit $BD = \sqrt{x^2 - a^2}$, per naturam hyperbolæ; subtangens CS erit $= \frac{a^2}{x}$ & $SD = \frac{x^2 - a^2}{x}$, seu valebit sequens analogia

$$\begin{array}{ccccccc} CD & : & BD & = & BD & : & SD \\ x & & \sqrt{x^2 - a^2} & & \sqrt{x^2 - a^2} & & \frac{x^2 - a^2}{x} \end{array}$$

Q. E. D.

Inde & fluunt duo *Corollaria:*

1) $\triangle$ $CDB \backsim BDS \backsim CPS$.

2) $CB = \frac{a^2}{CP}$; nam ob similitudinem triangulorum CDB, & CPS erit.

$$\begin{array}{ccccccccc} CB & : & CD & = & CS & : & CP & = & \frac{a^2}{CB} \\ & & x & & \frac{a^2}{x} & & & & \end{array}$$

Ergo $CB = \frac{a^2}{CP}$.

Ultimum vero hocce assertum, *Maclaurinus* Operi suo *Art.* 927 absque demonstratione inseruit.

Optaremus certe *Maclaurinum*, jam aliquot abhinc annis e vita ereptum, esse adhuc superstitem, ut clarius pateat an suspicionem hanc, mathematico tanti nominis indignam, a se dimovere valeat, nec ne.

NOVA LITERARIA.

Eruditi aliquot, quibus cordi est augmentum scientiarum ut iis qui certæ cuidam doctrinæ præcipue student, faciliores obtentu reddant commentarios omnes eo pertinentes & in diversis Academiarum Voluminibus reperiundos, scripta colligenda decreverunt, quotquot ad idem doctrinæ genus spectant, ut sic omnia uno pluribusve voluminibus separatim haberi possint. Colligent autem quæ ad sequentes eruditionis partes pertinent:

1) Agri-

1) Agricultura,
2) Anatomia,
4) Artes,
3) Architectura,
5) Astronomia; Physica Geometrica, Historia coelestis,
6) Botanica,
7) Chymia, Pharmacia,
8) Chirurgia,
9) Geographia chronologia,
10) Historia Animalium,
11) Hydrographia & ars navigandi,
12) Mathemata pura,
13) Mechanica,
14) Medicina,
15) Mineralogia,
16) Miscellanea, quæ scilicet docere possunt eruditorum plura genera, ut quæ ad vegetationem pertinent, cum ea nosse Physici, Botanici, Oeconomi intersit,
17) Musica,
18) Optica & Gnomonica,
19) Physica,
20) Physico mathematica.

Cuivis ergo doctrinarum, collectio sua destinabitur, independenter a reliquis vendenda. Commentarii eandem doctrinam illustrantes, chronologico ordine disponentur ut qui illarum incrementa optime ostendat, & in futuris necessario sequendus sit. Usus hinc resultabit insignis ut comparare quis sibi possit sola ea quæ ad studia sua præcipue pertinent. Commentarii Gallice aut Latine scripti quilibet sua lingua exhibebuntur, reliqui in Gallicam transferentur. Tamen ut facilior adhuc res reddatur subscripturis, ad eandem doctrinam pertinentes commentarii Gallici quidem separatim, Latini separatim edentur, liberumque erit cuivis hos vel illos solos emere, dummodo distincte indicetur, Gallicosne quis desideret solos aut Latinos, aut utrosque. Membra Academiarum, vel qui illis a literarum commerciis sunt, virique omnes in republica litteraria celebres invitantur, ut observationes suas, scripta, experimenta, quæ vel miserunt jam Academiis, vel sibi adhuc retinuerunt, inedita scilicet utroque casu, cum bibliopolis communicent, sub finem Voluminis quod dum redduntur imprimitur comparitura. Destinari pos-

possunt: A Messieurs les freres Cramer Libraires a Geneve *ut* Editoribus *D. O.* Collectionis commentariorum *Academicorum mittantur. Indicabuntur Autores & ducatos singulos pro plagulis singulis accipient. Titulos suos, & quarum academiarum membra sint adjicient. Primo colligentur, scripta physicam generalem illustrantia quæ a quovis addisci potest, neque mathematicis opus habet. Eo referuntur generales proprietates corporum, & corpora quædam per universum ubique distributa ut Aer Aqua &c. item vacuum, tempus, attractio, &c. Forma erit in* 4to. Tomus *quivis ad minimum* paginas 400 *aut* plagulas 50 *continebit, Tabula ænea plagulæ loco computata. Charta bona seligetur, typorum specimen in scheda Gallica a bibliopolis* prospectus *titulo edita comparet. Solvet subscribentium Physicæ generalis quilibet Libras IV helveticas, quæ efficiunt Gallicas VI, Germanicos florenos II cruciatos XXIV Anglicos schelingos V denarios IV, Hollandicos florenos III, Romanos paulos XI, dum subscribit, & tantundem dum extraditur Volumen. Librarii in scheda illa nominati subscriptiones usque ad finem Junii A. 1754 recipiunt, quo tempore prima Volumina, tum Latinum, tum Gallicum editioni erunt parata. Elapso hoc tempore Volumen primum constabit Libris helveticis VI, Gallicis IX, Germanicis florenis III, cruciatis XII, Anglicis schelingis VIII, Hollandicis florenos IV, Romanis paulis XVIII, sequentia saltem Libris IV. Iisdem conditionibus subscribi poterit durante toto impressionis tempore, solvendo semper Libras VI helveticas pro Voluminibus qui tempore quo subscribitur prodierunt. Hæc enim cuivis recipienda sunt cum quæ ad unam eandemque scientiam spectant separare bibliopolæ nolint. Si probetur consilium sperant bibliopolæ daturos se quotannis Volumina III physicæ generalis & tot etiam cujusdam alterius scientiarum nominatarum. Subscribetur semper apud eosdem bibliopolas, cum vero alius scientiæ initium fiet, indicabitur, quæ electa fuerit & quæ subscriptionis conditiones sint.*

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLIV.

Pars II.

CONTINUATIO EPITOMES COMMENTARII L. Baron. VAN SWITEN, in HERMANNI BOERHAVE Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis.

Tomus III.

Lugduni Batav. apud Joannem & Hermannum Verbeek, 1753, 4 maj.

Alph. 3 plag. 16.

7) A*poplexia*, de qua, ob ſummam hujus morbi velocitatem, & nexum cum inflammatione, proximo loco agitur, *ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν*, quod *percutere, attonitum reddi* ſignificat, *ἀποπληξία, ἀπόπληξις, ἀποπληκτικὸν νόσημα*, appellatur, unde & *attonitos*, hoc morbo correptos, *Celſus* appellavit. Videtur autem *Catalepſis*, quo morbo correpti ſtatuarum more rigent & orthoſtatici manent, *attonitus morbus* rectius, quam apoplexia, dici, nam huic, ab ictu, quo perculſus æger corruit, nomen eſt, *Celſus* quoque ſub *morbo attonito*, quo corpus & mens ſtupent, *catalepſin* haud dubitanter amplexus eſt, atque illum rariorem morbum vocat. Genus ſummum, ſub quo, & *apoplexia*, quæ *totius*, & *reſolutio*, quæ ſingulorum membrorum morbus eſt, continentur, eſſe poteſt, *paralyſis*; namque & apoplexia paralyſis eſt.

Neutiquam autem velox quodvis morbi genus, apoplexia dicitur; multi subitanea morte abripiuntur, ob polypum subito ex corde in majora vasa, arteriosa & venosa, compulsum, ob anevrisma aortæ cito ruptum, qui tamen apoplectici dici haud possunt: oportet enim, ut ex apoplexia mortuus aliquis dicatur, quo ante mortem, functionum animalium, *superstitibus vitalibus*, adsit abolitio, quæ vera hujus morbi definitio est. Antiquorum autem definitiones, & *apoplexiam* & *syncopen* comprehendunt; *Apoplexia*, ait *Galenus, in definitionibus: est detentio mentis, cum abolitione sensuum & corporis resolutione. Aretæus*, ut utrumque morbum, *Lipothymiam* & *apoplexiam* distingueret, discrimen in duratione mali posuit, & *illam* *πρόσκαιρον νάρκην*, brevem stuporem, hanc, longam, appellavit. Verum, cum in persistente lipothymia, quam syncopen vocant, diu tamen hæreant homines, ut mortui esse putentur, duratio mali utrumque morbum, multum sane similitudinis habentem, sufficienter haud disjungit. Igitur definitio *Boerhaaviana* rem penitus haurit, quæ ex actionum vitalium, respirationis & pulsus, residuo capitur. *Aegineta* quoque respirationem superstitem in descriptione apoplexiæ habet, & malum esse, cum illa remittit aut alta est, pronuntiat. Eleganter omnino *Archigenes* apud *Aetium, apoplecticos mortuos vivere* scripsit: major difficultas est, apoplexiam a somno profundo distinguere. Etiamsi enim, *excitari posse*, somnum profundum, *non posse, apoplexiam* notare videatur, sunt tamen somni, etiam sanis, post longas vigilias, ita sæpe pertinaces, ut, observante illustri Autore, nec tormentorum bellicorum fragore, nec ustione, quæ dormientibus forte accidit, excitari potuerint. Ebrii quoque apoplecticis procumbunt similes, atque etiam apoplectici pereunt, stupore in solutionem converso, quod *Hippocrates* notavit: *Aphor. Sect. V. 5, si quis ebrius derepente obmutescit, convulsus moritur.* Facies tamen apoplecticorum magis tumet, & respiratio majori cum molimine peragitur, quam illis, qui profunde dormiunt. Cum in apoplexia sensus & motus voluntarii cessent, igitur in illa, quicquid poterit spirituum iter

h

ab encephalo per nervos ad musculos voluntatis imperio subjectos ad partes impedire, sufficiens morbi caussa est, communi nervorum principio affecto, veluti pulchre *Aegineta* enuntiat. Ast apoplecticis actiones vitales omnes manent integrae; partem adeoque encephali, ex qua nervi vitales exeunt, intactam mansisse oportet, cerebrumque solum, quod animalibus actionibus praeest, in hoc morbo oppressum, cerebellum autem, quod actiones vitales, per observata, plus regit, integrum in illo mansisse, videbitur. Ast hypothesin sapit haec positio: *Cerebellum actiones vitales dirigit*, siquidem, observante *Senac, traité dela structure du coeur*, vita mansit illis, qui cerebellum laesum habebant. Aliqui ad insultus apoplecticos plus propendent reliquis, illi scilicet, qui obesi, plethorici, ac cacochymici sunt, utpote qui prae ceteris humores habent immeabiles, illis maxime in arteriis minimis, quae sunt in corticali cerebri substantia positae. Ex his enim dispositionibus potissimum tria evenire poterunt: 1) polyposae concretiones in arteriis carotidibus ac cervicalibus, aut sinibus venosis durae meningis; 2) spissitudines inflammatoriae; 3) pituitosi leatores. Polyposum aliquod obstaculum adesse, quod liberum sanguinis per encephali vasa transitum fieri haud sinat, exinde novimus, cum vertigo adest & scotomia; densitatem autem sanguinis rubri inflammatoriam dolores capitis acuti subinde revertentes ostendunt, cum febre, ex qua, secundum ea quae de phrenitide dicta sunt, apoplexia haud raro nascitur. Hoc ita esse, &, ex inflammatoria diathesi obstaculum sanguini per cerebrum progressuri natum nunc fuisse, faciei rubor clare commonstrat, qui apoplexia correptis evenire solet, ab uberiore sanguinis per illas partes raptu proveniens, quae suum vitale liquidum a carotide externa accipere solent. Ast pituitosum lentorem diathesis patefacit cachectica, quae sese, habitu toto corporis pallido, maxime sub aetatis provectioris debilitate, exhibet; quando igitur imminuitur sanguinis rubra pars, serosa autem augetur, fieri aliter nequit, quam quo per halantia tunicae politissimae, quae ventriculos cerebri ambit, vasa, pellucidum, tenue, liquidum,

quale in alia quoque cava corporis transprimi solet, transsudet, veluti sectiones eorum, qui serosa apoplexia occumbunt, per Autorum observata, satis superque docuerunt. Cum autem illa lymphæ in cavis cerebri accumulatio sensim procedat, igitur lente quoque succrescunt orta abinde symptomata, & per plures menses vel annos illi, quos malignum hoc sidus afflavit, vertigine ac languoribus afficiuntur: *Nonnunquam*, ait, *Aretæus*, *prælonga habet initia*, *gravitatem*, *motum difficilem*, *torporem*, *frigoris sensum*; senibus maxime, quibus plurima vasa cerebri obliterata sunt & quibus, ob frigidum mucosum, tenuis humor abundat, hoc morbi genus frequens est. Atrabilaria quoque diathesis inter causas apoplexiæ est. *Si lingua*, ait *Hippocrates*, *derepente impotens*, *aut aliqua corporis pars apoplectica evadat*, *melancholicum illud est*. Præterquam autem, quod in fluidis apoplexiæ causa hæret, est etiam aliquid in solidis positum, unde ille morbus nasci possit: 1) nimia scilicet vasorum cerebri dilatatio ab æstu sanguinis orta, quem induxit motus muscularis auctus, intemperans spirituosi potus usus, vomitorium acre, utpote quæ sanguinem, concitato diaphragmatis motu, erga caput pellunt impetuosius; 2) hytatidum intra cerebrum inque ejus pia meninge ac plexu choroideo, genesis; tales intra piam matrem, vesicæ instar distentas, se sæpius vidisse, testatur *Willisius*; 3) ossei tumores ab inveterata calvariæ carie; 4) ossificationes morbosæ in membranis cerebri. Illustris Autor particularem encephali plethoram & vasa ejus abinde compressa, ut apoplexiæ causam, nominat, exinde natam, quod ad partes interiores via sanguini impedita tunc sit, dicitque hoc ita fieri posse ab omnibus magnis corporis contentionibus, sub quibus sanguinis venosi refluxus ad cor impeditus est, unde, observante *Aratæo*, inter risus continuos, γέλως ἄσβεστον, apoplexia oborta aliquando fuit, constrictis nempe pulmonibus & sanguini transituro obluctantibus; a magno quoque nisu eorum, qui onus gestant, quibus propterea facies, durante actu, vehementer intumescit ac rubet, atque a validis animi

animi affectibus, maxime autem ira, a spasmodicis denique contractionibus vasorum subito ortis, apoplexia, multis in casibus, oritur. Non autem tantum a pressu vasorum, sed etiam ab eorum ruptura intra cerebrum facta, apoplexia excitatur, quam propterea speciem, cerebri hæmorrhagiam, Celeberrimus *Hoffmannus* recte appellavit. Hæc apoplexiæ species subito necat, illis, quæ priori loco dictæ sunt, sensim, usque ad mortem, lente procedentibus. Illustris *Malpighius* quatuor horarum spatio, a tali apoplexia periit, leviorem hujus morbi insultum cum hemiplexia dextri lateris, quatuor, ante, mensibus passus, in cujus cadavere *Baglivius* dextrum cerebri ventriculum sanguine grumoso & nigro, sinistrum, sero flavo distentum, conspexit. Ut autem ruptis vasis in cerebri cava sanguis effundatur, diatheses variæ, *atrabiliaria* atque illa maxime, *scorbutica* quæ vasa destruit, in causa esse deprehenduntur. Has apoplexias ab insuperabili causa natas *Hippocrates* appellat *vehementes*, reliquas, *debiles* dicit, *Sect. II Aph. 42: vehementem quidem apoplexiam solvere impossibile, debilem vero non facile*. Nam quandoque & partis cujusdam corporis singularis solutionem, apoplexiam appellavit. A causis introductis externis, non minus, quam ab illis internis & spontaneis, apoplexia nascitur. Minus tamen apoplectici, quam suffocati, periisse videntur, quos nidor carbonum vel halitus alius rei metallicæ enecavit; vapores ex juncturis vasis destillatorii non rite glutinatis, suæ apoplexiæ attentatæ causas fuisse, *Helmontius* narrat. Celeberrimus *Hoffmannus*, *in observat. medico chymicis*, ab hoc venenato nidore, stuporem & soporem apoplecticum induci posse, arbitratur; hoc exemplis confirmat *Wepferus*, & immanes capitis dolores ex carbonum halitu nasci solere atque sensorium commune hisce vaporibus, plus pulmone, affici, declarat. Igitur, cum tot diversæ causæ sint, eadem apoplexiæ curatio esse nequit. Omnis apoplexia periculosa est, non obstante actionum vitalium vigore. Cum enim apoplecticum videmus, si faciem, si pulsum & respirationem, quantivis pretii tam egregia vigoris naturalis signa

 esse,

esse videbuntur, nam & circa mortem, cum sensus motusque jam decrescunt, pro rato, respiratio pulsusque augentur. Tunc autem maximum imminet periculum, cum interceptus fieri incipit spiritus, inque facie sudorum guttulæ comparent. Hinc *Hippocrates* dixit: *In apoplecticis, ex spiritus molestia, sudor accedens, lethale.* Prognosin *Cælius Aurelianus* ita format. *Pejorante passione atque in exitium agrorum crescente, vultus adductio, ita, ut longior nota esse videatur imago,* (ob musculos faciei paralyticos & maxillam proprio pondere pendulam) *præcordiorum prominentia, atque totius corporis frigidus torpor, pectoris stridor, & superiorum partium sudores frigidi.* Est tamen aliqua ad salutem via, cum distenta tantum, neque tamen rupta cerebri vasa sunt, supervenientibus sudoribus, urina crassa, hæmorrhoidibus. Proinde artem oportet eadem tentare, quæ, sponte nata, profuisse, observata fuerunt. Febris etiam suis stipata symptomatis, narium scilicet fluxu, cum menses defecerunt, alvi fluxu, apoplexiam solvit, cum per illam stagnantia agitantur, resistentia subiguntur, cruda mutantur in cocta, tunc maxime, si diathesis pituitosa hunc morbum produxit. Raro autem, ex hoc morbo convalescentibus, plena sanitas est. *Solent,* ait *Celsus, qui per omnia membra vehementer resoluti sunt, celeriter rapi: ac, si correpti non sunt, diutius quidem vivunt, sed raro ad sanitatem perveniunt, & plerumque miserum spiritum trahunt, memoria quoque amissa.* Quidam, ait *Cælius Aurelianus, parva conversione mentis afficiuntur, ut aut alienentur, aut tristes & somniosi videantur, ut, si eos quisquam a somno excitaverit, aliquid alienum loquantur.* Omnes læsiones functionum animalium post apoplexiam superstites, *Hippocrates,* notante *Galeno, paraplegias* appellavit, licet nunc, multis, *paraplegia* vocetur, cum motus voluntarii cessant in omnibus tantum partibus cervici suppositis. Supermanet sæpe *hemiplegia,* quæ dimidii corporis est solutio, qualis quoque in singulis partibus est, ut, altera faciei parte flaccida, altera motus musculares tamen exerceat, quam dimidiatam solutionem *Aretæus* ad ventriculum quoque & intestina extendi, scribit.

Et

Et ille ipse *Aretæus* pulchre notavit decussatam illam cerebri actionem, per quam læsio in parte dextra cerebri facta, paralysin faciat in parte sinistra, & vicissim. Solet etiam illa, prout in Malpighii exemplo fuit, apoplexiæ imminentis signum esse, cujus alia quoque signa, tremor, vacillatio, vertigo, scotomia, sopor, memoria vacillans, prophylaxis causa, attendi merentur: *Torpores*, ait *Hippocrates*, *Coac. prænot. & stupores, præter consuetudinem contingentes, apoplexiæ futuræ signum:* & ibid. *quibus capitis dolores, sonitus aurium sine febre, & vertigo tenebricosa & vocis tarditas, & manuum torpor, eos aut apoplecticos, aut epilepticos, aut obliviosos fore, expecta.* Cum ergo, ex diathesi pituitosa, inerti, si quod unquam est, liquido, malum oriri potest vel ortum jam est, conducunt ea, quæ illam movere possint, revellendo, incidendo. Hic aliquis cucurbitularum, atque vesicantium usus est. Nec damnandus est errhinorum usus, dummodo ne sint acriora: Apophlegmatismi *Aretæo* dicuntur ejusmodi pharmaca, quæ lentum mucum e naribus frequentius ducunt, quem, quoniam ille in toto æque ac in primis viis est, vomitoria & purgantia salubriter ducunt. Vigente autem morbo vomitus excitari, periculosum propterea est, cum vomitus ipse, apoplexiæ, compulso ad cerebrum sanguine, causa fieri possit. Propterea *Aretæus* vomitoria damnat, spontaneos autem laudat vomitus: *Sin nauseabundus est, id ne prohibeto, nam & illa contentio vigorem quendam ad expergefaciendum præstat & pituitæ vomitus, causam morbi evellit.* Equidem nemo est, quin, cum apoplexia invasit, venam secandam esse, ducat, magnam, quoniam hoc moribus ita receptum est, nisi fecisset, incursurus ignominiam. Monet tamen Illustris Autor venæsectionis usum promiscuum in omnibus apoplexiæ speciebus esse non posse, illaque offendi debiles ac cachecticos, Ita *Celsus*, *si omnia membra vehementer resoluta sunt, venæsectio vel occidit vel liberat.* Tunc autem vena secanda & copiosior sanguis dimittendus est, si apoplexia est *sanguinea*, sanguinis in toto corpore vis abundat, atque ipsa vasa cerebri ad rupturam tenduntur, quod pulsus plenitudo, durities, celeritas, clare

re

re docent; una vice venam secuisse, in magno malo non satis est, cum, ablata minima parte distendentis vasa sanguinis, sopitus antea & suppressus quasi motus, subito insurgat & novum discrimen afferat. Inter ea, quæ, excitandi ægri causa, proponi solent, clysma est, non equidem acrius, ex *Aretæi* consilio, tale tamen, a quo copiæ subductio & a capite revulsio expectari possit. Laudat noster *confectionem hamech*, quæ *colocynthidis* particulam recipit. Adeoque & *epispastica*, quæ ex sinapi & pipere cum fermento panis ad plantas pedum applicantur, & cantharidum quoque ipsi capillitio, vel deraso, vel subsecto, applicandorum usus, improbandus non est; veluti omnia irritantia, naribus admota, gulæ applicata, uti est, facta per plumulam, ex consilio *Archigenis* apud *Aetium*, irritatio, fini huic respondent, qui in excitando motore torpido ponitur. In desperatis morbis desperata quoque valent auxilia. Igitur & efficacius purgans, si longa apoplexia est, cum fiducia dabitur, fore, quo, veluti aqua hydropica, ita & illa, quæ in cerebri cavis est, hac ratione derivetur. Si ex veneni halantis afflatu æger concidit, juvat, frigidam adspergere, inflare in os, qua methodo aliquando, observante Autore, resuscitantur, quos, jam mortuos esse, arbitrareris. Venenum autem deglutitum, forte *opium*, *cicuta*, vomitorio ejiciendum.

8) *Catalepsis* mirabilis ille morbus est, qui κατοχὴ & *catochus*, ἀπὸ τῦ κατέχεσθαι, *detineri*, *occupari*, *catalepsis* autem ἀπὸ τῦ καταλαμβάνεσθαι, *comprehendi*, dicitur, cum, qui hoc morbo correpti sunt, in eodem statu corporis manent. Satius autem est catalepsin dici, quia tam catochi nomen, notante *Aegineta*, pro comate vigili acceptum est, quam etiam alia circa hoc nomen æquivocatio occurrit. Etiamsi enim catalepsi detentos *Galenus* κατέχυς & κατεχομένυς vocabat, frequens tamen est, in universum κάτοχα νοσήματα dici, quæ longa sunt. *Hippocrates* κατόχως παρακρέεσθαι, illos dixit, qui in febre indesinenter delirant, nisi forte, quod Autor ad §. 774 proposuit, sensus textus ille est: *ex phrenitide facilis in catochen transitus*. *Galenus* condiscipulum nimiis studiis fatigatum, cum hoc morbo corriperetur, scribit, jacuisse

cuisse instar ligni rigidum, oculis apertis nunquam conniventibus, audiebat tamen & quorundam memor erat, videbat, sed nec loqui poterat, nec ullum membrum movere. *Lambecius Comment. Biblioth. Caes. Tom. II pag. 658* describit puellam a se visam hoc morbo correptam, quae per plures dies omnis sensus expers toto corpore rigeret, oculisque apertis, & leni tantum aliquo motu convulsis, in eodem jaceret situ tanquam statua, adeo, ut, ne acu quidem puncta, dolorem persentisceret, nec brachia ab aliis elevata, labarent, sed monstroso rigore, in eadem positura firme & stabiliter permanerent. Vidit Autor hoc morbo correptam mulierem in florida aetate constitutam, clausis oculis jacentem, qui aliis in hoc morbo aperti sunt. Aliquando recurrit per intervalla malum, aliquando dimidiam corporis partem ferit, quod Autori compertum est, qui mulierem, quam, stantem, morbus invaserat, vidit in hac sua orthostadia continuasse, musculis staturam obfirmantibus in sua actione continuatis, deficiente saltem sensorio communi, qua parte illud ideas sensibilium rerum per sua organa accipit. Tunc equidem efficacia rei illius, quae motum muscularem facit, adest, sed abest potentia mutandi directionem istius causae, inde omnia manent in eodem situ, quam habebant eo tempore, cum morbus ingruebat. Discrepat igitur catalepsis tota sua natura ab apoplexia. In hac, pulsus magnus est, respiratio alta, musculi flaccidi, motus eorum, qui de voluntate pendent, nullus; ast in illa, pulsus & respiratio naturalem aequant, facies haud tumet, nam sanguini libera tunc per carotidas via est, in minimis saltem tubulis corticalis cerebri substantiae subsistente mali causa, adeoque saltem abest advertentia, & voluntatis, directionem musculorum mutaturae, destinatio. Habet ille morbus suos gradus, aliquibus voluntatis umbra superest, sed confusae, alii per horas, alii per dies, in illo insultu manent, aliis frequenter morbus revertitur, &, cum paraxoxysmus cessat, mali nulla super est memoria, & omnium functionum integritas redit. Causae hujus mali aliquando ideales sunt, alio tempore, sunt mechanicae, nec tam videntur in cerebro sedere, quam

in partibus huic visceri, consensus lege, junctis. In summo terrore constitutus catalepsin experitur, fixus manet, vox faucibus hæret. Terror adeoque & Ira, qua perenlsi sæpe immoti manent, omniaque pathemata velocia, catalepsis causæ fieri possint. Deinde, quod causas mechanicas attinet, illæ præ ceteris nominandæ sunt, quæ ex hypochondriorum labe atrabiliaria proficiscuntur. Autor fœminam catalepsi liberatam vidit subito, postquam illi vermes ex ore progressi essent. Deinde juvenculæ, cum mensium ellipsin patiuntur, tum aliis, tum huic quoque, cerebri malis subjacere solent, & in fœminis, si exempla colligas, catalepsin pluries offendes, quam in masculis; denique & febrilis materies ad cerebrum translata hujus mali causa esse potest; intercurrit enim aliquando febribus acutis ac intermittentibus. Catochon, tumore post aurem, solutam scribit *Hippocrates Prædict. Lib. I*, qui morbus ceteroquin in febribus inflammatoriis pessimum symptoma est. In morbis acutis quandoque videmus ægros, apertis oculis, jacere, catalepticorum more, & quidem malo semper omine, id quod & *Hippocrates* monuit, dicens, *singultuosi, catoche correpti, malum.* Nisi febris acuta est, quæ hunc morbum fecit, ceteroquin multi evadunt, tunc maxime, si pathemata, assiduæ lucubrationes, aut consuetarum evacuationum defectio, inter causas sunt. Senibus, melancholicis, exsuccis, exitialis morbus est, quos derepente invadit & strangulat. Curatio ejus duplex est, vel durante paxoxysmo, vel extra eundem. Dum paroxysmus adest, mutanda est illa dispositio sensorii communis, quæ hoc tempore adest, & omnem actionem sensuum impedit, id quod, usu excitantium, perficitur, ita tamen, ne acrior sit stimulus, quo, animadvertente *Hoffmanno*, si febris acuta, si fœmina hysterica est, in motus convulsivos converti morbus potest. Sufficiunt lenes frictiones, quibus sensim refici æger possit. Cum autem reverti morbus soleat, igitur mutanda hominis conditio est, sub qua malum prima vice invasit. Huc adeoque pertrahenda est tota affectuum muliebrium atque status hæmorrhoidalis curatio. Prolicienda ex consilio Autoris, est narium hæmorrhagia; bal-

balnea pedibus, epiſpaſtica plantis pedum applicata, frictiones crurum ac pedum, proderunt ſemper in tali caſu. Melancholicis evacuationes ſanguineæ nocent; horum ſicca & ſtrigoſa temperies humectantia poſtulat; horæi fructus, lactis ſerum, proſunt. Licet autem his ſpirituoſa parum prodeſſe poſſe videantur, repudianda tamen omnino non ſunt, cum debilis, ex ſenectute vel morbo, homo eſt. Sternutatoriis uti, etiamſi in ipſo morbo proficuum haud eſt, licet tamen poſtea, cum cauſa cognita, decubitus forte circa cerebrum, tale remedium poſtulat. Neque vero vomitoria diſſuadenda ſunt, ſi ex primarum viarum labe morbus oriri cœpit.

9) *Carus*. Levis veluti aliqua apoplexia eſt, a capite prægravato, *κὰρ* enim aut *κάρη*, Græcis *Caput* eſt, dictus, gravis ſcilicet ſopor, ex quo ægri vix poſſunt excitari. Dum autem validis ſtimulis excitantur, diducunt palpebras per momentum, moxque in ſomnum æque profundum relabuntur. Noſter, anteaquam hunc morbum exponit, omnes affectus ſoporoſos ita ordinat:

1) Cum aliquis, ſubinde dormiens, ſponte vel levi ſtimulo excitatur, *Coma* eſt;
2) Cum aliquis, expergefactus, hebes & immemor eſt, ex cocochymia pituitoſa, *Lethargus* dicitur;
3) Si eadem fiunt ex cauſa ſanguinea, febrili, *Carus* vocatur;
4) Si nunquam ſponte expergiſcitur homo, nec applicatis validiſſimis, ad breve tempus durante malo, *parapoplexia* erit;
5) Si diu morbus hic durat, accedente membrorum ſolutione, *apoplexia* adeſt.

Somnus longior ubique malus, niſi cauſa cognita adſit, ebrietas, præcedentes vigiliæ. *Heers. Obſervat. med. Libr. I* hominem, ab ebrietate, jam in quartam diem dormientem liberavit a perforatione calvariæ, quam jam moliebantur chirurgi, quia credebant apoplecticum, ex lapſu, eſſe. Cum autem nul-

lum, raso capite, signum læsionis appareret, pulsusque optimus ac respiratio liberrima essent, sine ullo stertore, audacter, apoplecticum esse ægrum, negavit, vulsisque mystacis pilis illum excitavit. Antiqui inter hos affectus nihil discriminis posuisse videntur. *Galenus* ita habet, *Comment. in Libr. I prædict. Quum vero cerebrum, ob pituitam, tum humectetur, tum refrigeretur, in lethargicis affectibus, coma erit, quod & ipsum, si lubet, carum vocare poteris. Aegineta* tamen, ad febrim respiciens, utrumque morbum distinxit eo, quod febris carum præcedat, lethargus illam sequatur. Erit adeoque carus, coma febrile ex illæso cerebro, ejusque vasis saltem vel dilatatis, vel ab inflammatione adstrictis. *Sydenhamius* epidemicam talem constitutionem vidit; inter ejus symptomata eminebat *carus*, sive somnus profundus ad septimanas aliquot plerumque durans, a quo difficillime excitabantur ægri, mox iterum obdormiscentes. Ubi tamen, moderata sanguinis missione, & enematibus injectis, nimius febris impetus ad debitum moderamen redactus esset, omnes ferme evadebant, sensim soluto morbo. Deliria junioribus aderant, neutiquam tamen ad immanes phreneticorum furores procedebat mentis alienatio. Omnia, quæ in cura apoplexiæ conveniunt, huc quoque referri posse, Autor existimat, summis tamen remediis nec simul, nec præcipitantius, applicatis, cum tantum, quantum in apoplexiis, ex mora, periculum esse haud possit. Laudat igitur, post moderatas evacuationes, remedia, quæ impetum & copiam a capite derivant, ut sunt, clysmata, epispastica, balnea pedum. Omnia remedia calefacientia tunc videntur esse commoda. Erecto corpore in sedili collocandus æger est, ut sensim resipiscat. *Coma somnolentum, cataphora*, ex sententia *Boerhaavii*, cari leviores videntur esse species. Ast propius ad apoplexiam accedit lethargus, qui ab oblivione dicitur, quum ægroti, expergefacti, omnium rerum sunt immemores, iterumque obdormiscunt, ceteroquin pallidi, tumidi, decolores, partes sub oculis elevatas habentes, difficulter respirantes, cum pulsu tardo, tunc maxime, cum morbus longus, febris autem nulla, est. Ita enim *Aegineta* hunc morbum a

caro

caro, qui morbus acutus est, distinxisse videtur. Ast reliqui nihil discriminis ponunt. *Celsus*, lethargum a phrenitide in eo discrepare, scribit: *quod in hac difficilior somnus, prompta ad omnem audaciam mens est, in lethargo autem marcor & inexpugnabilis fere dormiendi necessitas. Aretaeus* quoque & *Celius Aurelianus* de hoc morbo egerunt in libris, quos de acutis morbis scripserunt. Quo propior ergo ad apoplexiam morbus est, eo plus ea quae Apoplexiae ex causa frigida natae conveniunt, medicamenta, huc quoque referri possunt. *Celsus* aquam frigidam corpori affusam laudat. Ast in somno chronico per plurimas septimanas, veluti apud Autorem est, durante, quem, *veternum* distinctionis causa nominat, expectatio sola, auxilio est. Singulari aliqua sectione morbi chronici comprehenduntur, de quibus in universum notantur sequentia. Morbus longus est ille, qui lenta evolutione per sua tempora progreditur, & *sub quo*, verbis *Celsi, neque sanitas in propinquo, neque exitium est.* Hi lente plerumque subrepunt, latenter invadunt, seseque tunc demum ostendunt, quando adolescunt, atque in illis motus critici inertes sunt, a quorum tamen efficacia & celeritate, natura acutorum pendet; in multis propterea acutis plus, quam in vetustioribus, spei est: Plus fiduciae in atrocissimo *peripneumonia* morbo, illum curatum iri, quam in *phthisi*, esse potest. Aliqui ex illis, tempore primi sunt, alii ex prioribus morbis, atque etiam ex acutis progerminant. Illi ex omnibus nascuntur causis, quae, vel introductae vel spontaneae, humores rebelles, organa autem suis liquidis movendis imparia, reddunt, & ipsa machina saepe suis nimiis bonis, *plethora, pinguedine, robore, vita continuata ad senectutem*, opprimitur. Morbi igitur longi illi sunt, in quibus superandis homo diu, lenta autem naturae progressio est. Id quoque singulare chronicis morbis est, quod deliberandi & medicamenta ad causas attemperandi, spatium supersit; ast melius propterea aegris non est, quod diu laborant, cum virium vitae segnities & motuum criticorum absentia hos morbos ipsis acutis saepe truculentiores reddat. Neque culpandi medentes sunt, cum lon-

gum morbum minus sanant, acuto. *Celsus* tamen ignominiosum esse putat, longos morbos sanare non posse, *Libr. III Cap. 1: Magis ignoscendum esse medico parum proficienti in morbis acutis, quam in longis. Hic enim breve spatium est, intra quod, si quod auxilium non profuit, æger extinguitur; ibi & deliberationi & mutationi remediorum tempus patet, adeo, ut raro, si medicus inter initia accessit, obsequens æger sine illius vitio pereat;* multi sane morbi incurabiles sunt, in quibus medentes, præterquam quod illos trahant & tolerabiles reddant, efficere nihil possunt, quales sunt illi, qui in massa humorum indissolubiliter concreta, vel in labe viscerum purulenta, consistunt.

1) Paralysis, ἀπὸ τȣ̃ παραλύεσθαι, ab eo dicitur, cum solutio facta est eorum quæ antea firma erant & valida. Hæc, cum minor est, ut motus tunc quidem supersit, sed debilis, sensus autem supersit, sed hebes, *paresis* dicitur, quam *Hippocrates* in acutis notavit, dixitque διάλυσιν, πάρεσιν, σύμπηξιν. *Aretæus* autem *paresin* specialius accipit. *Urinæ in vesica suppressio, aut retinendi impotentia, paresis proprie est.* Solvi dicuntur musculi, cum laxa illorum est immobilitas, qua in re differunt a *Tetano*, in quo, ob rigiditatem, musculi manent immobiles. Notum est ex physiologicis, nervos quosdam sensui, alios motui, servire, qui, licet distinctissimi sint in sua origine intra encephalon, tamen in truncos majores collecti, ad partes corporis una deferuntur. Potest ergo lædi, quod in plerisque paralysibus ita evenit, motus, manente sensu. Rarius sensus perit, manente motu, quale exemplum Noster excitat; pessimum est, sensum una perire motumque, quod *Hoffmannus* observavit. Fieri etiam potest paralysis, arteriæ, cum illa destructa est, aut musculosæ fabricæ, vitio. Cum apoplexia totius corporis aliqua sit paralysis, adeoque omnis causa, quæ apoplexiam, paralysin quoque producere potest, quando pars illa sensorii communis, ex qua nervus membri oritur, afflicta fuit, aut causa in tota longitudine nervi ad membrum abeuntis hæret. Tumentes scirrhosas glandulas quæ sub alis sunt, brachii per gradus sensim soluti, causam, Illustris Autor obser-

observavit, atque in omni nervo vel arteria, cum deligantur, desuper spasmus, infra paralysis est. Maxime autem paralysis quæ ad sensum motumque una fit, oritur, quando nervus totus oppressus est. Quodsi, ex læsa musculosa fabrica vel tunicæ musculosæ cavorum inertia, nata paralysis est, tunc illum statum, atoniam, pathologi appellant. Causæ, quibus nervi solvuntur, variæ sunt. Ex morbis prægressis, maxime illis, qui ad genus nervosum spectant, veluti *apoplexia* ejusque speciebus, atque ex *epilepsia*, hinc ex doloribus diuturnis, qui ad nervi grandioris originem fiunt, solet superesse paralysis. Post rhevmaticam lumbaginem, quod *Bœrhaavio* accidit, levior artuum inferiorum sequi solet paralysis, uti etiam a musculorum longa quiete debilitatorum inertia; qua de re istæ solutiones frictionibus fortibus solis obfirmari denuo possunt. Deinde plethora & solemnium sanguinearum excretionum defectio inter paralysis causas numerantur, unde *Hippocrati* dictum est: paraplectici quid metuendum esse, quando, hæmorrhoidibus oppressis, vertigo supervenit. Frequentiores sunt, ex translata febrili materia, per metastasin seu metaptosin, paralyses partium, *amaurosis*, *surditas*, & præ ceteris materia podagrica, non amplius circa loca consueta in extremis deposita, ad principia nervorum abire potest. Summus intestinorum dolor, quem *colicam pictonum* vocant, quamque a medicamentis ex plumbo vel cerussa paratis, ipsiusque cerussæ tritæ halitu, sæpius oriri, Noster tradit, atque alius quisque summus intestinorum dolor, vel consensus lege, vel translata aliorsum materia mala, paralysin inducere solet, uti *Aegineta* habet. *Nostris quidem temporibus colicus quidam morbus molestus fuit, ex quo quidem superstites futuros, artuum motus privatio sequebatur.* In nervorum quoque tunicis causa paralysin factura sedem figere potest, quod cum est, vix solvi morbus posse videtur. Denique & forinsecus applicata, frigus, calor, humidum, venenum stupefactivum, hydrargyrus in tunicis forte nervorum eorumque cellulis subsistens, artus solvere possunt; potest quoque vertebra aliquantulum depressa nervorum sub se comprehensorum primordia premere

mere & ſpirituum per illos tranſiturorum viam præpedire. Hæc quando in univerſum de omni paralyſi ita dicta ſunt, de ſingularum partium ſolutione agitur. In ſyncope, cor, ex rationibus muſculi, laxam immobilitatem ſervat, atque aliquando a valido animi affectu lethalis cordis paralyſis conſequitur. Cum autem debilis ſaltem cordis motus eſt, poſſunt illam reſuſcitare auxilia, quæ reditum ſanguinis venoſi ad auriculas excitant, frictiones, frigida pectori affuſa, aeris inflatio. Ex paralyſis natura explicari quoque poſſunt reliquorum viſcerum, *œſophagi, ventriculi totius, ejus oſtii inferioris, alimenta indigeſta cito emittentis, unde Leienteria eſt*, inertiæ. Veſicæ paralyſis vel ex toto viſcere, vel ex ſoluto ejus ſphinctere naſcitur; *illa* nocentior, utpote ex nervorum vitiis orta, unde involuntarius urinæ in morbis acutis effluxus, univerſalis paralyſis mox conſecuturæ indicium eſt, *hac* autem diuturna utpote ex ſola muſculoſæ partis mutata conditione proveniens. Etiamſi autem omnis paralyſis in ſe mala eſt, illa tamen nocentior, quæ atrophiam partis habet comitem. *Quibus*, ait *Hippocrates, Prorrhet.* Lib. II: *una cum hoc, quod movere non poſſunt, morboſa pars corporis attenuatur, hi in ſanitatem reſtitui non poſſunt*. Levius quoque malum eſt, ſi paralyſis, deſcendens ad inferiora, liberas relinquit partes ſuperiores; gravius eſt, ubi inferiores partes primo occupans, ſurſum adſcendit; quidquid ergo materiam morboſam, viam ſpirituum per nervos impedientem, amovere, diſſipare, atque vel in aliam partem transferre, vel ex corpore penitus ejicere poteſt, paralyſi medicina eſſe valebit. Hinc febris paralyſi ſuperveniens, illam ſolvit. Ita quoque tremor convulſivus paralytico membro ſuperveniens, movendo excutiendoque, quod prope nervum hæret, proderit. Spontaneæ excretiones, alvinæ, non minus ac illæ ſanguineæ, hactenus deperditæ, ex quibus morbus natus eſt, felicem morbi exitum promittunt. Ars igitur, naturæ æmula, ſimiliter, quod innotum hæret, movere ſuſcipit, *craſſa attenuantibus*, atque *illis, quæ obſtructum reſolvere poſſunt*, de quibus Autor in theoria obſtructorum fuſius egit. Propiori titulo huc referuntur fragrantia vegetabilium

lium aromata, atque olea ſtillatitia exinde parata, eaque cum ſalibus efficacioribus in ſaponem adunata. Quæ graveolent, viroſa dicta ſunt veteribus, *caſtoreum, moſchus, zibethum;* hæc, aliaque virus olentia, *opopanacem* atque *ſagapenum*, in paralyſi propoſuit *Aetius*. Deinde & illa laudantur, quæ vel nervos cerebro reſpondentes proximo contactu irritare, uti *ſternutatoria*, vel cutaneos nervorum apices, uti *canthárides*, vellicare, poſſunt, atque omnis motus muſcularis ſub cælo clemente factus, huic morbo favet. Si motum imbecillitas prohibet, *Celſus* jubet, *ut geſtetur, vel motu lecti concutiatur, tunc id membrum quod deficit, ſi poteſt per ſe, ſin minus, per alium moveatur, & vi quadam ad ſuam conſuetudinem redeat*, atque alibi *membrum reſolutum frictionibus confirmari* aſſerit. Non deſperat Illuſtris Autor, fore, quo experimenta electrica viam ad ſanationem hujus mali ſternant adducitque exempla eorum, qui hac medicina convaluerunt. Laudat *Celſus balnea arenæ calidæ*, & *laconicum*, & *clibani*, & *quorundam naturalium ſudationum, ubi a terra profuſus calidus vapor ædificio includitur.* Aquarum ſtillicidia, καταχλυσμὰς, *Aurelianus* commendat, atque ille idem membra, quæ ſoluta ſunt, natatu exercere juſſit, *partibus paſſione vitiatis adjungendo veſicas, quæ natandi laborem minuant.* Eidem ſcopo inſerviunt ἐπικρὰσεις, *pulſationes, molleſque percuſſiones; Aretæus* lethargicos urticis verberare juſſit. Idem effectura ſunt medicamenta acria parti affectæ applicanda, quæ dolere faciunt, *emplaſtra, dropaces*, evitando tamen inflammationem, quæ in gangrænam abire, cum pars ſemimortua eſt, facile poſſet; uſtione Ægyptios paralyſes tentare, *Alpinus, Medic. Ægypt. Libr. III Cap. 12* Autor eſt. Potiſſimum autem origo nervorum vellicari debet. Ita *Galenus: Si quis ex anatome, ad quam partem deſcendant ſinguli nervi, a medulla ſpinali prodeuntes, cognoverit, affectas ſedes quam facillime inveniet. Nam crura & manus temere & fruſtra multi medici tota die nocteque calefacientibus remediis perfricant, negligentes locum, ubi vel ſpinalis medulla vel nervus aliquis ex ipſa egrediens læditur.*

2) Etiamſi dubium eſſe poſſit, chronicis ne an acutis mor-

bis accenseri *epilepsia* debeat, cum sæpe unico paroxysmo morbus conficiatur, sæpe per periodos invadat, hinc per annos duret, atque etiam συγγηράσκειν, συναποθνήσκειν, ad senectutem usque durare, intelligatur; attamen ubi de epilepsia, uti morbo primario, agitur, chronicus dici omnino meretur, nec nisi tunc acutus & celer ille morbus est, cum ex alio morbo, tanquam causa sua, *febribus acutis, partu difficili*, nascitur. Ita *Aretaus: epilepsiæ casus pernitiosus est, si acute invadat, nonnunquam enim uno die hominem perdit. Periculosæ etiam sunt, per circuitus exacerbationes, unde factum est, ut in acutorum numero morbus comitialis poneretur. Quodsi malo adsuescat homo & morbus tenaciter adhærens occupet, non solum diuturnus, sed etiam perpetuus efficitur. Hippocrates* autem & *Celsus*, ita habent: *Solet quidem id genus longum esse, usque ad mortis diem, & vitæ non periculosum, interdum tamen, cum recens est, hominem consumit.* Videtur ad definitionem Epilepsiæ haud requiri, quo illa, alterna cum requie & novo paroxysmo, invadat, nam sæpe unico insultu morbus perficitur; nisi hoc est, quod, etiamsi uno tota ægritudo cursu absolvitur, illud tamen tempus quo durat in alternos insultus atque alternam quietem dividi possit. Est ergo epilepsia, definiente *Boerhaavio*, ille hominis status, cum ille, subito prostratus, amissis sensibus internis atque externis, præter voluntatem musculos tam voluntati subjacentes, quam omnes, cum concussu violento, movet. Nomen morbo varium est: Præterquam enim, quod ἐπιληψία. ἐπίληψις, τὰ ἐπιληπτικά, dicatur, ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν, *a comprehendendo, sacer* quoque *morbus* ἱερὴ νοῦσος, Latinis autem, *comitialis morbus*, ideo dictus est, quod comitia solverentur, cum aliquis hoc morbo perculsus, concidisset:

Concilium populi labes horrenda diremit. Seren.

Lunaticus quoque *morbus*, & *dæmoniacus* in sacris literis dictus est, tamque evidentibus illesignis dignoscitur, ut cum congeneribus morbis confundi vix possit. Differt a *tetano, quo morbo correpti semper rigent*, vicissitudine rigoris & laxi-

laxitatis, nec cum *catalepsi, qua immotus jacens flexiles tamen retinet articulos*, confundi morbus posset, cum comprehensi ista quieti jacent, hac, convelluntur. Apoplexiam tam parum refert, ut illi contrarius morbus *Bœrhaavio* recte dicatur. Posset tamen cum strangulatu hysterico stare. Ita *Cælius Aurelianus* habet: *Frequenter simile pati epileptici, & a matrice præfocatæ inveniuntur, siquidem non aliter sensibus privantur, sed discernuntur, quod in ultima accessionis parte per os atque nares spumarum fluore non afficiantur.* Etiamsi autem, in definitione, celeriter invadere, morbus dictus est, multi tamen, se hoc morbo oppressum iri, aliqua veluti propathia, præsentiunt, uti *Aretæus* notavit. *Ab initio membris segnes sunt, caput grave sentiunt, dissoluti, languidi, pallentes, pusillanimes & ob morbi verecundiam contristati.* Cum autem concidunt, vociferantur, cur ita fecerint, nescii, cum evigilant. Neque vero memores illorum omnium sunt, quæ magna musculorum contentione peracta in morbo fuerunt, licet tanta illis vis est, ut a fortibus viris contineri sæpe nequeant. Et omne quidem musculorum genus, vis morbi percurrit. Miris distorsionibus exercentur faciei atque oculorum musculi, mandibula adducta linguam demordet, neque, cum exquisita epilepsia est, musculus facile est, quin huc illuc torqueatur; denique & viscera, quorum musculi voluntati haud obsequuntur, conquassantur; intercepta maxime est respiratio; igitur, cum, ex anteriori cordis thalamo per pulmones ad sinistrum via sanguini intercepta est, debilis ac intermittens pulsus est. Quamvis autem a variis causis hic morbus nasci soleat, videtur tamen oriri non posse, nisi sensorium commune affectum prius est. Possunt equidem causæ procatarcticæ multæ esse, proxima tamen semper est in cerebro, sive illi penitus infixa, ut *epilepsia* sit *idiopathica*, sive per consensum illuc translata, quæ est *sympathica*. Quando autem *habitualis* morbus est, adsunt causæ prædisponentes, *προηγουμέναι*, quæ vel sponte, vel a causis procatarcticis, *ira, terrore, venere*, excitantur. Hæc diathesis in sensorio communi hærere videtur, unde insanabilis plerumque morbus

 est;

eſt; etiamſi autem breve malum eſt, veluti in illa epilepſia infantili, cum vel dentitione difficili, vel iracundæ nutricis viroſo lacte, ad motus convulſivos puer excitatur, non tamen minus proxima pars affecta cerebrum eſt, eo irritabilior infantibus, quo grandius molliusque hoc illis per naturam datum fuit. Proinde fit, quo, cum aliqua materies irritans ſemel intra mollem infantium cerebri pulpam ſuſcepta eſt, extricari deinde nequeat, cum ætas obfirmata fuit. *Hippocrates* ſcripſit epilepſiam ante pubertatis terminum conceptam ſanari, illam autem, quæ poſt vigeſimum quintum annum invadit, ſanari haud poſſe, omnium minime, cum hæreditarium malum eſt, vel terrore perculſa mater gravida, epilepticum videns, morbi ideam ad fœtum transmiſit, quod Illuſtri Autori per exempla comprobatur, atque ſingulares ſimul phantaſticæ matrum in fœturam impreſſionis hiſtoriæ adducuntur. Idiopathica autem tunc epilepſia eſt, cum ipſa cerebri ſubſtantia, *ab acri ſucco, veneno, potibus inebriantibus, excreſcentiis oſſeis cranii internis, ejus intropreſſione, ſinuum venoſorum chondrogeneſia, decubitu mercurii*, affligitur. Inflammatio meningum cerebri eundem effectum edit; atque, in phrenitidis hiſtoria, convulſiones quoque enumerantur inter illa mala, quæ eam, ſi peſſima eſt, comitari ſolent; omnesque ſequelæ inflammationis erebri, *abſceſſus, ſphacelus*, convulſivam mortem afferunt; ſanari tamen poſſunt, quibus pus ſub calva collectum eſt, ſi modiolo os exſcinditur, quod *de la Motte, traité complet de Chirurgie, Tom. II*, factum fuiſſe, ſcribit. Eo autem plus ad cerebrum pertinere hic morbus videtur, quandoquidem illum, etiamſi homo ceteroquin ſanus eſt, magna pathemata, ſubitaneus terror, excitare poſſunt, cumque, quo quis alacriori ingenio præditus eſt, eo plus illi obnoxius eſt. Eſt autem alia quoque epilepſia, quæ, cerebro ipſo extra paroxyſmum illæſo, nervorum ſtatus ita mutatur, ut cerebri ſtatu ſimiliter exinde mutato, epilepſia naſcatur; unusquisque dolor, ſi ſummus eſt, conſenſus lege, convellit cerebrum. Sic, cum luxatum os, perioſteo inflammato, reponitur, oritur ſæpe convulſio. Sub acerbis, qui ex

cal-

calculo, partu difficili, aliaque ex caufa uterina, nafcuntur, doloribus, ægri convelluntur fæpiffime, ubi denuo Nofter monet, hyftericam paffionem mentiri poffe epilepfiam, licet morbus faltem tunc adfit fpafticus, quod exinde intelligitur, cum ægrotæ omnium rerum durante paroxyfmo factarum, confciæ funt, nec fpumam oris habent; quam fæpe dolor a lumbricorum morfu excitatus, infultus epilepticos movet ferociffimos, atque illi quoque ex doloribus, quos nafcituri dentes inducunt, provenire folent fæpiffime. Quæ omnes epilepfiæ, uti breves & fymptomaticæ, ita beneficæ effe non poffunt, cum nullam excretionem caufæ illius, unde natæ funt, intendant. Sunt autem aliquæ epilepfiæ, ex inftituto naturæ, criticæ, morbidum expulfuræ, fi vires fufficiunt. Hinc *Galenus, comitialem morbum fieri, nervorum principio fe ipfum quatiente, ut, quæ noxia funt, excutiat*, fcripfit, atque *Hippocrates*, convulfionem in febre natam, fi eodem die definat, bonam effe, obfervavit. Igitur *Sydenhamius*, fi paroxyfmum epilepticum videret in infantibus dentitione jam perfunctis, in procinctu variolas effe, femper fufpicabatur, plerumque fatis mites & boni moris; atque in aliis quoque morbis exanthematicis, in febre miliari, petechiis, haud infrequenter intercurrunt epileptici motus, aliquando falutares, femper tamen fufpecti, multique ægrotantes, cum retroceffit mala materia, inter motus ejusmodi epilepticos, vitæ finem ponunt. In univerfum, quidquid recedit, cum falubriter expulfum eft, quicquid etiam haud fluit, cum fluere oportet, hujus mali caufam fiftere poteft. Hinc a crufta lactea infantium retrograda, a menfium emanfione, lochiorum thrombis, epilepfiarum proventus frequens eft. Morbus ille, tanquam caufa aliorum quoque morborum, confiderari poteft. Relinquit enim, animadvertente *Aretaeo, ingenii & fenfuum tarditatem, auditus gravitatem, tinnitus & bombos aurium, linguæ titubationem, ratiocinii perturbationem, deinde fatuitatem*. Vehemens ille fpafmus, qui invicem cum laxitate mufculorum permutat, humorum circulum vehementer lædit, fanguinis venofi ad cor reditum cohibet, hinc faciei tumor, venarum varicofa diftenfio, ab *Hippocrate* obfervata, cutis li-

vor, etiam in cadaveribus. Abinde quoque, cum interna viscera tunc convellantur, nascuntur vomitus biliosi, urinarum alba fluxio, strangulatus, &, valido paroxysmo epileptico correpti, observante *Aretæo*, eadem patiuntur, quæ strangulati. Desperatum malum est, si chronicum est, atque illud maxime, quod, *μηδὲν προσημαίνον*, nulla significatione prævia, derepente invadit, id quod, morbum ipsi cerebro tenaciter inhærere, notat; inde *Celsus: in eodem morbo si simul totum corpus afficitur, neque ante in partibus aliquis morbi sensus est, sed homo ex improviso concidit, cujuscunque is ætatis est, vix sanescit.* Facilius tamen sanatur, quæ ex alia causa, uti acribus ventriculo applicatis, tendine acriter vellicato, nascitur, quam, quæ cerebro familiaris ac domestica est. Varia mali curatio est. Causa irritabilem partem vulnerans emoveatur. Sic unicum epilepsiæ ex dentitione nascentis auxilium est, si gingiva, sub qua dens hæret, inciditur; quæ a pressu sanguinis effusi, in vulnere capitis, fit, epilepsia, aufertur, si trypano emotum os & extravasatum eductum fuit. Veneno de ventriculo cedente eoque per antidota correcto, mali quies est. Expulso verme, morbus tollitur, quo in casu pulvis valerianæ bene militavit. Cum autem tenaciter causa morbi inhæret elementaribus corporis partibus, in arte nihil est, quod certam sanationis fiduciam facere possit. Febrem autem si excitare posses, sanaturus forte agrum es: *Quartana*, ait *Hippocrates, laborantes magno morbo non corripiuntur, si autem capiantur, & quartana superveniat, liberantur.* Tentaverunt tamen hoc malum, fortibus medicamentis, artifices, herculeisque pharmacis usi sunt, unde & Herculeus morbus dictus est: *Trallianus, ubi morbus vetustus esset, ad veratrum album confugiebat.* Mitiora suadentur a recentioribus; moschum laudat Noster, & decem grana ejus, puellæ octenni dedit tantamque penetrandi vim inesse percepit, ut, per plures dies, saliva, urina, sudor, moschum redolerent. Etiamsi autem morbus medicamentis sanari non possit, deserendus tamen æger est neutiquam, & causæ ad minimum occasionales præscindendæ sunt, quibus morbum excitare posse, in singulis, solerti observatione, deprehen-

henſum eſt, quo ſcilicet, cum frequentes adeo paroxyſmorum reditus haud ſunt, prædiſponens in homine cauſa ſenſim debilitetur; tunc autem maxime hoc fieri poteſt, cum periodicum malum eſt & phaſibus lunaribus addictum, vel alia mali cauſa adeſt tempori alicui adſcripta. Cum in grammatico juvene *Galenus* obſervaret paroxyſmum naſci, ſi inediam pateretur, data panis buccella, hoc malum præcavit. Vidit Autor epilepticum juvenem, cui, ante paroxyſmum, incipiebat tremere labium inferius, ſymptomate hoc vomitum præcedente, quique ſingulis menſibus circa plenilunium hunc morbum patiebatur. Datum illi fuit lene vomitorium, omni menſe, triduo ante plenilunium, & eodem die, veſperi, leve diacodiatum, reliquis, diebus, roborantia remedia data ſunt, & æger, ſex menſium ſpatio, tali medicina uſus, evaſit. Aliquibus epilepticis, ſigna plethoræ imminentem inſultum morbi denuntiant, his, uti & illis, qui ex phrenitide vera acutam habent epilepſiam, vena ſecanda eſt. Bonetus aliquot caſus habet, qui docent, per ſanguinis miſſionem epilepſiam ſanatam fuiſſe. Nocet autem venæſectio, cum debilis æger eſt; namque ex vacuitate quoque vaſorum haud raro, veluti in hæmorrhagiis videmus, epilepſia naſcitur. Igitur venam ſecturis ſigna plethoræ recte perſpicienda ſunt. Nec minorem effectum promittunt epiſpaſtica. Uti enim, quod *Hippocrates* dixit, *quibuscumque pueris efflereſcunt ulcera in capite, morbo comitiali fere haud corripiuntur*, ita videtur, ſi ulcus artificiale excitatum eſt, abduci e cerebro irritantem cauſam poſſe; *Williſius, Pathol. cerebri*, puellam vidit, quæ, corruens ſupra carbones, ſibi faciem & ſyncipút combuſſerat, ipſo oſſe adeo exuſto, ut poſtea exterior cranii tabula, ad magnitudinem palmæ manus, excideret. Quamdiu pars ambuſta, ſuppurata, manabat ſanie, quievit morbus, atque, clauſis ulceribus, revertebatur. Jure igitur *Celſus* inter ultima remedia poſuit. *Occipitium incidere & cucurbitulas admovere, ferro quoque candente in occipitio & infra, qua ſumma vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut pernitioſus humor evadat.* Cauterio prope futuram coronalem poſito, ſe quadragenarium hominem epilepticum ſanaſſe,

nasse, scribit *Piso de morbis a serosa colluvie.* Deinde ad hominis ipsius diathesin variam respiciendum est. Puella chlorotica, mensium deliquium passa, hinc sub periodis lunaribus epileptica, sanabitur, motu, martiatorum usu. Plethoricam fœminam sanabit partus. *Aurelianus* commendat *exercitia vehementia, quæ labore corpus afficiunt, quo corporis robur augeatur. Julius Cæsar*, referente *Plutarcho, in ejus vita*, morbum comitialem, cui obnoxius erat, militia sanavit, &, referente eodem, imperaverunt veteres, quo filiis epilepsia laborantibus adimerentur bellaria, sed corpora laboribus indurarentur. Aquas spadanas, utpote insigne, ob martis veluti animam illis insitam, roborans, in curanda illa epilepsiæ specie, quæ ex pituita est, plurimum facere, *Autor* recenset. Hæc extra paroxysmum ita agenda sunt. Ast, durante malo, cavendum est, ne partes ab horrenda jactitatione lædantur. Supponenda sunt culcitra; intergerenda dentibus sunt mollia, suber, corium. Motibus spasticis resistendum haud est, nec extendendi magno conatu contracti sunt articuli. Sternutatoria nocent. Cum autem exspiravit insultus, reficiendi ægri sunt, cardiacis, tinctura succini, aquis, *lavendulæ rutæ, rorismarini.* Mirum autem non est, cum in arte præsidium sæpe nullum esset, ad nova & insolita conversos ægrotos fuisse: *Quidam*, ait *Celsus, jugulati gladiatoris sanguine epoto, calido, tali morbo se liberaverunt*, cui experimento *Aretæus* subscribit. Sed vana sunt ejusmodi experimenta, quæ causam haud respiciunt. Reliqua sequentur proxime.

THE HISTORY AND ANTIQUITIES OF COLchester, &c.

hoc est,

HISTORIA ET ANTIQUITATES ANTIQUISSIMÆ urbis Colecestriæ in comitatu Essexiensi, tribus libris, e MStis præcipue, collectæ, cum Appendice, qui chartas & tabulas publicas continet. Autore PHIL. MORANT, Rectore ad ædem S. Mariæ Colecestriæ.

Lon-

Londini, 1748, fol.

Alph. 2 plag. 9½, Fig. æn. Tab. 9.

Opus hoc summa diligentia elaboratum, & multifaria eruditione locupletatum, multa continet, quæ hic non quæsiveris, utilia, jucunda, & quæ historiam in primis Angliæ satis illustrant. Nam tum demum historia regni alicujus expectari potest omnibus numeris absoluta, ubi primum partes singulæ ab idoneis viris justa diligentia describuntur, earumque historia e cujusque loci tabulis & monimentis texitur. Non quidem ea, qua decebat, diligentia conservatæ fuerunt tabulæ publicæ urbis Colecestriæ, quibus noster usus est: Magna enim earum pars eorum, quibus creditæ erant, incuria periit. Ex aliis tamen monimentis ea, quæ deerant, ita diligentissimus *Morantus* supplevit, ut levis illarum tabularum jactura videatur. Amicorum etiam & fautorum ope adjutus est, quorum præcipui, quos laudat, fuerunt Londinensis Episcopus, *Carolus Gray*, *Richardus Baco*, *Barrington Taverner* &c. Tribus libris totum opus absolvitur. Primus topographiam urbis generalem continet, ejusdemque historiam. Illa *Capite I* datur, ubi & arcis historia texitur. De nomine urbis *Capite* Pag. 7.
II exponitur. *Cam-a-laun-uidun* Britonibus forsan audiit, 11.
quæ vox *templum*, sive *oppidum*, significat, *colli contiguum*, & *ad sinum amnis situm.* Inde Romani Camulodunum formarunt, vel Camalodunum. Sic enim Colecestriam ab iis vocatam fuisse, patet tum ex autoribus; tum ex hic repertis numis Regis Cunobelini, cujus regia sedes fuit Camulodunum; tum etiam e viarum mensuris, quæ in antiquissimis itinerariis reperiuntur. Saxones *Colneceaster* hanc urbem vocarunt, a Romanis vocibus *Colonia*, & *Castro.* Quando primum inhabitata fuerit hæc regio, dubium est: veritati tamen maxime consentaneum videtur, antiquissimis hoc temporibus factum fuisse. *Capite III* ad historiam urbis Noster progreditur, ejus- 17.
que fata sub Britonibus, Romanis, Saxonibus, Danis, Normannis, & ultimis regibus, ita enarrat, ut totius potius Britanniæ, quam unius urbis, historiæ compendium dare videatur. *Galfre-*

fredum Monumethensem non raro sequitur, eumque non adeo
Pag. 57. futilem, aut prorsus rejiciendum, Autorem existimat. In primis obsidionem, qua cingebatur Colecestria A. C. 1648. fuse describit. *Constantinum M.* in Britannia, & quidem Colecestriæ, natum fuisse, probare annititur. De lanificio, quod in urbe exercetur, *Capite IV* agitur, ejusque inde ab *Henrici III* temporibus historia repetitur. A. C. 1570 Belgæ ibi sedem
76. fixerunt. De nundinis urbi concessis in altera Capitis parte
78. exponitur. *Caput V* privilegia urbis enarrat, & ostreorum,
87. quæ in fluvio urbem alluente capiuntur, historiam exhibet naturalem. Tum status urbis œconomicus pluribus describitur, denique etiam civilis. *Libro II* res sacras & statum urbis Ecclesiasticum fuse diligentissimus *Morantus* lectores suos docet, quæ tamen omnia suis præcipue civibus,
9. grata erunt & jucunda. *Capite I* octo templorum in urbe historia traditur, ubi & S. *Runwaldi*, *Rumbaldi*, *Rumboldi*, *Romwoldi*, vel *Rumwoldi*, vita legitur, de quo tamen sancto Saxonico tantum pauca in Autoribus potuerunt reperiri. Virorum eruditione clarorum, qui hic nati fue-
15. runt, fata nonnunquam & scripta percensentur, ut *Guil. Gilberdi*, qui *de Magnete* librum reliquit, & cujus etiam moni-
16. mentum sepulcrale aeri incisum additur. *Capitibus II & III*
17. templa extra urbem sita enarrantur. *Guil. Harsnoti*, Ebora-
31. censis Archiepiscopi, & aliorum, vitæ inseruntur. *Capite IV* de monasteriis, quæ olim hic fuerunt, agitur, inprimis de S.
38. *Joannis* Abbatiæ, quam sub initium Seculi XI *Eudo dapifer* fundavit, cujus etiam vita enarratur. Ultimus Abbas, *Jo. Becbe*, A. C. 1539 laqueo vitam finiit, quod Regis autoritatem agnoscere nolebat. Excipiunt hanc Abbatiam 1) Prioratus S. Botolphi, regularium ordinis S. Augustini monachorum, Se-
41. culo XII fundatus; 2) capella, seu Xenodochium fratrum regularium S. Augustini ordinis, cruce signatorum, ut in anti-
43. quis monimentis vocantur; 3) Franciscanorum monasterium A. C. 1309 fundatum; 4) S. Annæ capella; 5) S. Helenæ capel-
45. la. *Capite V* decem sic dictæ *cantariæ* enarrantur. Tum ad obitus & anniversaria, quæ dicuntur, Noster progreditur.

Liber

Liber III varias donationes ad pias causas complectitur. *Caput I* legata pro pauperibus enarrat. Monetur etiam, *Sam.* Pag. 6.
Harsnoti, Eboracensis Archiepiscopi, Bibliothecam publico civitatis usui fuisse dicatam. *Capite II* Xenodochia tria describuntur, tum ptochotrophia. Schola publica A. C. 1539 aperta fuit, anno autem 1585 confirmata. Accedunt binae aliae scholae, & ergastulum. *Capite IV* Romanae antiquitatis monimenta, quae variis temporibus hic reperta fuerunt, breviter describuntur, inprimis urnae, opera mosaica, numi. Regis Cunobelini sex numi faciunt initium, quos Romani excipiunt, inde a *Jul. Caesare* usque ad *Constantinum M.* Tandem figurae numerorum Arabicae in censuram vocantur, quae in locis quibusdam Colecestriae visuntur, & unde majorem numerorum Arabicorum antiquitatem nonnulli exsculpere voluerunt, quam *Mabillonius*, & alii, eisdem concedunt. Sed corruptos illos fuisse characteres, & e. g. A. 1490 legi debere, ubi alii A. 1090 legunt, satis, cum Nostro, veritati censemus consentaneum. Finem faciunt chartae & tabulae publicae, epitaphia, Index, & Appendix, legata Abbatiae S. *Joannis* sistens.

(marginal refs: 8. 9. 21.)

LETTERS FROM A YOUNG PAINTER, &c.

hoc est,

JUVENIS CUJUSDAM PICTORIS PEREGRINANTIS Epistolae ad Amicos in Anglia.

Editio altera.

Partes II.

Londini, apud Jo. Russel, 1750, 8 maj.

Alph. 3 plag. $17\frac{1}{2}$, Fig. Tab. 13.

De suis per Galliam & Italiam susceptis itineribus Autor in his Epistolis exponit, eaque refert, quae inde ab anno 1739, usque ad finem anni 1749, notatu maxime digna judicavit,

cavit. Ipſe non edidit: ſed alius. Hic illas tantum epiſtolas ſeligere conſtituerat, quæ ad Herculanenſes antiquitates pertinent, montisque Veſuvii, & ejus incendiorum, hiſtoriam complectuntur. Sed amici, ut alias etiam adderet, Autores ipſi fuerunt. Ita vero eas diſpoſuit, ut ſingulas epiſtolas de Herculaneo agentes ſingulæ plerumque aliæ excipiant, quarum aliud eſt argumentum, ſicque jucunda lectores varietate ad legendas omnes alliciantur. Non tamen adeo multas de Herculaneo proprias Autoris obſervationes illæ continent: ſed maximam partem ab aliis evulgatas repetunt, *Darthenayo* inprimis, Marchione *Marcello Venutio, Ant Franc. Gorio* & *Camillo Padernio*. Figuras, lector, in æs inciſas hic non reperies. Nec enim perluſtranti monimenta illa penicillo uti licuit, nec omnia Pictor N. ipſe vidit. In nova hac editione notæ ſub textu poſitæ reperiuntur, quæ plerumque aliorum relationes exhibent, ut adeo, quæcunque fere de hoc argumento in lucem adhuc edita fuerunt, in unum hic collecta habeantur. Appendix utrique volumine additus eſt, in quo vel inſcriptiones Latinæ & Græcæ vernacula lingua redduntur, vel quædam alia, illuſtrationis loco, adjiciuntur. Præcipuus Autoris labor in eo conſiſtit, ut picturas præſtantiores, quas videre datum eſt, enumeret, nonnunquam etiam ſententiam de iis ſuam dicat. Sequamur ipſum in itinere ſuo. De Pariſiis, & Fonte Bellaqueo, primo loco diſſerit. Cultum Dei publicum & nobiles laudat: ceteros incolas, fœminas, &
Pag. 7. mores, falſe & jucunde perſtringit. Lugdunum Epiſtola IV
10. ſcite depingit, ut & Ararim fluvium, quem Thameſi præfert,
12. quantum ad ſitus amœnitatem ſpectat. Lugduno Avenionem
proficiſcitur, & inde Maſſiliam. De ſuperſtitione incolarum
18. libere jocatur. Poſt aliquod tempus in Italiam pergit eo
quidem conſilio, ut in arte pingendi doctior evadat. De pompa defuncti pontificis funebri facetiſſime verſibus octoſylla-
27. bis canit. Tum coronationem novi Pontificis breviter, tra-
36. gicam autem navarchi *Readii* virtutem graphice, deſcribit.
44. Fœminas Romanas non laudat. Bacchanalia feſtine exprimit.
68. *Tibur* Horatii *ſupinum* cum locis adjacentibus adumbrat. Mo-

nialis

nialis inaugurationem pulchre describit, addito Anglice & Italice hymno, qui hac occasione conditus fuit. *Jacobum*, qui Pag. 76.
se Regem Angliæ dixit, & filios ejus laudat. De fœminis, cerimoniis, & superstitione, quædam facete repetit. Jonicam columnarum Farnesianarum inscriptionem, quam *Montefalconius*, & *Gruterus* minus accurate dederunt, correctam, & in 89.
æs incisam, inserit. †ΘΟΝΙΟΝ a quibusdam καταχθονιων legitur; ut itaque † κατα significet, χ sit omissum. Sed minus arridet hæc conjectura. † potius literam χ denotabit, & χθονιων, optimis etiam Autoribus, idem est, ac καταχθονιων. Tum de via Appia quædam Autor affert non injucunda. Varia Italiæ monimenta breviter enarrantur. Historiam incendiorum Vesuvii ex *Thoma Ittigii* præcipue *Lucubrationibus* 92. 112.
Academicis de montium incendiis, tum ex aliis Autoribus, Noster repetit, inprimis de incendio A. C. 1737 fuse exponit. Sepulcrum genti Arruntiæ sacrum in æs incisum addit cum 128.
Inscriptionibus. Vesuvii descriptionem maximam partem ex 134.
Introductione ad historiam incendii Vesuvii ab Academia scientiarum Neapolitana patrio sermone edita depromit. Tum in Herculaneum descendit, cujus e *Xiphilino* & *Plinio* historiam repetit. Introitum, vias, & in retegendo labores tum suis, tum aliorum etiam verbis, describit. Id quidem dubio 179.
videtur carere, urbem primo igne correptam, tum subito terra fuisse coopertam. Ligna parietum fere combusta, picturæ autem intus, & reliqua, fere integra reperiuntur. Hominum cadavera, excepto uno & altero, reperta non fuerunt, unde veri videtur simile, incolas, præsagio quodam monitos, urbem reliquisse, antequam ruinam paterentur. Libellum Noster, *A short Account of a late Journey to Tuscany* &c. 181.
Londini, A. 1741, editum, sub censuram vocat, qua tamen vix digna videtur illa mendaciorum farrago. *Georgium Hutchinsonum*, fanaticum, de Papa convertendo cogitantem introducit. Tum in descriptione Herculanei pergit, & statuas, alias- 206.
que antiquitatis monimenta ibidem reperta paucis attingit. Collectionem hanc picturarum omnibus aliis, quæ in Europa inveniuntur, longe anteferendam fore ideo censet, quod colores

lores & ductus optime sunt conservati. Unus panis, & is
quidem adustus, inventus fuit: non tanta ciborum copia, ut
Pag. 244. quidam evulgarunt. Austriaci exercitus profectionem & faciem pictoris arte Noster adumbrat. Exequias Mariæ Clementinæ Sobieskiæ describit, additis piis de morte meditanda
cogitationibus. *Eduardi Holdsworthi* in notis vita enarratur,
257. qui *Virgilio* maxime illustrando dedit operam. De Florentia dum agit Autor, fere totus in enarrandis picturis & pictoribus versatur. Finem facit breve poema Latinum ad patrem, cum versione Latina, & præcipui tandem variarum ætatum & regionum pictores in tabula quadam inter se comparantur. *Epistola XLII* prima est alterius Voluminis. In describenda Florentia Noster pergit, & deinde Capitolii antiquitates enumerat.
58. Tum pompam funebrem Mariæ Clementinæ Sobieskiæ fusius persequitur e Latina & Italica descriptione Romæ edita.
73. *Epistola XLVII* gemmam *Horatii Walpoli* describit, quæ ostracismum Atheniensium monstrat. Hunc jure improbat, quod
83. meritis & virtutibus inimicus fuit. De Bononia, præter pictu-
118. ras, pauca tantum indicantur. Sequitur columnarum Farnesianarum ulterior descriptio, eædemque cum inscriptione Sigea comparantur. In utroque monimento desunt Β, ς, Ζ, Ξ, Ψ, & in columnis etiam Φ. Ductus literarum utrobique fere sunt iidem: differunt tamen aliquo modo Α, Γ, D & Ρ. ΕΠΙ ΤΟ ΤΡΙΤΟ non, ut vult *Montefalconius*, ἐπὶ τῷ τρίτῳ legendum est: sed ἐπὶ τεῦ τρίτου. Nam ω ubique per ου exprimitur. Sigea inscriptio est antiquior: *Herodiana* tamen fortasse fidem magis meretur, quod sine dubio meliora habuit monimenta *Herodes* Atticus, unde antiquissimas literarum figuras desumere potuit, quas dare volebat, præcipue, ubi a characteribus sui temporis differebant. Hinc Β & Ξ ideo forsan omisit, quod binæ hæ literæ tunc cum antiquis prorsus eædem erant. Literæ Θ & Χ, quas Palamedes Cadmeis addidit, ab *Herode* etiam inseruntur: non vero Η & Ω, vocales, aut Ζ & Ψ, consonæ, quod eæ demum a
131. Simonide subsequentibus temporibus fuerunt inventæ; quanquam de Ζ *Chishullus* illud neget. Ad obeliscum A. 1748

denuo

denuo erectum. *Epistola LII* Noster progreditur: sed nunc plenior ejus descriptio extat. Herculanei, & antiquissimorum Vesuvii incendiorum historiam e *Bannierio*, & aliis, repetit; tum de urbe *Pompejorum* exponit, & viæ Flaminiæ notatu digna enarrat. Paucas sepulcri *Ovidiani* reliquias superesse luget. Tum in urbem subterraneam redit. Liquefacta e Vesuvio materia urbem inundavit, eademque adhuc plurima loca, plurimæ cavitates, sunt repletæ. Reliquam partem aqua & cineres occupant aqua maris compacti, quam Vesuvius attraxerat, postea evomuerat. Hinc eandem, quam antea, domus superficiem tenent. Ubi liquefacta materia viam sibi aperuit, statuæ æneæ nullæ reperiuntur integræ: pars enim earum simul est liquefacta. Nunc de statu Judæorum, qui adhuc Romæ degunt, Autor differit. Comœdias Romanas spernit: sed sobriam nobilium in collegiis Nazareno, Clementino, & Romano, educationem, scholas etiam publicas, laudat. Sorori historiolas narrat de Beatrice Cencia ob patrem interfectum capite plexa, & de Zenobia, Palmyrenorum regina. Ad ædis Lauretanæ descriptionem postea pergit, tum quædam de Ancona subjunguntur, de castello S. Angeli, & de festo sanctorum *Petri & Pauli*. *Epistola LXXI Jo. Bapt. Passerii* de Junonali sacra Herculanensium mensa dissertatio enarratur. Tum insula Capreæ describitur. Occasione stylobatæ noviter inventi *Laur. Theod. Gronovii* de Tiberio Cæsare Dissertationis conspectus datur, & ipse stylobates in æs incisus exhibetur. *Epistola LXIV* villa, dicta *Madonna*, describitur, & locus, ubi horti *Julii Martialis* fuisse creduntur. Monachi cujusdam, *Leonardi*, pios sermones sacros Noster celebrat. Reliqua, quæ præcedunt, ea continent, quæ Autores allegati de Herculaneo memoriæ prodiderunt.

Pag. 183. 188. 196. 219. 236. 320. 362. 370.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences & des belles lettres, &c.

hoc est,

HISTO-

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM & elegantiorum literarum, annus 1751.

Berolini, apud Haudenum & Spenerum, 1753, 4.
Alph. 2 plag. 17. Tab. æn. 7.

In ipso commentariorum titulo annus 1752 errore typographi legitur, nos verum substituimus. Physica classis, (nihil enim præter scripta Academicorum jam prodit,) primo *Elleri* nova de sanguine humano experimenta continet. Missum ex venis sanguinem vasculo excepit, quod in balneo maris, ad calorem humani corporis exacto, detinuit, variasque materies tum venenosas, tum salutares admiscuit, atque exinde in colore & consistentia sanguinis mutata, sollicite, microscopio etiam adhibito examinavit; Ut compendium demus experimentorum quæ omnia transscribi huc non possent: Aluminis solutio, sanguinem saturate rubentem effecit, mixtura vero æquali, coagulavit subito, colorem non mutavit; microscopium tunc globulos ostendit, ab omni parte se unientes, contextum obscurum, & parum pellucidum. Salis communis solutio, sanguinis ruborem elegantiorem & clariorem reddidit; mixtura æqualis in formam gelatinæ splendentis condensavit, microscopio, globuli separatim ordinati, flavescentes, pellucidi, apparuerunt. Arsenici solutio momento spissavit sanguinem, rubeumque colorem elegantem, saturum, splendentem, ostendit; Microscopium monstravit globulos mobiles, dissolutos, & veluti in motu constitutos, inter quos distincte apparuerunt passim exiguæ crystalli, apicibus triangularibus, instructæ, jaculis similes.

De nervis faciei, *Meckelii* Dissertatio legitur in quibus nondum sufficere anatomicorum, *Willisii* etiam & *Vieussenii* labores, ostendit, quia figuras, memoria magis & imaginatione nixi, quam ad ipsam naturam, delineaverint. Prima igitur scripti sui sectione, de faciei nervis generatim agit, quos tanto numero ibi esse distributos, monet, ut sensibus, quorum ibi potissimum est domicilium, serviant, ut animi motus expri-

primant, & faciei cum toto corpore per nervos undique discurrentes nexum constituant, & quæ reliqua sunt. *Secunda Sectione* Autores qui de his nervis egerunt recenset; *Tertia* nervos ipsos minutim describit, figuram vero addit egregiam prorsus faciei cute nudatæ cum nervis per illam discurrentibus, musculisque ad quos pertinent, improbat enim eos qui nervos a partibus inter quas distribuuntur sejunctos pingunt, quo fit, ut veræ illorum origines & directiones cognosci non possint. *Quarta* demum *Sectione* usus nervorum exponit, inter quos non exiguus est, quod annuli nervosi vasa sanguiflua quæ circumdant constringendo vel relaxando, sanguinis motui imperent, sicque faciem, animi speculum, pro affectuum diversitate afficiant. Subjungitur figuræ amplissima explicatio.

Marggrafius aquam vulgarem chymico examini subjecit. Primo pluviam aquam & nivem excepit, in horti quodam libero loco positis vasis vitreis amplis, pedem profundis, dimidium pedem latis, adhibita cura omni, ut pura aqua colligeretur. Ita captæ aquæ magnam copiam repetitis vicibus destillavit, donec in retorta superesset residuum turbidum. Hujus fluido evaporatione abacto, terram quæ restabat collegit, variisque tentaminibus, cujus naturæ sit, investigavit. Eodem modo in complura aquæ genera quæ Berolini habentur inquisivit. Hæc cum uberius recensuisset, deinde in tabulam synopticam contraxit, ex quibus aliqua speciminis loco adducemus. Adhibuit vero ad experimenta omnia, aquæ quantitatem eandem, mensuras centum, ejus generis quæ Berolini *Quartes* vocantur; pondus aquæ pluviæ mensuram ejusmodi replentis est unciarum 36. Tanta aquæ pluviæ quantitas continet drachmam 1 grana 60 terræ calcariæ subtilis, addito pauxillo acidi nitrosi & salis communis. Aqua ex Sprea fluvio habet calcariæ terræ subtilis drachm. IV, grana XXVII, salis communis grana XXX ad nitrum accedentis, lixivii alcalini parum, Residua ex aquis aliquibus terra, addito sanguine, cœruleum colorem exhibuit, martiales particulas

fi prodens, ut originem cœrulei Berolinensis intelligenti manifestum est.

Gleditschius novum plantæ genus sistit, quod *pnevmonanthe* ipsi vocatur, toto charactere a gentianis diversum. Monet, esse adhuc apud Botanicos genera vaga, quibus subiiciuntur species, characterem gerentes generico contrarium. Hoc *Gentianæ* accidere docet, exposita *Gentianæ* definitione ex *Linnaeo*, & recensitis plantis, quæ eo referuntur. Pnevmonanthes igitur, quam ab iis separat, hi characteres sunt: *Calyx*, Perianthium monophyllum tubuloso erectum, persistens, tubo corollæ brevius, laciniis quinque angustis vel linearibus acutis profunde divisum: *Corolla*, Petalum unicum, campanulatum, erectum, imperforatum; Tubus amplissimus & longissimus. Limbus brevis quinquefidus plicatus erectus vel semirepandus, *Stamina*, Filamenta quinque, distincta inferius, latiora, compressa, tubo adnata, superius subulata, corolla breviora; Antheræ 8 erectæ connatæ in corpus conicum, basi secedentes. *Pistillum* Germen oblongum in medio ventricosum, ad basin tuberculis quinque parvis melliferis instructum; stilus modo brevis modo longior & simplex intra tubulum antherarum. Stigma unum, vel duo reflexa. *Pericarpium*, capsula oblonga, teres, ventricosa, apice bifido, uniloculari, bivalvis. *Semina* numerosa parva, variæ figuræ. Receptacula duo, singulæ valvæ secundum longitudinem adnata, ut in *Gentiana*. Species est unica: Pnevmonanthe foliis longis & angustis floribus sessilibus alaribus campanulatis: quo pertinent Pnevmonanthe *Lobel. Icon. 309, Tabern. 1176* Gentiana angustifolia autumnalis major. *C. B. Pin. pag. 188. Rupp. Fl. Jen. pag. 17* Gentiana floribus terminatoribus raris corollis erectis plicatis foliis linearibus *Linn. H. Cl. pag. 80.* Gentiana foliis longis angustis, floribus in alis caulis sessilibus, *Haller Iter Helv. pag. 478.*

Mathematicæ Classis scriptum primum est *Euleri*, harmoniam inter generalia motus & quietis principia *Maupertuisiana* ostendens. In eo est, ut monstret, posita minimi lege ex qua statum æquilibrii dijudicat Illustr. *de Maupertuis*, consequi illam minimi legem qua in motibus computandis utitur,

ut

ut nequeat altera ſine altera vera eſſe, utraque vero ſic, *Eulero* judice, naturæ conveniat. Deinde exempla varia minimi ex dynamiois producit, aliquando tamen maximo etiam locum eſſe fatetur.

Sequitur ejusdem Diſſertatio de minimæ actionis principio, ex latino ſermone translata. Ea ſeparatim jam prodiit; ſtudet *Eulerus* potiſſimum contra *Kœnigium* oſtendere, magnam omnino deberi Illuſtr. *de Maupertuis*, ob principium quod edidit, novum & fecundum inventum, gloriam.

Aequilibrii generale principium metaphyſice demonſtrare ſatagit idem *Eulerus*. Res eo redit, ut viribus ſecundum certam quandam directionem in corpus quodpiam agentibus, ſubſtituat fila tenſa, parallela, ab una parte ſuſtentaculo immobili, ab altera recta rigida, mobili, perpendiculariter utrinque adnexa, junguntur autem recta rigida corpori ſic, ut dum contrahuntur fila, ſequi illa & accedere ad ſuſtentandum fixum corpus neceſſe ſit. Hic cum vires contractiles filorum ponantur æquales, longitudines etiam, ſit communis filorum longitudo $= x$, numerus $= N$, & quia vis contrahens quævis agit tantum quantum poteſt, erit fili cujusvis longitudo, quæ eſſe poteſt, breviſſima, Ergo Nx eſt minimum. Hinc regrediendo a filis ad potentias erit æquilibrium ſi capta in potentiæ, cujus magnitudo dicitur N, directione, longitudine x, ſit Nx minimum, quod uberius noſter illuſtrat.

In ludo quodam, *jeu de rencontre:* probabilitatem computat *Eulerus*, Ludus talis eſt: Habent *A* & *B* quilibet integrum chartularum luſoriarum libellum. Primo vero *A* chartulam educit, deinde *B*, cujus charta, ſi priori ſimilis ſit, vincit *A*; ſi diſſimilis ſit, continuatur ludus, & ſi tranſeundo per chartas omnes, nunquam ſimiles chartæ prodeant, vincit *B*. *Eulerus* calculis prolixis & ingenioſis, ſpei rationes pro hoc vel illo chartarum numero definit reperitque ſi *20* ſint chartæ, ſpem ipſius *A* eſſe ad ſpem ipſius *B* in ratione *1, 71828182* &c. : *1* qui numerus pro majore characterum multitudine adeoque pro conſuetis libellis folia *52* continentibus, etiam valet.

Segneri, Profeſſ. Gœtting. hydraulicam machinam ſuperiore anno laudatam, uſibus variis applicare docet idem *Eulerus*.

Aliam machinam aquæ tollendæ idoneam, a D. *de Mour* propoſitam idem *Eulerus* conſiderat.

De corporibus duris diſſerit *Dom. Beguelin* illaque tuetur, partim quia lex continuitatis plerumque illis oppoſita adeo evidenter demonſtrata nondum ſit, partim, quia nec diviſibilia ſine fine corpuſcula, dum in ſe agunt, poſſint continui legem ſervare; ſed hic, quod pace ingenioſiſſimi viri dixerimus, alicubi minus vera ſumit, ut cum infert, duobus motibus, ab eadem quantitate initiali ad diverſas finales decreſcentibus, tranſire fluentes velocitates per continuum non poſſe, quaſi non poſſint curvarum duarum arcus primas ſuas ordinatas æquales habere, deinde vero, tranſeuntibus ordinatis arcus uniuscujusque per continuum, ab ordinatis plane diverſis, terminari. Poſtea varia motuum definiendorum principia inter ſe comparat, *Maupertuiſiano* palmam adjudicans.

In claſſe philoſophica, primum de conſcientia diſſerit Clariſſ. *Formey*, præcipua quæ ad judicium de actionibus noſtris quatenus morales ſunt, pertinent, perſpicue ſolide & concinne explicans.

Cogitata philoſophica de ſimilitudine, *Merianus* profert, quæ contrahere in brevitatem non poſſumus, nec excerpere quæ intelligantur, cum tota hac diſſertatione efficere *Merianus* videatur, ut nimium intelligendo nihil intelligat. Similitudinem pronuntiat non eſſe niſi idearum, ut ſi non exiſtat ſpiritus cogitans, ſimilia aut diſſimilia futura nulla ſint. Et hic quidem linguæ Gallicæ in philoſophicis uſum egregie oſtendit, vocabulum enim *ſemblable* deduci ait a *ſembler*, pergens: *On ne ſauroit dire que deux choſes ſe reſſemblent, ſi cela ne ſemble ainſi a un eſprit qui les apercoit.* Facile judicatu eſt contra indiſcernibilium principium pugnaturum, quod experientia probari poſſe negat ſubtiliſſimis prorſus ratiociniis. Nam nobilem illum, qui *Leibnitium* experimento refutaturus folia duo perfecte ſimilia quæſiverat, etſi curatius ea contemplatus diſcrimina ſemper repererit, primo tamen intuitu

per-

perfecte ſimiles utrinsque folii ideas habuiſſe, quod proterendo *Leibnitio* ſufficiant, cum ſimilitudo & diſſimilitudo, idearum tantummodo ſit. Deinde gratis ſumi aſſerit, ſi rebus accuratis conſideratis diſcrimina nobis animadvertantur, quod hæ rerum ideæ perfectiores ſint iis quas primo habebamus, quod verius rem microſcopio cognoſcamus, quam oculo nudo, imo, quod eadem res, quam oculo nudo, jam microſcopio ſpectetur. Similitudines omnes denique perfectas eſſe aſſerit, quo, ſi quid intelligimus, id ſaltem aſſerit, res vel ideas, *qua* ſimiles ſunt, ſimiles eſſe, repertum profecto hecatombe dignum. Sed plura non adducemus, vix enim credent lectores, vel hæc quæ recenſuimus dici noſtro tempore, & ab ingenioſo ceteroquin homine & Philoſopho, in Academia quadam ſcientiarum potuiſſe; igitur ut ex ipſo ejus ſcripto id diſcant, rogatos eos volumus.

De voluptate *Sulzerus* agit. Gratæ ſenſationis conditionem hanc ponit, ut anima multitudinem idearum in unico quodam objecto connexarum facile evolvere poſſit, quod ſi impediatur, tædium oritur. Quæ licet ad voluptates intellectus pertinere potiſſimum videantur, tamen ad reliquas etiam transferri poſſunt. Hic vero de intellectus voluptatibus potiſſimum agit, & *pulchrum* præcipue examinat quod ex variis in unum conjunctis oritur. Id exemplis ex geometria aliisque doctrinis deſumtis illuſtrat.

In claſſe *elegantiorum literarum*, *Pelloutier* de origine Romanorum diſſerit. Græcam eſſe probat ex moribus variis, ex Deorum cultu, ex lingua. Ipſius urbis nomen Græcum eſt, & Ῥώμην, *Valentiam* Solinus *Cap. 1* interpretatur. Inter Græcos vero, ad Æoles ex dialecto Æolica probat, cum Romani & Æoles, Græcas voces φημὴ ῥώμη μηχανὴ &c. eodem modo pronuntient & ex Æolum τύ, ὀδμή, Fοῖνυ, Romanorum tu, odor, vinum, nata ſint, Profectos autem Romanos credit ab Ionibus & Æolibus illis, qui regibus Lydiæ cedentes Aſiam minorem liquerunt novas in Italia & Gallia ſedes quæſituri. Has conjecturas, magno & eruditionis apparatu & ingenio firmat. De Suevo fluvio *Becmannus* commentatur, ad illuſtrandum *Ptolemæi* locum,

 quo

quo ostia fluvii determinat. Cum vero variarum, quas Geographiæ antiquæ studiosi hic finxerunt, hypothesium nulla satisfaciat, suspicatur, eos quos *Ptolemæus*, in hac orbis parte describenda, secutus est, fluvio qui Suevorum, populi celebris, regionem irrigat ostia attribuisse conjectando. Hac vero occasione de Suevis erudite disserit.

Abbas *Raynal* historiam elevationis *Caroli V* ad imperatoris dignitatem ita narrat, ut quibus mediis ea contigerit, quid *Franciscus I* Galliæ Rex eandem summam dignitatem ambiens peccaverit, luculenter exponat. Ultimum est elogium *Christophori Ludovici de Still*, Ducis bellici Prussici, qui literas armis egregie junxit, & de equestri militia tractatum manuscriptum reliquit.

JAC. THEOD. KLEIN, TENTAMEN METHODI ostracologicæ, sive dispositio naturalis cochlidum & concharum, in suas classes, genera, & species, iconibus singulorum generum æri incisis illustrata. Accedit Lucubratiuncula, de formatione, incremento & coloribus testarum, quæ sunt cochlidum & concharum, tum commentariolum in locum PLINII H. N. Lib. IX Cap. 23 de concharum differentiis, denique Sciagraphia methodi ad genus serpentium ordinate digerendum.

Lugduni Batav. apud Georg. Jac. Wishof, 1753, 4 maj. Alph. 2 plag. 13, Tab. æn. 12.

Splendidum opus & eruditum, ut *Kleinii* omnia, inscriptum est peritissimis duobus in historia naturali viris *Jo. Ergers* Theologo Leidensi & *Hier. Dan. Gaubio*, Medicinæ ibidem Professori, quorum, in expoliendo, emendando, augendo hoc ipso scripto, aliquæ fuerunt partes. Methodum qua utitur *Kleinius* ostracologicam non sibi privative attribuit, sed amico olim familiari Dom. *Christiano Gabrieli Fischer*, maxime debere se profitetur qui, cum museum *Kleinius* adornaret, ante hos viginti & quod excurrit annos, conchyliaque in ordinem redi-

redigeret, vel ter revidit, correxit, in melius vertit, *Kleinius* aliquando caput scalpsit, ungues momordit, ut semet ipsum & amicum intelligeret, *Rumphii* Museum Amboinense, nec non *Bonanni* & *Listeri* testacea, libros preciosos, laceravit singulaque in paginis separatis secundum enata genera juxta se invicem posuit, non correspondentia transtulit, rursusque revocavit similia, & quæ porro. In describendo *Rumphium* felicissimum judicat Autor, *Bonanni* multum luxuriat, *Rondeletio*, *Aldrovando*, *Gesnero*, genera tantum curæ sunt; *Listerus* in Tabularum æncarum titulis parcus & jejunus est. *Jonstoni* rhapsodiæ valde confundunt, textus corruptissimus schematibus sæpe non congruit, sic & ipsa schemata valde decipiunt, in *Aldrovando*, *Gesnero*, *Fabio Columna*, multa sub umbra latent, in *Jonstono* veterum nævos Chalcographi phantasia auxit; in *Rumphio* & *Bonanni* icones multæ per scalptoris errorem sunt inversæ, pleræque ab una saltem parte testam contemplandam exhibent, in conchis testa altera tantum, æque aversa plerumque cernitur, neglecto interiori cardine & laterali situ partium, ex quo concharum species definiendæ. Nisi quis testas nativas bene multas oculis usurpaverit, nec schemata nec descriptiones ad sensum revocabit. Picturæ sine commentario mutæ sunt.

Methodi Autoris generalia saltem exponere licet ex *cochlidum Tabula synoptica* libro præfixa: COCHLIS est

I. Simplex, hæcque	II. Composita, hæcque
Plana,	Rostrata,
Convexa,	Voluta longa,
Tornicata,	Voluta ovata,
Elliptica,	Alata,
Conocochlis,	Murex.
Cochlea,	III. Cochlidum opercula, ut
Buccinum,	Umbilicus,
Turbo.	Operculum callorum,
	Unguis odoratus.

Con-

Concha eſt:

I. Monoconcha,
Patella,
Anſata.
II. Diconcha,
Æqualis,
Connivens,
Interrupta,
Inæqualis.
III. Polyconcha.
IV. Niduli teſtacei.
V. Echinus marinus.
VI. Tubulus marinus.

Species generum hic non recenſemus, quarum nomina ſine explicatione non intelligerentur. Subjicimus ſtatim, quoniam hanc tabulam ſynopticam ſequitur, ſciagraphiam methodi ſerpentium.

Eſt vero SERPENTIUM, animantium pedibus & pinnis carentium, corpore vel tereti, vel complanato, aut cortice tecto, aut nudo, Ordo:

I. ANGUIS Capite organis ſenſoriis prædito, pulmone reſpirans, cute ſquamata, vertebris coſtisque per longitudinem corporis inſtructus, plurimi dedeponunt exuvias. Isque

Capite diſcreto, caude attenuata,
Vipera, dentibus anticis caninis Κυνόδον,
Vulg. varior. locor. Ἔχις,
Caudiſona,
Conſpicillaris.
dentib. pectinatis (Lucii piſcis vel Crocodili ſimilibus,) Ιχθυόδον
Coluber dentibus aſcicularibus plurimum umbroſis & velut acu pictis. Αυγαίοδον.
Anodon Ἀνόδυς, *Edentulus,*
Capite indiſcreto, cauda truncata
Cauda præ capite anomala, ſcytale,
Capite & cauda anomalis, Amphisbæna.

I. VER-

II. VERMIS pedibus carens, nudus. Pedatos ad insecta refert.
Lumbricus teres terrestris vulgaris
aquaticus vena Medeni, seu Gordius,
Tænia, planus animantium,
Hirudo ventre sessili.

Libri ipsius Pars prima *Cochlides* sistit, qua voce ad differentiam *Cochleæ* designat canalem testaceum circa principium tenue & clausum in gyros gradatim vastiores constanti ratione circumactum. Has eo, cujus generalia exhibuimus, ordine enumerat. Ita *Sectionis I*, sive *simplicium*, classis *primæ*, *planarum*, quarum canalis testaceus ita est circumvolutus, ut in centrum circularium spirarum profunde videatur intortus, *genus 1* est *Nautilus*, cochlis plana, semilunaris, spiraliter ita inflexa, ut simplex spira extima & capacior fere sola appareat proximam sibi spiram oris medio recipiens. Hujus species sunt:

I. Lævis,

1) Nautilus major crassus, dorso & carina subrotundis *Rumph. pag. 62 Tab. XVII lit. A; Listeri Tab. 550 f. 1 & 3; Bonanni n. 1.* Si rudis, corticem habet ex castaneo variegatum. Figuram exhibet *Tab. 1, n. 1, 2.*

2) Nautilus umbilicatus *Listeri Tab. 552 f. 4.*

3) Nautilus striatus, ipsa puppe nigra. Cochlea peregrina *Listeri Tab. 551.*

4) Nautilus ex castaneo variegatus ad puppim nigram, & in carina lata, quatuor costis, quales resectæ cameræ relinquere solent, margariticis. *Nobis*

5) Cochlea umbilicata depressa medio orbe aucto, *List. Tab. 174 f. 21*, Icon exstat in *Tab. I n. 5.*

Synonyma, Nautilus II *Aristot.* Pompilus *Plinii*, Pompylius *Eustachii.* Cochlea Indica *Cardani.* Concha margaritifera *Bellon.* & *Musei Septaliani. Perlmutter, Perlschneck* a colore, non a fœtu perlato. *Rondel. Porcellana* Gallorum. *Coquille, Perlemoer-hoorn, Papedo-*

Boorn, *Belgis*. *Bia Papeda*, *Amboin.* item *Bia Coyn. Krang modang. Kikalapia. Thick Sail fhell* Angl.

Hæc ſpeciminis loco exſcripſimus. Abſolutis ſimili modo cochlidibus omnibus, ſecunda parte *conchas* tradit, teſtas vaſculorum inſtar explanatas & concavas. Dividit eas in Monoconchas & Diconchas, Polyconchas nidulosque teſtaceos parti tertiæ ſervans.

Subjicitur operi indiculus tabularum *Liſteri* (*Hiſt. Conchyl.*) relatarum ad paragraphos ſcripti *Kleiniani*, quibus explicantur, prætermiſſis dubiis. Deinde, indicis nominum ex linguis omnibus deſumtorum lucubratiuncula, in titulo nominata, ſequitur. Teſtas una cum his animalibus naſci, non excluſis demum ſuperinduci, autoritate virorum experientiſſimorum, & autopſia probat. Sunt autem teſtæ, animalium partes conſtitutivæ non *domus* ſaltem ſed cutes, quibus detractis moriuntur. *Collare* quod *Reaumurius* vocat, generandæ teſtæ non ſufficere probat, & in univerſum minus recte ſummum ceteroquin phyſicum de hoc negotio ſenſiſſe oſtendit, teſtas vero intusſuſceptione nutriri, & inde a primo animalis ortu, ſervata ſimilitudine in majorem ſaltem molem excreſcere, evincit. Igitur vaſtiores ſpiræ reſarciri poſſunt, ſi lædantur; cum puncto primo ſpiræ vita animalis perit.

De commentariolo in *Plinii* locum, parum habemus quod dicamus. Ad ſingula fere verba *Plinii* notat, quæ ex hiſtoria naturali, illuſtrandis iis aliquid conferunt. Igitur miranda teſtaceorum hic brevi velut compendio enarrata leguntur quod ulterius in compendium contrahere non poſſumus. Additur operi *clavis figurarum* qua, quod teſtaceorum genus figura quævis exhibeat, indicatur. Hoc omnino magnam apud herum rerum ſtudioſos Autor iniit gratiam. Vix enim poſſunt tam variæ tamque compoſitæ teſtarum formæ ſolis verbis clare ſatis deſcribi, ut nullus liber ordinandæ collectioni ſufficiat, qui non ſimul imagines generum exhibet. Totum vero opus tale eſt qualia omnia reliqua Celeb. Autoris, quibus difficulter carere poſſunt naturæ ſcrutatores.

FR.

FR. THOM. MARIÆ MAMACHII, ORD. PRÆD. *Theol. Casanatensis Originum & Antiquitatum Christianarum.*

Tomus III.

Romæ, in typographio Palladis, sere Palearinorum, 1751, 4 maj. Alph. 2 plag. 16.

Quantum sibi percurrendum stadium sumserit Venerabilis Autor, benevoli Lectores ex nostra, jam pridem facta, enarratione perceperunt. Ad *Librum* nunc accedens *tertium*, de *moribus* Christianorum agere copiosius instituit, ea ex ratione scilicet, quia scriptores sunt rarissimi, amplius de hoc argumento, uberiusque, differentes. Sunt præterea alii, inter quos *Arnoldus* etiam refertur, qui copiose quidem hanc rem sibi pertractandam sumserunt, sed testimoniis minus sibi constantibus usi sunt. Operæ pretium hinc Noster duxit esse, diligentissime omnia colligere, ad hoc argumenti genus pertinentia, & ordine illa prosequi fusius, quam ante eum *Caveus* atque *Fleurius* fecerat, ut sibi ipsi, & omnibus Lectoribus, satisfaceret. Hinc dividendum integrum librum in *tres Partes* potiores esse ratus est Autor, in quarum *priori* de iis egit, quæ ad Deum pertinent: in *altera* de iis, quæ ad hominem ipsum referuntur: in *tertia* denique, de Christianorum moribus differit, ad ceteros homines relatis. Quo rerum suarum ordine usus Noster fuerit, *Præfatio* docta & modesta satis docet; ingenue enim fatetur Autor, levem quendam errorem in hunc Librum, peccato suo, irrepsisse, id quod indicium candidi & sinceri animi, penes Autorem nostrum Lectoribus esse poterit.

Rerum dicendarum initium facit *Caput primum*, de religionis colendæ studio, quo Christiani primorum temporum tenebantur, agens. Fons pietatis hujus Christianæ erat omnipræsentia divina, a piis hominibus credita, atque culta. Hinc Deum ita venerabantur, quasi præsentem ipsum viderent, qui caste, integreque omnia, nihilque scelerate, nihil impie, nihil Pag. 1

 per-

Pag. 8. perverſe agendum cogitandumque præciperet. Qua ex ratione a vitiis abſtinebant, ac temperantiam, juſtitiam, virtutesque ceteras, ſincere colebant, id ſibi ſumentes, ut virtutem non mo-
11. do prædicarent, ſed colerent etiam. Ex vita itaque eorum clare elucebat, nunc ſe credere Deum, infinita poteſtate atque ſapientia præſtantem, rebus omnibus proſpicientem, bonis omnibus ſempiternam felicitatem concedentem, malos vero ad perpetua ſupplicia rapientem, atque a legum ſuarum ſanctitate
16. inviolabili nunquam recedentem. Exinde factum eſt, quo veteres Chriſtiani ſuæ religionis decreta ſymbolis certis exprimerent, ne illorum memoria unquam exciderent, atque ſimul ad virtu-
21. tem colendam atque cuſtodiendam incitarentur. Præter alia, in more illis erat poſitum, ut piſces frequenter annularibus lapidibus inſculperent, quia vocabulum Græcum ΙΧΘΥΣ, ſymbolum Jeſu Chriſti, Dei Filii, ſervatoris eſſe, judicabant. Erudite hoc, & per plurimas figuras æneas, Autor perſequitur, quo & reli-
26. qua, jam enarranda pertinent. Addit enim Noſter, quod minime vituperandi Chriſtiani fuerint veteres, quando eorum, qui gloriam ſempiternam conſecuti ſunt, precibus confiderent, idque, ut memoria retinerent, inſculpere marmoribus curarent. Quam argute hoc in loco illa dicantur, lectores facile augurabuntur.
27. Eum in finem dicere incipit Autor de ſymbolis *Adami & Evæ*. Ut ſcilicet Chriſtiani originis ſuæ reminiſcerentur, & ſæpe ac multum cogitarent, ex terra corpora noſtra, non caſu quopiam, ſed voluntate, operaque Dei, eſſe concreta, atque, ubi ex iis exceſſerint animi, diſſolvi illa, atque in terram recidere, imagi-
28. nes *Adami* atque *Evæ* ſuis oculis interdum proponebant. Accedebat huic picturæ ſcalptura arboris, ſerpentisque, primos parentes fraude circumvenientis, ut fructu arboris, contra legem divinam, veſcerentur. His imaginibus Chriſtiani memoriam triſtem peccati, ærumnarum, captivitatis generis humani ſub peccato & maligno genio, quin etiam memoriam ſpei re-
29. ſtitutionis renovabant. *Abelis* a fratre *Caino* interfecti imagines ſibi Chriſtiani proponebant, ut invidiam vitarent, *Abelis*que patientia ad innocentiam morum fortitudinemque in perferenda morte incitarentur. Ex his lectores perſpicient, quæ Autor

Autor in sequentibus tractaverit, ubi, multa cum eruditione, quin
plurimis etiam cum conjecturis, de *Noemo*, & Arca; de *Abrahamo* & *Isaaco*; de *Josepho* Patriarcha; de *Mose*; de *Pharone* Ægyptiorum rege, fluctibus maris oppresso; de Arca fœderis; de candelabro; de *Samsone*; de *Jobo*; de *Davide*; de *Elia*; de *Tobia*; de *Daniele*, *Jona* & *Ezechiele*, eorumque imaginibus, disserit. *Ezechielis* inprimis imago, ex mente Autoris, Christianos veteres docebat, futuram mortuorum resurrectionem, ubi in cœmeteriis quam plurimum pingebatur. Ex his Celeberrimus Autor descendit ad sacra symbola e Novo Testamento recepta, inprimisque de Christi imagine, in monte consistentis, ex quo monte quatuor flumina, symbolum scilicet quatuor Evangelistarum, oriuntur, deque ejusdem, crucem aut virgam gestantis, figuris agit. Putat hic Noster, virgam in imagine Christi fuisse symbolum utriusque, regiæ scilicet & sacerdotalis, potestatis. Quin imo verisimile ipsi videtur, virgam a majoribus nostris designatam, fuisse crucis symbolum, sub hac figura in Vetere Testamento adumbratæ. Pergit ex instituto Noster de mo-

Pag. 31. 34. 41. 45. 46. 52.

nogrammate  notissimo docte verba facere, quin

etiam de corona, cruci imposita, in cujus ambitu monogramma continebatur, agere. Innumeræ hic fere figuræ, in ære incisæ, occurrunt, uti etiam monstratur, post tempora *Constantini*, ad rem sacram Christianam accedentis, non modo templa, sed etiam tabulas, amuleta, literas pacificas, signa militaria, scuta, annulos, lucernas, sepulcra, coronas militum, numos, & alia multa, monogrammate illo exornata extitisse. De symbolo A. & Ω, quod, aut monogrammati adjungere Christiani, aut solitarie describere, solebant, doctæ multæ hic occurrunt observationes. In reliquis, de figura boni Pastoris, & Christi, speciem agni præ se ferentis, imagine differitur, ubi non indocte docetur, quam ob rem veteres Christiani *Orphei*, Apostolorum, sanctorum martyrum, animalium quorundam, plantarum, domorum, navis,

56. 74.

anchoræ, doliorum, aliorumque rerum figuris usi fuerint. De
Pag. 81. *Orpheo*, ejusque imagine, Noster statuit, minime hunc fuisse
a Christianis cultum, sed sub ejusdem symbolo sibi in memoriam illos revocasse, *Orphei* dicta de uno Deo, &, quod Christus servator, tot barbaras, efferatasque nationes, doctrina
88. potestateque sua mites ac mansuetas reddiderit. Cervos pingebant, ut ostenderent, quanto Dei Christique desiderio fla-
90. grarent, ex *Ps. XLI.* Leonis imagines fovebant, ut docerent,
98. ne bestias quidem Christiano viro terrori esse oportere. Quæ, cum reliquis, judicio lectorum nos committimus, inter quæ tamen jucunda multa oculis & animis, quin & utilia, propo-
103. nuntur. De quatuor anni tempestatibus veteres Christianos easdem, cum ethnicis, habuisse imagines, diversa tamen signi-
105. ficatione, Autor docet. Ex quibus, ut & ex aliis rebus, clarissime elucet, Christianos omnia, quæcunque cogitabant, moliebantur, agebant, in Deum retulisse, precibusque
106. publice & privatim strenue operam navasse, cum intelligerent, per preces, hominem cum Deo arctius conjungi, in fide contineri, atque vires ad recte agendum consequi; non solum in statis diebus festis, sed extra illas etiam, ecclesiæ & reipubli-
114. cæ laborantis ratio turbida id requirebat. Peculiares hic etiam occurrunt disputationes de reverentia veterum Christianorum erga Deum: de eorum in jurejurando religione, atque de studio, quo cavebant, ne in juramentis, neve in sermone fa-
119. miliari falsum aliquem Deum appellarent. Cultum divinum Angelis, martyribus, sanctisque viris nunquam tribuebant, Deorum autem imagines non solum non colebant, sed ne fa-
123. bricabant quidem, nullique eorum cultui intererant, nihilque faciebant, in quo vel speciem, umbramve aliquam superstitionis inesse credebant. Ad templa Deorum falsorum non accede-
128. bant: sacrificiis voluntarie non intererant: Oracula, magos, hariolosque non modo non consulebant, sed etiam vitabant.
137. Nullum, nisi civilem, Imperatori cultum tribuebant. Ad
143. convivia ethnicorum, & spectacula non accedebant. Gravis-
155. sima incommoda patiebantur, ne religionem Christianam desererent, atque hinc in deserta loca profugiebant, domi la-
tere

tere aut in deserta loca profugere malebant, quam fidem Christianam desererent. Tanta erat Christianorum in fide Pag. 165. Christo servanda constantia, ut uxores a maritis deseri, filii a parentibus exhæredari, servi ab heris vexari atque damnari, civesque a patria exulare, mallent, quam paterentur, quidpiam ab se fieri, quod alienum esse a cultu veræ religionis videretur. Hac occasione Noster, docte, ample, & splendide sane, de variis martyrum cruciatibus & tormentis agit, quorum ordinem ut sciant Lectores, summam argumentorum apponere huc libet. Agitur hic de crucibus 170. atque stipitibus, quibus affigebantur martyres: de rotis, trochleis, torculari, cyphone, scaphismo, equuleo, compedibus, 190. numellis, pedicis, manicis, boiis, catenis, custode commentariensi, de instrumentis cæsoriis, lapidibus, quibus martyres percutiebantur, atque obruebantur, de ungulis, forcipibus, uncis, ferreis pectinibus, laminis ignitis, 210. facibus, lampadibus, de tauro æneo, olla, lebete, sartagine, lecto ferreo, sella, galea, tunica ferrea, variisque tormen- 217. tis ignitis, de graphiis, de stimulis, de ferris, lanceis, gladiis, & reliquis. Omnia omnium tormentorum genera 228. descripta hic inveniuntur & ære & literis, ut exquisitissima hæc commentatio omnino sit habenda. Sed ut tormentis 244. veri nominis Christiani confessores a veritate abduci non potuerunt, ita etiam, nec blanditiis efficere quidpiam potuerunt ethnici, ut illi religionem Christianam relinquerent. A blasphemia atque hæresi quam maxime abhorrebant, ita, 246. ut non solum nullam hæreticorum communione, sed ne sermone quidem civili, dignarentur. Si quem suorum etiam 249. in idolatriam, aut in hæresin, vel metu, vel errore, persuasioneque falsa, incidisse intelligebant, magno afficiebantur dolore, & operam dabant sedulo, ut lapsi resipiscerent, atque ad Ecclesiam reverterentur; neque solum eorum, qui 251. lapsi erant, salutem procurabant, sed etiam timebant, ne sibi crimini verteretur, nisi in Ethnicis, Judæis, Hæreticis instituendis, & convertendis diligenter operam locarent. Caput

put secundum agit de spe, quam Christiani veteres in Deo collocarunt, tam magna & manifesta, ut etiam ethnicis hæc
Pag. 258. explorata videretur. Inferitur hic causa, quare veteres Christiani loca, in quibus sepeliebantur, cœmeteria vocarent, &,
259. quam maxima spes eorum in morte fuerit, ubi futuram resurrectionem vitæ credebant, & mortem somnum atque so-
264. porem habebant. *Caput tertium* de caritate Christianorum
271. erga Deum agit, ex quo ad *Libri* hujus *tertii Partem secundam* Autor progreditur, de moribus atque officiis Christia-
272. norum erga se ipsos præcipientem. Breviter hic in *Capite priori & sequenti* de institutione ad virtutis cultum differi-
276. tur, ubi ostenditur, tum, quomodo mentes eorum informarint, qui ad religionem Christianam accesserant, tum, quo-
277. modo voluntatem eorum ad virtutem colendam præpararint.
283. *Caput tertium* de humilitate veterum Christianorum, & *quartum* de liberalitate eorum præcipit, ubi docetur, eorum animos a cupiditate rerum terrenarum fuisse alienos, bono-
284. rum communionem illos amasse, usuras in primis temporibus non exercuisse, neque lucri quidpiam sperasse ex eleemosy-
290. nis, pauperibus hominibus datis. Disquiritur hic etiam,
297. quas artes Christiani professi fuerint, ut victum sibi compararent, &, an fas fuerit Christiano viro militiæ nomen da-
303. re. Ab eorum hic Autor stat partibus, qui affirmantem
307. adoptant sententiam. *Caput quintum* agit de pace veterum Christianorum, eorumque patientia, constantia & for-
362. titudine in rebus adversis. In reliquis *tribus Capitibus* de temperantia, castitate, modestia, & disciplina domestica
395. Christianorum agitur. *Liber tertius* denique in *tribus Capitibus* de caritate veterum Christianorum erga alios, secundum omnes caritatis atque amoris species, agit, quibus *Liber* hic *tertius* clauditur, tanto eruditionis antiquariæ atque ecclesiasticæ apparatu refertus, ut sequentes *Tomi* maximo cum desiderio exoptentur.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLIV.

GERARDI L. B. VAN SWITEN, AUGUSTISS. Imperator. & Imperatric a Consiliis, Archiat. Com. Bibliothecæ Augustæ Præfecti, Inclyt. Facult. Medic Vienn. Præsidis perpetui, nec non Academiæ Reg. Scient & Chirurg. Paris. Institut. Bononiensis & Literar. Incognitor. Membri, Commentariorum in HERMANNI BOERHAVE Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis Epitome continuata.

Tomus III.

Lugduni Batav. apud Joannem & Hermannum Verbeek, 1753, 4 maj.

Alph. 3 plag. 16.

2) Melancholia, morbus ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς, ab *atra bile* dictus est, quod hoc morbo laborantes, uti *Aurelianus* vult, atram bilem sursum deorsumque projiciant, eoque detenti, diu, pertinaciter, sine febre, delirent, eidem cogitationi affixi. Differt proinde morbus a phrenitide & delirio, eo, quod hæc febrim habeat comitem, a mania autem, quod gravis furor haud sit, sed aliqua saltem mentis alienatio, eidem ideæ constanter inhærens. Est tamen a melancholia ad furorem via, atque febribus quoque melancholia intercurrere potest, quod μελαγχολικῶς ἐξισᾶνα *Hippocrates* appellat, & malum esse, pronuntiat. Ac-

 cumu-

cumulatur quandoque in visceribus imi ventris, præcipue in hepate, aliqua nigra fæx, quam, atram bilem dici posse, nihil impedit, humorem omnium glutinosissimum, qui etiam in sanguine nasci potest, quando difflatis humidis, crassa manent, atque ille, secus ac in diathesi inflammatoria est, motus vitales frangit, pulsum imminuit, chronicis morbis gignendis proinde aptior. Hunc facit atque auget vehemens mentis exercitatio, quando literati homines, juxta *Celsum*, *corporum suorum robora inquieta cogitatione & nocturna vigilia minuunt*. Pejus est, cum, juxta *eundem*, longa tristitia, longus timor, vigiliis accedunt. Hinc *atra bilis* morbus nascitur, fuga fluidi, virium extenuatione, quiete liquidi circa arteriosos sensorii communis fines. Sed & gaudium velox eosdem effectus edit, quo affectu, notante Santorino, dilatatis cutis osculis, major, quam natura fert, seri copia difflatur, observavitque *Hallejus*, notante *Mead*; *monita & præcepta medica*: suo tempore, cum per novas artes pecuniam lucrandi, alii ditescerent, alii ad incitas redigerentur, sibi plures obvenisse, qui præ gaudio, quam qui præ tristitia, insanivissent. Deinde summa, per venerem, corporis extenuatio, ac febres & medicamentorum adstringentium usus sanguinem suis vasis impervium reddere valent, ut ille mentis error, quem melancholiam vocant, exinde consequatur. Triplex melancholiæ gradus est: *Primus* ille, cum hæc cacochymia per vasa circumducitur; *Alter* ille, cum crassamentum sanguinis ad viscera abdominis depositum est; *Tertius*, cum illa materies, visceribus hactenus impacta, iterumque soluta, circulantibus humoribus denuo admiscetur. Primus gradus sese manifestat pallore faciei, labiorum & succinctæ oculis tunicæ, hinc *libris impallescere, ex amore pallescere*, frequens est, ideo, quod atrabiliarius humor sanguinem rubrum ad vasa cutanea serum aut lympham vehentia, abire haud sinat, sensim autem ipsa atrabiliaria materies in cutanea procedat vasa; hinc ὀφθαλμὸς ὑπόχλωρος, *sub viridis oculus*, uti habet *Hippocrates*, *in morbi nigri* descriptione; hinc quoque lividæ, veluti in scorbuto, passim nascuntur maculæ, pulsus parvus est, parcissima urina, os aridum; voraces

ces equidem, sed extenuati sunt, illis præcox senectus & marasmus ex morbo; sensim aggravescente malo, tristitiæ cum silentio & hominum aversatione superveniunt. Cavendum ergo medentibus est, ne istud sanguinis crassamentum in viscera abdominis procedere sinant, & ante omnia disponenda mens est, ne uni cogitationi constanter inhæreat, sed sensim ad alia divertat, assidua aliorum objectorum varietate. Deinde humectandus homo est, victu, aere humido, diluentibus, horæis fructibus, fragis, quorum usu Autor testatur furentissimos homines se sanatos vidisse, herbis etiam succidis, *spinachia*, *endivia*, *borragine*, *buglosso*. *Alter* gradus melancholiæ est, cum malus humor ad viscera secedit, ad uterum, ejusque vasa ac cellulas, ad hepar, ad glandulas, in quibus partibus cum jam congesta materies hæret, morbus *hypochondriacus* viris, fœminis *hysterica passio* est. Ille propterea dicitur, cum sensus anxietatis sese sub præcordiis ostendunt: Quoniam autem a spasmis solis ex flatuositate aliaque de causa natis talis angustia quandoque est, quæ, dissipata causa irritante, solvitur, adeoque, ne confusioni locus sit, hypochondriacum morbum, alium *ex materie*, aliam ex *solo spasmo*, appellavit. Ille sese manifestat sensu ponderis gravantis circa præcordia magis minusque urgente, nunquam tamen cessante, quod ab impedito libero trajectu sanguinis per venam portarum oritur, quod aliter est in affectione hypochondriaca spasmodica, in qua sensus angoris per notabile tempus sese penitus remittit. His subitanea satietas est cum dolore ventriculi, minor deponendæ alvi stimulus, maxime cum vita sedentaria accessit. Ructus exsurgunt fœtidi piscem rancidum referentes, id quod inertiæ bilis tribuitur, cumque infarctus eo usque auctus est, ut retineri humor in hepate aliisve visceribus cellulosæ fabricæ porro nequeat, regurgitat aliquid & ad sanguinem procedit, illumque vitiat, atque eadem fiunt, quæ in ictero, cujus sanatio ad hunc quoque morbum spectat, quam repetere, in capite de hepatitide & ictero multiplici jam traditam, brevitatis studio, nunc nolumus. *Tertius* morbi atrabiliarii gradus tunc denique oritur, cum humor, postquam in

 visce-

viſceribus abdominalibus diu perſtitit, acreſcit, cumque, abſorptus, ſanguinique additus, illum aliquo veluti contagio inficit, atque illa, quibus, circumeundo, appellit viſcera, maxime cerebrum, in ſuis actionibus turbat; hinc deliria peſſima, imaginationes mirificæ, furores ſummi, veluti eſt apud *Plautum:*

— — Ardent oculi, fune opus eſt, Hegio,
Viden' tu illi maculari corpus totum luridis maculis?
Atra bilis agitat hominem.

Difficile eſt malignum hoc atræ bilis ſignum cerebro alte conſtanterque impreſſum delere. Juſſit tamen *Hippocrates*, quod pharmaca vix effectura ſunt, tentare victu, *cibis molliſſimis ac frigidis, piſcibus litoralibus & cartilagineis, betis, cucurbitis & carnibus contritis,* niſi acoris gaſtrici præſentia diverſum ſuadet. Ille ipſe *Hippocrates* anodynis uſus eſt deditque mandragoram mœrore confectis & ſtrangulari volentibus; Autor diacodiatis utendum eſſe ſuadet. Humectandum præterea eſt, & balneorum uſum *Trallianus*, thermarum balnea *Aretæus* ſuaſerunt. Abſtinendum interea eſt ab illis quæ æſtum inducere poſſunt, vino meraco, cibis acribus, ne *turgeat bilis*, quod eſt *ὀργᾶσθαι, in magnos motus efferri, febrire;* prudenter enim veteres *turgeſcentem* bilem a *quieſcente* diſtinxerunt. Sæpe, cum bilis atra ſoluta eſt, cum vomitu & dejectionibus abit, quod inter difficiles morborum exitus ponitur. Ita *Hippocrates: ſi bilis atra ſurſum & deorſum prodeant, malum*, atque omnia nigra, niſi a cauſa cognita vulgari oriantur, quæ ſputo, urinis, alvo ſecedunt, cum ſcilicet atra bilis, mota, totum hominem perfudit, mali ominis eſſe putantur: mirum ergo eſſe nequit qua fiat ut, variis modis, acerrimus hic humor licet ille, ad mentem *Galeni*, acidus dici omnino nequeat, cerebri irritabiles fibras vellicare atque ſic, impedita ejus actione, animæ dominium labefactare ac amentiam producere poſſit. *Hippocrates, Epidem. VI: Melancholicos epilepticos* & viciſſim *epilepticos melancholicos* fieri, obſervavit.

vit. *Aretaus* pariter omnia mala, *de curat diuturn. Libr. I ex melancholia diuturna* metuit; *Quodsi penitus totum corpus occupaverit, sensus, mentem, sanguinem, bilem, nervos etiam corripuerit, & ipsa insanabilis efficitur, & aliorum morborum corpori sobolem inserit, furoris, nervorum distentionis, resolutionisque, quæ, si a melancholia proveniunt, sanationem utique recipere nequeunt.* Quamvis autem, qui ex atra bile tristitia affecti sunt, difficillime sanentur, vis tamen vitæ vias sæpe invenit, quibus acre illud melancholicum depelli possit: *Maniacis*, ait *Hippocrates, si varices aut hæmorrhoides accesserint, maniæ solutio.* Qui eventus docet, in hac maniæ specie, etiamsi æger debilis, sanguis autem tenax spissusve est, venam secari posse, quod *Aretaus*, cum vires id utcunque permittunt, suadet; addit autem; *Si plus, quam decet, sanguinis abduxeris, nutritionis defectu, natura de sua firmitate decidit.* Non autem tantum ad machinam, sed ad animam quoque ejusque ideas respiciendum in cura, atque, alia idea opposita, prior debellanda est: *Sæpius assentiendum*, ait *Celsus, quam repugnandum est, paulatimque & non evidenter ab his, quæ stulte dicuntur, ad meliora, mens adducenda.* Legitur apud *Plutarchum, de virtute muliebri: cum milesiæ virgines insanire inciperent & violentas sibi manus inferrent, nec tantæ calamitati remedium inveniretur, lex promulgata fuit, ut cadavera illarum, quæ sibi suspendio mortem conscivissent, nuda per forum deferrentur; tunc metus dedecoris impedivit reliquas, ne simile scelus patrarent.* Apud *Trallianum* legitur, quod Philodotus medicus sanaverit hominem, qui se capite truncatum credebat, dum repente plumbeum pileum ejus capiti imponeret, cujus grave pondus persentiscens æger, vana hac imaginatione liberatus est.

3) *Mania* furor sævus, quo correpti sibi & aliis nocere intendunt. Maniacos ergo a melancholicis distinguit sævities, atque illi a phreneticis differunt, cum febre destituuntur. Est enim mania, ex definitione *Aretai, mentis alienatio diuturna absque febre. Etenim, si febris quandoque conjungitur, id non ratione furoris proprie, sed alio quovis casu accidit.* Diuturnitas ad definitionem

omnino pertinet, quo vera mania ſpontanea, quæ longa eſt, diſtinguatur ab illa brevi per venenum ſtupefactivam introducta, *ſolanum furioſum, hyoſcyamum.* Aliam differentiam inter *phrenitidem* & *maniam Aretæus* notat: *Præcipua melancholiæ & furoris ſedes viſcera ſunt, quemadmodum caput & ſenſus in phreniticis. Nihil autem aliud,* ait *Trallianus, eſt mania, quam melancholiæ ad majorem feritatem intenſio,* qua propter eadem utriusque mali cauſa eſt, atra bilis mota, in viſceribus imi ventris acrior reddita, abſorpta & ſenſorio communi applicata. Veteres medici, pro varietate ideæ errantis, aliud aliudve maniæ nomen indidere, *Lycanthropiæ, cynanthropiæ,* dum furibundi imitarentur lupos vel canes, & quandoque crederent ſe in hæc animalia converſos eſſe. Ipſam ſenſus communis officinam hoc morbo potiſſimum lædi, ſectiones cadaverum docuerunt, quibus deprehenſum, ex obſervatis *Boneti,* eſt, cerebra ſicciſſima ac dura fuiſſe. Glandulam pituitariam parvam & admodum duram invenit *Littrius, memoires del' Academie des Sçiençes,* A. 1705. Tales maniaci exſuccum habent corpus, ſaliva nulla, urina parciſſima, alvus ſtrictiſſima illis eſt. Etiamſi ergo evacuando effici nihil poſſit, prudentes tamen medici acribus medicamentis præſentem corporis conditionem mutaturi, turbare illud efficacioribus purgantibus, helleboro, mercurialibus, vomitoriis, auſi ſunt; deinde ſubtilia fragrantia remedia, quæ totum corpus pervaderent, moſchi grana ſedecim vel viginti, adhibuerunt. Extremum ſubmerſionis in aqua remedium eſt, ut deleantur, mortuo fere ſub aquis homine, errantes ideæ, curatione hac ab hydrophobicis ad maniacos tranſlata. Neque enim tam cito moriuntur ſubmerſi, ſed per plures ſæpe horas merſi, reviviſcunt. Cum atrabiliaria fæx, per metaſtaſin, ad venas artuum inferiorum ſecedit, fiuntque varices venarum imi pedis aut hæmorrhoidalium, quod ſalubriter eveniſſe deprehenſum fuit, fotibus utendum, ſi æger obſequioſus eſt. Venam his ſecari opportunum haud eſt, ſiquidem furor equidem domatur, ſubſequitur autem *moroſis* ſeu ſtultitia. Hinc in victu analeptico, inque cardiacis roborantibus, curæ ſpes ponitur. Subducendus tamen

men sanguis est, ubi signa plethoræ, ex sanguinis excretionium solemnium obstructionibus, adesse observantur, siquidem spontaneæ quoque & magnæ hæmorrhagiæ maniacis opportunæ fuisse deprehensæ sunt. Refrigerium, pileus ex nive factus capiti impositus, frigida ex alto super caput labens, maniacis egregie profuit. Ex papavere parata medicamenta, cum corpus evacuatum antea esset, dare jussit *Aetius*, quam methodum sequutus *Sydenhamius* atque post venæ sectiones & superdata his cardiaca, felicem theriacæ andromachi usum expertus est. Propter affinitatem materiæ, de *rabie canina* proximo loco agitur, & dubitari quidem posset, an non illa potius ad morbos acutos quam ad chronicos pertineret, cum applicatum rabiosi animalis venenum intra paucos dies occidat febremque acutam habeat comitem. Cum autem sæpe hoc venenum, anteaquam actuosum fit, in corpore diu delitescat, inter chronicos numerari eodem jure postulat. Non statim equidem in furorem morbus erumpit, sed præcedit sæpe mœstitia, atque ab ultima sua particula, *rabies*, & *canina* quidem ideo dicitur, cum plura exempla eorum sunt, qui a cane, quam qui ab aliis animalibus rabidis admorsi insaniunt; ergo quoniam signum pathognomicum illius veneni, jam actuosi redditi, est metus ingens omnium potulentorum, hydrophobia vel hygrophobia, uti *Aurelianus* monuit, dicitur. Sponte quoque morbus nascitur, cum similia venena illis, quæ foris sunt, ultro quoque in homine provenire possint. Hydrophobia tamen in morbis absque contagio venenato factis minor est, & statum quemvis inflammatorium viscerum, speciatim ventriculi, notat. Certe *Aurelianus* monuit, in Hydrophobia stomachum pati, aliaque multa exempla hujus morbi ex febribus nati, *Schenkius* proposuit. Non autem tantum ex morsu, sed etiam ex halitu canis rabidi, hoc malum natum fuisse, *Aurelianus* narrat. Videtur tamen per salivam plus propagari contagium. Spuma, etiam sine vulnere nocuisse deprehensa fuit: *Sartrix quædam, apud Aurelianum, cum chlamydem, scissam rabidis morsibus, sarciendam sumeret, atque ore stamina componeret, & lingua pannorum suturas lam-*

lamberet assuendo, quo transitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem venisse, memoratur. In morbo hoc illud memorabile est, quod diu sæpe latere possit venenum in corpore humano, & nullo sese manifestare signo. *Galenus* jam notaverat per plures menses silere posse hoc malum. Septem mensium spatium, inter morsum & hydrophiam secutam, *Aegineta* & *Aetius* notant. Recentiores, annos numeraverunt, quorum demum elapsu veneni vis sese ostenderet. Primum signum veneni actuosi redditi in ipso loco demorso & præcipue in cicatrice vulneris sese manifestat, atque illa loca, ex observatis Autorum, dolere incipiunt atque tumere; cum morbus elucescit, febris aliquando adest satis valida, sæpe abest, nisi & illud febris est, cum pulsus tenues sunt & summa adest debilitas. Inter symptomata hujus morbi nominatus quoque priapismus est; lingua sicca fit atque aspera, vox parva est, propriam salivam abhorrent, accedit adstantes conspuendi ac demordendi desiderium; miserrimus ille ægrotorum status non diu durat; incipit pulsus vacillare, imo deficere, respiratio fit difficillima, sudor gelidus viscidus est; plerumque convulsivi pereunt, & quamvis prope a morsu sanari homo possit, nequit tamen, cum ad summum morbus profectus est. Dicit *Dioscorides*, cum jam hydrophobus esset, sanatum fuisse neminem. Sectiones cadaverum ejusmodi, viscera pleraque, nec tantum œsophagum atque ventriculum, sed & pulmones, inflammata, ostenderunt. Sic vidit *Jo. Faber Lynceus*, apud *Hernandez, rerum mexicanarum Thes.* in cadavere hydrophobi, *nigerrimum sanguinem in dextro cordis ventriculo, quo omnino carebat sinister; erat autem hic per pulmones mire accensos & tumidos plurimus dispersus*. Observatum tamen fuit, in omnibus hydrophobis signa inflammationis haud apparuisse. Videntur enim in quibusdam omnia, putrida dissolutione, statim corrumpi, neque ante disponi ad inflammatoriam spissitudinem, daturque in multis morbis cita resolutio putrefactoria, ut mors repentina consequatur & cadavera, sub ipso frigore hyemali, subito putrescant. Cum igitur recens vulnus est, partes sanæ circumcirca profunde

de ſcarificandæ ſunt. Vulnus in ulcus convertatur, quo, ex duobus admorſis alterum ſervatum, *Galenus* vidit, cum alter, cui vulnus conſolidatum erat, extingueretur. Scalpello, uti eſt apud *Dioſcoridem, Æginetam, Aëtium,* dilatanda ſunt vulnera. Uſtionem profundam, quo virus in ulcere relictum penitus ſuppuratione tollatur, veteres & recentiores ſuadent. Curationem ita tradit *Celſus: Quidam poſt rabioſi canis morſum protinus in balneum mittunt illumque ibi patiuntur deſudare, dum vires corporis ſinunt, vulnere aperto, quo magis ex eo quoque virus deſtillet; deinde multo meracoque vino ſuſcipiunt, quod omnibus venenis contrarium eſt.* Immerſio autem ſub aquis non tam in machinam, quam in ideas hominis hydrophobi agere videtur, & metus demerſioni junctus hominem plus ſanat humida perluitione, quæ ſola ne quidquam juviſſe, obſervata eſt. Igitur ad ſuffocationem usque ſuadente *Helmontio,* æger ſub aquis detinendus eſt. *Dioſcorides* efficaciora purgantia, ad magnas in corpore turbas excitandas, laudat, & inter alia helleboro ſanatos fuiſſe, qui illum ante quadrageſimum diem ſumpſiſſent, prædicat. Hæc prophylactica ſunt; Aſt, cum venenum rabidi animalis, hactenus ſilens, incipit actuoſum reddi, valida remedia antiphlogiſtica tentanda ſunt; venæſectio etiam repetenda, cum dira ſymptomata recrudeſcunt. Clyſmatum uſum pulchre notavit *Aurelianus: At ſi omnino potum recuſaverint, qualibet tamen parte, quiddam liquoris aſſumant.* Invitus quoque æger, ut aquam bibat, adigendus eſt. Ita *Celſus: Cum jam aquæ timor adeſt, unicum tantum remedium eſt, nec opinantem in piſcinam projicere, ut invitus bibat. Rhazes* & *Joannes Damaſcenus*, *cantharidas* laudant, experimento dubio, ſæpe valde noxio; Argentum quoque vivum aut ejus præparationes, interno uſu, profuiſſe in cura hydrophobiæ, pariter conſtat. Apud Chinenſes pro certo remedio habetur ſequens formula. Recipe moſchi optimi gran. XVI, Cinnab. nativæ, ad gran. XX, exhibendo cum ſpiritu *Arrak* dicto: Salivatio etiam, uſu mercurialium mota, canem rabidum ſanaſſe

deprehensa est: *James, a new methode of curing madness.* Experimentum in hominibus quoque captum est. Medici tamen, qui hoc tentaverunt, salivationem evitasse videntur; spontaneus ptyalismus sanavit hydrophobum: *Philos. Transactions, Tom. XLIII.*

4) *Scorbutus.* Novus morbus videtur esse, veluti *Freindius: History of Physic. Tom. II*, asserit. Certe *Forestus*, qui eo tempore vixit, cum morbus exsurgeret, illum pro novo habuit. Septentrionalibus frequens malum est, nomen etiam respondet, quod populare est septentrionalibus. Etiamsi autem sub hoc nomine penes veteres morbus haud prostat, notus tamen illis fuit, cujus descriptio habetur apud *Hippocratem: Affectus, in quo color immutatur, & niger cernitur, pallidus, mali corii instar; ex ore male olet, & gingivæ male olent & a dentibus secedunt & in tibiis ulcera, qualia pustulæ nocturnæ, erumpunt; membra extenuantur*, quamvis nec hæc descriptio, nec illa, quæ sub notione *ilei sanguinei* apud *eundem* est, ideam scorbuti penitus sistat: Splenem pro morbi sede *Hippocrates* nominavit, nec observata contradicunt, viditque *Celeberrimus Mead* splenis ingentem molem, penes illos, qui hoc morbo extincti sunt. Vel simile, vel illud ipsum malum est, quod stomacacen & scelotyrben appellabant veteres, ex autoritate *Plinii*, qui, hoc morbo affectos fuisse exercitus in Germania militantes, retulit. Stomacaces notio morbum satis explicat; dentes enim hoc morbo laborantibus solutos fuisse, scribitur, quod idem scorbuto tactis accidit. Scelotyrbe autem alius omnino morbus, &, *Galeno* hoc vocabulum exponente, paralyseos species est, *qua quis rectus* ambulare non potest. Rarus equidem scorbutus morbus illis est, qui procul a maribus victitant; namque illa diathesis quam scorbutum in vulgus nominare solent, verus scorbutus est neutiquam. Inest enim illi, ut verus dici possit, maxima putredo, ideoque non litora saltem incolentibus aut sub frigore boreali victitantibus, sed illis quoque frequens est, qui sub zona torrida vivunt, atque ubique

cum

cum caufæ adfunt, quæ putrilaginem inducere corporibus poffunt, fcorbutus nafcitur; victus fcilicet vegetabilis defectio, intenfior aeris calor, aquarum putredo, aeris paludofi halitus; neque facile, nifi aliqua ex caufis hisce, maxime boni victus bonique aeris penuria, accefferit, fcorbutus gignitur. Signa, quæ illum denuntiant, alia communia funt, alia propria. Multis enim morbis hoc datum eft, quo, quando illi ingruunt, præcedat laffitudo artuum, fpirandi difficultas; nec fœtor oris, cum varius effe poffit, fcorbutum recte notat; aft, quando gingivæ roduntur, ad levem contactum cruentantur, cum rubræ, lividæ, in cute erumpunt maculæ, citra febrem quæ illas movere poffit, & cum maculæ, illis, quæ a contufis nafcuntur, obfervantur effe fimiles, atque fuper his accedunt dolores vagi, ulcera cacoethica fanguinem fubinde fundentia, hæmorrhagiæ variæ colliquativæ, fcabies ficca, quæ veluti aliqua eft elephantiafis, herpes etiam & impetigo, pfora denique & aliqua veluti lepra, fiquidem hujus fqualoris cutanei a veteribus defcripti in hoc morbo idea quandoque fiftitur; cum præterea, loco fanguinis craffi, juxta *Hoffmannum*, valde tenue, coccinei coloris & acris faporis ferum, nulla craffiori fubftantia in fundo vafis relicta, de vena fecta fluit; Tunc vero, fcorbutum adeffe, intelligimus. Ab hac diathefi multi variique morbi, tanquam ex caufa fua, propullulant, ut propterea hunc morbum πολύμορφον, *Sennertus* recte appellaverit. Fit enim, quo denique, cum fubinde malum auctum eft, rodantur perioftia, vifcera deftruantur, hepatis, lienis, pancreatis, mefenterii putredines enafcantur, quas propterea partes, non tam fcorbutum feciffe, quam ab illo erofas effe, liquido apparet. Tunc vero etiam in illis, quæ de corpore fluunt, liquidis, fudore, urina, fæcibus, manifefta putredinis figna apparent, atque, cum penitus adolevit morbus, atrophia & febris lenta hominem abripiunt, hydrope aliquando vitæ finem ponente, aliquibus hæmorrhagia magna quadam extinctis. Sunt, qui paralyfin artuum, hinc gangrænam ex clandeftina inflammatione natam experiuntur. Uti endemicus atque certis provinciis certoque vitæ genere utentibus familiaris, ita quoque epidemicus ac contagiofus eft, fua-

que semina illis communicat, qui propinquius ad ægrotos accedunt, vel victus communione utuntur. Parvum quandoque hoc malum est & in aliqua acredine humorum muriatica, consistit, ex qua eadem symptomata, sed leniora, nullique putredini juncta proveniunt; cum *scorbutus putridus* invaluit, lenta aliqua veluti evolutione corporum elementa solvuntur, & corpus, vivum veluti cadaver est. Etiamsi autem in illo morbo humorum quoque lentor penes quosdam, in aliis tenuitas, est, ut, secundum generales therapiæ leges, ad has conditiones mutandas respiciendum in cura sit; plus tamen ubique attendi meretur acrimonia. Adest enim in hoc morbo acre alcalicum, putridum, sal fixus alkalicus; sapones adsunt ex oleo rancido salibusque fixis ac volatilibus facti; propterea temere fidendum haud est specificis illis remediis antiscorbuticis, quorum usus, cum viscera jam labefacta sunt, insigniter lædere potest ac solet; omnino quidem, nocent, licet viscera reserare posse videantur, mercurialia, quia solutos humores in putridum liquamen convertunt, uti ex mercuriali salivatione patet; cumque debilitata in hoc morbo sint solida, ut levi vi illorum cohæsio solvi possit, omne id, quod, acriter laxando, magnas turbas excitare posset, nocet. Nec venæ sectiones ille morbus fert, licet intercurrentes hæmorrhagiæ illas postulare videantur. Vera autem antiscorbutica ea sunt, quæ diathesin putrilaginosam humorum mutant, succi scilicet acidi vegetabiles, & juscula illis incocta cum pauco vino, quo, ad robur conciliandum, opus est. Laudantur etiam talia, quæ, præter lenem vim stimulandi, solvendi & attenuandi quoque efficacia pollent: *Anagallis, beccabunga, fumaria, nasturtium aquaticum, cochlearia, raphanus rusticanus:* Præterea conducunt, quæ diluendo agunt. In illo morbo, quem ileum sanguineum *Hippocrates* vocavit, quique non infima scorbuti fuit species, laudatur lac: *Et lac bubulum, si tempus ferat, quadraginta diebus bibat. Mane quoque lactis bubuli heminas duas bibat,*

bibat, tertia etiam aquæ mulsæ parte, interpositis diebus, admista.

5) *Cachexia.* Cachexia adesse, juxta *Celsum*, dicitur, *ubi malus corporis habitus* est; *Aretæus* ita habet: *Cachexia omnium simul vitiorum versio est, omnes enim morbi parentes ejus sunt*; quod *Celsus* ita explicat: *cum, longo morbo vitiata sunt corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non recipiunt.* Quoniam vero *malus corporis habitus* ex rationibus fluidorum potissimum est, adeoque corrupti humores omnes alienum cuti colorem inducentes & ipse quoque scorbutus, cachexiam sistunt. Ille morbus, aliquando, lento incremento, ex malo victu nascitur; qualemcunque enim quis diathesin, acidam, pituitosam, alkalescentem, plethoricam, contraxerit, ex omnibus his, ad cachexiam aliqua via est, atque illa ex causis quoque prædisponentibus, obstructionibus viscerum, absorpto ex abscessibus magnis pure, ex fluxionibus vires immaniter frangentibus, atque aliis singularibus viscerum vitiis, scirrho hepatis atque lienis, subinde nascitur. *Scirrhi in liene geniti discussiones*, ait *Aretæus, non facillimæ sunt; quodsi ab hoc proveniunt hydrops & malus habitus, insanabile malum est.* Similiter ab emanentibus, quos adesse oportebat, fluxibus, tota sua natura humores vitales degenerant. *Causa vero*, pergit *Aretæus, & hæmorrhoidum fluxus suppressio & consuetorum vomituum cessatio & sudorum desiccatio; quando enim horum singula, quæ aderant, non revertuntur, tunc sequitur corporis gravitas, pallor subinde repetens, venter flatibus refertus* &c.

Cachexiam pallor seu *Leucophlegmatia*, quæ albus per totum corpus tumor est, sequitur, parte rubra sanguinis sensim deficiente, seroque in cellulas pinguiferas effuso, cute propterea in pallorem insolitum conversa, eaque sæpe, cum serum flavum & icteritia accessit cachexia, mox ex flavo, mox etiam ex viridi, variante. Totum nutritionis negotium tunc corruit, liquidis solidisque partibus sensim abeuntibus nec restitutis. Si quid auxilii est, quo gravis ille morbus levari possit, in victu ordinando quæritur, qui ad dispositio-

nem uniuscujusque, veluti ille ex acido, bile, pituita, nimia feri fluiditate, viſcoſitate, ulceroſa diatheſi, hoc malum contraxit, variat inſigniter. Mutandum præ ceteris vitæ genus eſt. Illuſtris Autor fœminas ex abuſu Theæ cachecticas redditas, relapſas in illud malum fuiſſe refert, cum ab illo potu abſtinere non poſſent. Multum quoque ad ſanationem confert aeris mutatio, ſi illius ſqualor hunc morbum vel fecit, vel auxit. Optime ergo meriti de genere humano, nec ſatis laudandi ſunt, qui artem docuerunt, (*Nouvelle methode, pour pomper le mauvais air. Pariſ. 8, 1749*) qua aer in navibus & noſocomiis renovari poſſit; ſi quid ex fonte pharmacevtico eſt, quo ſua humoribus reddi poſſit integritas, illud ex ſalino amaro & aromatico medicamentorum genere peti debere, experientia docuit, quibus ſcilicet vaſorum actio in contentos humores augeatur. Laudem quoque merentur *ſcillitica*. Chalybeatis denique & alkalinis atque ſaponatis utendum, cum motus acceſſit & frictio. Ita *Celſus* de hoc morbo: *Si infirmior eſt, geſtari, ungi, perfricari poteſt, maxime per ſe ipſum, ſæpius, eodem die, & ante cibum & poſt eum.*

7) *Empyema. Empyici*, veluti apud *Aetium* legitur, hoc eſt, pectore ſuppurati, vocantur, quibus *abſceſſus in ſuccingente coſtas intrinſecus membrana, aut in aliqua alia pectoris pellicula factus, acervatim ruptus eſt, & in vacuum pectoris locum effuſus, inter pulmonem & membranam coſtas ſuccingentem.* Id quod ideo factum eſt, cum inflammatio aliqua earum partium, quæ ad thoracis cavum proſpiciunt, in pus converſa fuit. Rigoroſius accepta voce, empyema tantum illud eſt, cum pus ex rupto abſceſſu in thoracem confluxit; poteſt tamen & alius, præter pus, humor vitioſus ex ſanguine in thoracem effuſo naſci, qui, niſi pus, ichor tamen eſt, id quod intra abdomen quoque ita evenire ſolet. *Si*, juxta *Hippocratem, in ventrem effuſus ſanguis fuerit præter naturam, neceſſe eſt ſuppurari;* Ex rupta pulmonum vomica, quæ de exiguo ſæpe tuberculo nata eſt, empyema frequenter ori-

oritur, subitanea in thoracem effusione facta; ex abscessu tamen inter pleuram rupto non minus frequenter illud consequitur. Observavit *Piso, de morbis ab illuvie serosa, Sect. 3 Cap. 9*, in illis, qui ante diem morbi decimum quartum defuncti essent, quod totus thorax pure plenus esset; citius enim abscessus rumpitur, si dolor tussisque sunt intensiores. Pus ex pulmonibus in thoracen effusum esse, discimus, cum symptomata, quæ durante vomica aderant, subito sese remittunt. Ita *Hippocrates: Post ruptionem sanus videtur, quod pus ex angustia in locum amplum venerit, sed, procedente tempore, pure pectus implente, tusses & febres aliique dolores illum magis vexant, morbusque declaratur.* Fallax igitur euphoria est, quibus subito, magno pulmonum morbo oppressis, symptomata omnia levantur. Effuso in thoracem pure, tussis, a pure pulmonem comprimente, oritur. Decubitus in dorso gravis est, æger neque in sanam quidem partem decumbere potest, sed in dolentem. Igitur, cum non nisi sectione pus educi possit, in quo latere illius collectio facta sit, probe intelligendum est. Quandoque, cum ægri se circumvertunt in lecto, fluctuationem puris ipsi sentiunt. *Hippocrates* jussit, ut ægroti, in firma sella collocati, alter humeros teneat, medicus vero ægrotum concutiat, simul lateri aures admoveat, ut strepitum puris in alterutro thoracis cavo collecti audiat. Strepitus tamen aliquando nullus est, cum thorax pure valde plenus est: *Quibus autem strepitus quidem nullus est, verum spirandi difficultas fortis & ungues lividi, hi pleni sunt pure & perniciose se habent.* Tunc latus illud, in quo pus est, atque abdomen, a depresso diaphragmate, intumescunt. Si parum puris est, quod ex vomica rupta in cavum thoracis abscessit, sorberi atque deinde per cloacam dejici poterit. Proinde etiam phlyctænas, ex absorpto tali pure, in cute nasci, *Hippocrates* vidit. Tandem in longum procedente malo, caro consumitur & tabes hominem tollit. Si quid opis est, in eo ponitur, quod puri via versus exteriora concilietur, fomentis, cataplasmatibus, cucurbitis, quibus pressio, in illo loco sub quo pus est, minuatur, ablataque resistentia efficiatur,

quo

quo pus inspirando compulsum urgeri versus exteriora possit. In tali casu veteres thoracis exteriora urere soliti fuerunt pluribus in locis, cum, in qua parte vomica esset, haud constabat. An autem effusum de vomica pus inque thorace collectum sorberi a pulmonibus, & sputo rejici possit, dubitare licet; posset tamen hoc evenire, cum per materiem, mora, acriorem redditam pulmonum tunica externa erosa fuit. Alioquin, vomica rupta, materie autem ad thoracem haud effusa, tussi purgari pus poterit, nisi simultanea & magna sit effusio, quæ ægrum strangulat. *At, si jam rupta est vomica,* uti optime notavit *Aretaus, strangulatus discrimen impendet, si multum subitaneumque pus emanavit, si vero pedetentim emittatur, certo prodest.* Aliquando natura, per transversos musculos intercostales cutimque, molitur viam ruptoque, qui ad latus elevatur, abscessu, pus educit. Potest etiam illud, postquam absorptum fuit, urinis educi, quod salubrius est, quam si diarrhœa purulenta superveniat. Cum autem puri via arte panditur, quod casu factum est apud ***Plinium, quando Phalerius, deploratus a medicis, vomica morbo, cum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore, medicinam invenit ex hoste;*** tunc vero ea observanda sunt, quæ chirurgiam istam attinent, & quæ ab *Hippocrate* in unum collecta eleganter fuerunt: *Emisso pure, quantum tibi visum fuerit, vulnus linamento, cui filum alligaveris, obducito, quotidie vero pus semel emittito. Postquam autem decimus dies acciderit, toto pure emisso, penicillum, ex linteo, indito; deinde vinum & oleum, tepida, per fistulam, infundito, ne pulmo, pure madescere consuetus, subito resiccetur. Ubi vero prorsus resiccata cavitas fuerit, paulatim resecto penicillo, vulnus coalescere sinito. Aretaus,* sub sterno quoque empyema nasci, observavit, perterebrationis quidem sterni mentionem haud injiciens; ast Celeb. Autor casum describit, ubi, post pleuritidem suppuratam, decimo mense, in medio sterno tumor apparuit mollis, ruptoque tumore, ingens puris boni copia effluxit, natura exitum puris per media ossa pectoris parante. Hinc sterni quoque trepanatio, a *Dionis* proposita, locum

cum, in simili casu, habere posset. Spes salutis superest, si pus sincerum effluit. Ita *Hippocrates: qui, suppurati, uruntur aut secantur, si pus purum & album effluat, evadunt, si subcruentum & cœnosum & grave olens, pereunt; quibus, a pure, specillum coloratur, velut ab igne, utplurimum moriuntur.* Non opus est, vereri, fore quo aliquibus prolixior hæc, quoniam consuetos nobis modos excessit, videatur esse recensio. Tanta enim ubique admirabilis ingenii momenta & scriptorum pondera reperiebantur, ut, aliqua omittere volentibus, materiæ ubique gravitas occurreret, quam lecturis, ipso autem libro non instructis, subripere, videbatur nefas esse. Plura antem, his a nobis adductis, inventuri sunt, qui egregium opus, cujus ultimas paginas avidi expectamus, attente rimabuntur.

DELLA LETTERATURA VENEZIANA, &c.

hoc est,

DE ERUDITIONE VENETA LIBRI OCTO, AUTOre MARCO FOSCARENO, equite & procuratore.

Volumen I.

Patavii in typographeo seminarii, apud Joann. Manfredum, fol.

Alph. 5 plag. 9.

Habet ergo tot ornamentis, tot luminibus omni ævo conspicua Venetorum urbs, in qua glorietur, historiam civium suorum literariam, eamque omnibus numeris absolutam. Habent, qui eam incolunt, eorumque nepotes, in quæ intueantur, doctrinæ virtutis ac gloriæ exempla, ab Illustrissimo Autore, Viro potentissimæ Civitatis Venetæ longe primo, in illustri monumento proposita, ut dubium videatur, utrum huic de egregio opere, quo nomen famamque suam etiam inter eruditos æternam reddidit, an patriæ ejus de novo decore, non

facile cum alia civitate ei communi, sed proprio, gratulandum sit. Haud quidem ignoramus, varia hujus generis exstare monimenta, quorum tituli literarum fata, quæ in singulis urbibus habuere, explicanda ostendunt; sed multa lectores fallere, plurima virorum doctorum, obscuri sæpe nominis, complecti vitas, experientia quemque putamus edoctum. Sed hæc ratio longe infra ingenium, doctrinam, judicandique elegantiam tanti Viri erat: a quo nihil nisi exquisitum, elegans, utilitatisque plenum exspectari potest. Usus est methodo vere pragmatica, siquidem, quo loco fuerint eruditionis disciplinæ singulis ætatibus, quales iis factæ sint accessiones, quæ contra subinde ceperint detrimenta, accurate exposuit, & omnia observationibus eleganter delectis, hoc est, utilitate pariter ac incunditate commendandis, illustravit. Officio nostro satisfacturi, consultum ducimus, brevem eorum, quæ memorata sunt, quantum fieri potest, exhibere summam. Totum opus octo libris complecti statuit Ill. Autor; quorum *quatuor Tomus* hic continet. *Primus* historiæ legum Venetarum ac jurisprudentiæ
Pag. 6. destinatus est. Primus statutorum Venetorum Autor est, *Henricus Dandulus*, qui circa A. C. 1195 floruit; sed eorum colligendorum atque in unum corpus cogendorum primus consilium
7. 8. iniit *Jacobus Tiepolus* Sec. XIII, ejusque rei administros delegit viros doctissimos, *Pantaleonem Justinianum, Thomam Centranicum, Joannem Michaelem & Steph. Badoarum.* Leges illæ simplices erant ac perspicuæ, nec tot egebant commentariis sive *glossis*, quibus Jus Romanum obrutum potius atque obscuratum quam illustratum fuit, nullis obnoxiæ commutationibus. Provinciæ, quas suo imperio Veneti subjecerant,
10. suo vivebant jure. Accesserunt leges nauticæ, a Barcinonensibus
14. acceptæ, quæ putantur esse reliquiæ Rhodiarum, quarum tanta fuit quondam autoritas. Duce *Francisco Dandulo* novæ additæ
17. sunt leges, consilio *Richardi Malombræ*, JCti celebris. *An-*
18. *dreas Dandulus* A. 1346 novam publicavit statutorum Venetorum collectionem, eamque emendatam, linguaque vernacula expressam, cujus exemplar authenticum in Bibliotheca S. *Marci* hodienum servatur. Typis illa prima vice A. 1477 ultima

tima 1729 fuit descripta. Leges hæ nonnulla cum laborarent obscuritate, datum fuit A. 1529 id negotii *Dan. Rhenerio, Francisco Bragadino, Joanni Baduario*, ut eas in ordinem redigerent; sed nihil, præter earum chronologiam consignarunt. Alii deinde in illustrandis iisdem operam collocarunt; sed parum felici eventu. Quo numero sunt *Barthol. Zambertius, Silvester Aldobrandinus, Joannes Riccius*. A. 1609 idem opus suscepit *Joannes Finetus*, præmatura morte interceptus. *Joannes Bonifacius* cum *primam partem statuti Veneti* A. 1626, 4, in lucem emitteret, nihil novi, aut immutati dedit. A. 1662 majore cura de legibus suæ civitatis colligendis Senatus cogitavit, reique curam *Marco Contareno* & *Hieronymo Pisauro* commisit. Præcipuam diligentiam ad ornandum ac perficiendum opus *Marinus Angelus* contulit. Quo factum est, ut A. 1687 *legum Venetarum compilatarum methodus* prodiret, ac spem præstantioris collectionis excitaret, eventu tamen destitutam. Ceterum sua laude haud defraudandæ sunt Venetorum leges, quarum magna exstitit apud alias gentes autoritas. Quo referendum est, quod Norimbergenses, non per legatos, quod *Wagenseilius* sibi persuasit, sed per literas, recte monente *Joann. Fabricio* in *amœnit. theol. pag. 669* & *Histor. Bibl. Fabr. Part. VI pag. 57* Venetos rogarunt, ut legum, ad rem tutelarem pertinentium, sibi facerent copiam. His alia addita sunt ab Illustrissimo Autore juri Veneto illustrando idonea. *La pratica del palazzo*, quo libro causarum agendarum rationes descriptæ sunt, primum lucem vidit A. 1528, 8. Vindobonensis Augusta Bibliotheca servat Codicem manu exaratum, ita inscriptum: *splendor consuetudinum civitatis Venetorum*, quo de praxi forensi agitur, a *Lambecio Histor. Bibl. Aug. Tom. II pag. 953* perperam ad annum 1245 relatum, A. 1311 haudquaquam superiorem. Ex Jureconsultorum ordine præclaram laudem consecuti sunt: *Franciscus Sansovinus*, edito dialogo, cui *Advocati* nomen præfixit, Venet. A. 1554, 8 & *Alexander Ziliolus*, cujus *institutiones civiles & criminales*, tenebris oppressæ, latent. simili modo *Andr. Trevisanus*, cui debemus

Pag. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

repertorium super Venetiarum statuta, A. 1547, & *Jacobus*
Novellus, qui *postilla* edidit, legumque inter se dissentientium
consentientiumque exposuit rationes, A. 1564 & 1598 juris
scientiam multum juverunt. Hæc de patrio Venetorum ju-
Pag. 27. re. Romani juris studia haudquaquam fuisse neglecta, hono-
res ac privilegia, doctoribus concessa, testantur: idemque de
de Jure Canonico dicendum. Quo factum, ut tanta esset
Venetorum existimatio, ut aliæ Italiæ civitates peterent ab il-
lis viros doctos, quibus summos crederent magistratus: ut
multis docet Illustr. Autor. Senatus quidem A. 1274 data lege
id prohibuit, sed eam, re sapientius perspecta, A. 1277 abroga-
35. vit. Non desunt Venetorum exempla, qui *doctoris* titulo
fuere conspicui. Primus omnium fuisse fertur *Simon Mau-*
rus, parochus templi S. Barnabæ, quem A. 1260 vixisse, char-
37. tæ autoritate conficitur. Qui literis his studia sua consecra-
verant, Constantinopoli, alii Lutetiæ, alii Ravennæ, pleri-
que Bononiæ vel Patavii eas addiscebant. Patavii doctoris
40. honores accepit *Fr. Petrarcha*: cujus exemplum multi
43. alii sunt secuti. Jurisprudentiæ lumen fuit *Andreas Dan-*
dulus, qui Perusiæ, Patavii, & Pisis eam docuit. Ta-
cemus de aliis Venetis, qui modo jus civile, modo ca-
45. nonicum in celeberrimis Italiæ Urbibus tradiderunt. No-
tare liceat nomina doctissimorum virorum, qui ista ætate scri-
49. ptis justi æquique scientiam illustrarunt, *Laur. Quirini*, *Marci*
53. *Lippomanni*, *Pauli Ranusii*, *Hieronymi Balbi*, *Caroli Capelli*,
Joannis Francisci Paschalii, *Joannis Vendramini*, *Jacobi No-*
velli, *Petri de Monte*, *Dominici de Dominicis*, *Hermolai Bar-*
bari, *Hieron. Donati*, *Oliverii Cardinalis*, *Antonii Ursi*, *Phi-*
lippi Paruta, *Francisci Agentini*, *Sixti de Medicis*, *Christo-*
phori Marcelli, *Thomæ Trevisani*, *Jo. Bapt. Ziletti*, *Antonii*
57. *Pagani*, *Francisci Sansovini*. Præter hos alii posteritati com-
mendati sunt, qui legitimæ disciplinæ, at non scriptorum lau-
61. de claruere, atque in his *Franciscus Diedus*. Elegantiores
disciplinæ cum in Italia ad pristinum decus revocarentur, *An-*
dreas Alciatus eas ad ornandam juris scientiam adhibere cœ-
pit. Qui his deliciis capi se patiebautur, multa præsidia his para-
bant

bant Græci exsules, qui Constantinopoli deserta, Venetias se receperant, ac secum libros *βασιλικῶν*, aliasque legum Romano-Græcarum compilationes apportarant. In eorum numero fuere *Emanuel Chrysoloras*, *Gemist. Pletho*, *Demetrius Chalcondylas*, *Constantin. Lascaris* aliique. At nemo melius de Pag. 64.
universo literarum genere & gloria Venetorum meritus est, *Bessarione*, qui amplissimos illos librorum thesauros primus collegit, ac donarii instar publicis usibus consecravit. Legatum Hispanum *Mendozam*, magnam Codicum illorum partem secum abstulisse, res vulgaris, sed commentitia ac fabulosa est. Satis constat, exteros multos manuscriptis libris 70.
illis bene esse usos: atque adeo Venetiis olim fuisse librarios, qui describendis illis victum sibi quærerent. *Laurentius Mediceus*, quæcumque ex Bibliotheca ista petebat, accepit: *Viglius Zuichemius* paraphrasin Græcam institutionum *Justiniani* a *Theophilo* factam, ex Codice *Bessarionis* primus in lucem produxit. Simili modo *Georg. Haloander*, *Ant. Augustinus*, aliique summi nominis JCti, Venetias adierunt, ut e Bibliothecæ istius thesauris, quibus opus esset, peterent; qui cum maxime patent omnibus. His præsidiis instructi, post *Augustinum*, alii in jure elegantiori perpoliendo studia sua collocarunt. Laudantur suo jure *Angelus Politianus*, *Hermo-* 73.
laus Barbarus, *Hieronymus Donatus*, *Jo. Bapt. Egnatius*, *Paulus Manutius*, *Octavius Maggus* aliique. Magnam inprimis 74.
his literis utilitatem paremque laudem Venetis attulit collectio amplissima, quæ titulo *Tractatus juris universi* ornata, XXVIII Volum. fol. comprehenditur. Nec silendus est 78.
Jo. Bapt. Ziletti labor, quem conscribendis *Vitis JCtorum Venetorum*, *ἀνεκδότοις* suscepit. Eodem tempore maximam spem de se excitaverat *Academia Famæ*, quæ egregiam ostendebat juris scientiæ emendandæ spem; sed fefellit eam, cum opinione citius interiret. Juris publice in urbe Veneta ex- 81.
plicati nulla fit ante finem Sec. XVI mentio, licet certum sit, *Paulum II* hoc tribuisse suo erga patriam amori, ut studiorum universitatem ibi constitui permitteret. Benigniore fortuna 85.
usa est Juris Canonici disciplina, cujus scientia prorsus excel-

 luit

luit *Paulus Sarpius*, quem copiose Illustr. Autor laudat. Ex-
Pag. 103. emplum secuti sunt *Fulgentius Micantius*, *Leonh. Mocenigus*,
Leonh. Donatus, ceteri. *Libro secundo* enarrantur *Chronicorum*
105. scriptores. Primus eorum *Andreas Dandulus*, Venetorum
Dux, perperam habetur. Eo superiores ætate sunt: *Anony-*
110. *mus Gradensis*, ineditus, qui Sec. XI vixit: *Zeno Abbas*, cujus
111. chronicon, Sec. XI, scriptum, desideratur: *Altinas*, Sec. XII.
114. laudatus a *Montefalconio* in *Diar. Ital. pag.* 77: duo Chronica,
eodem tempore scripta, *Bernardo Trevisano* commemorata:
Translatio S. Nicolai, a *Flaminio Cornelio* in *moniment. Eccles.*
Venet. Sec. XII pag. 55. edita: *Fortunatus*, diaconus Gra-
115. densis, itidem Sec. XII clarus, cujus annales latent: *Marsilius*
Georgius Sec. XIII, cujus monimentis usus est *Andreas Mo-*
rosinus in tr. *delle imprese e spedizione della terra santa*, Ve-
net. A. 1627 in lucem emisso publicam: *Petrus Justinianus*:
Bini Anonymi, qui Sec. XIV historias lingua Venetorum vul-
gari exposuere: alius itidem Anonymus Sec. XV: *Paulinus*
Puteolanus, qui eodem Seculo floruit, ab *Ughello* passim lau-
117. datus: *Petrus Calus*, Dominici familiæ adscriptus: *Petr. Da-*
mianus de Clusio, *Relatio vetus de expeditione cruciata*, A.
122. 1204 facta, *Monachus Casinensis*, sive potius Paduanus, *vita*
123. *Ezelini* Autor: *Chronicon Venetum*, ab orbe condito ad A. C.
1195 deductum, quod Vaticana servat, & *Petrus Guilombar-*
125. *dus*. *Dandulum* exceperunt, *Laurentius de monachis*, cujus
132. integri extant commentarii: *Bennitendus Cancellarius*, cujus
134. Annales continuavit *Raphael Carasinus*: *Marc. Ant. Sabelli-*
137. *cus*. Extant aliæ chronicorum hujus generis collectiones, in-
ter quas *Dominici Molini scriptores rerum Patavinarum* fa-
cile eminent. His expositis, ac nonnullis additis de similibus
156. monimentis, inprimis *Jo. Bembi & Marini Sanudi*, progre-
ditur Illustr. Autor ad scriptores particulares enarrandos, qui
171. templorum, episcoporum, rerumque aliarum historias com-
176. plexi sunt; nec *miscellaneos*, *diaria*, aliaque huc pertinentia,
181. silet. Succedunt, qui familiarum illustrium historiam scripse-
189. runt. His denique cunctis enarratis, egregie docet, quomo-
do Venetorum historia, omnibus numeris absoluta, sit confi-
cien-

cienda: quem locum legisse, neminem pœniteat, quippe &
aliorum populorum res scripturis profuturum. Annalium
scriptoribus cum historici longe differant, rectissime fecit Il-
lustriss. Autor, cum eos ab illis secrevit, iisque proprium lo-
cum, hoc est, *Librum tertium* assignavit, in quo de *Historicis*
Venetis agitur. Post *Petrum Paulum Vergerium*, Seniorem, Pag. 227.
sub initio Seculi XIV clarum, ac *Porcellum Neapolitanum*,
primum locum tenet *Petrus Perleo*, cui senatus historici provin- 231.
ciam commiserat, consiliorum suorum exitu defraudatus. Se- 535.
cuti sunt *Guilielmus Paiellus*, cujus scripta lucem nondum ad-
spexere, *Marcus Ant. Sabellicus*, in quo multa merito repre- 232.
henduntur, *Petrus Contarenus*, Adorni filius, aliis ignotus, 238.
Laurentius de monachis, *Petrus Leonardus*, cujus monimenta 241.
deperdita sunt, *Franciscus Barbarus*, *Franciscus Contarenus*, 243.
Bernardus Justinianus, *Jacobus Zenus*, *Antonius Donatus*, *Do-* 245.
minicus Balonus. Ab eo tempore senatus *Historiographos* 247.
instituit, qui publica autoritate, res Venetas scriberent. Pri- 250.
mus eorum fuit *Andreas Navagerius*, qui uberiores compo-
suit commentarios; sed febri correptus & ejus vi ad furorem
redactus, eos in ignem conjecit. In ejus locum successere *Pe-* 252.
trus Bembus, *Daniel Barbarus*, (quem injuria ex hoc numero 254.
eximit *Apostolus Zenus*) *Ludovicus Contarenus*, *Paulus Paruta*, 256.
Andreas Morosinus, *Nicol. Contarenus*, *Petrus Morosinus*, Au- 359.
dreæ frater, *Jacobus Antonii Marcelli*. Posthæc Illustr. Au- 260.
tor erudite de orationibus civilibus historicorum, nominatim
Venetorum, ac de officio historici Veneti disputavit, earum 267.
origines ac fontes demonstravit. Non enim ingenio histori-
corum confictas probabiliter, docet, sed ex ipsorum, quibus
ex tribuantur literis, quæ vel in tabulario publico, vel a no-
bilium familiis conserventur, ductas. Privatim in exornanda
Venetorum historia multum laborarunt *Andreas Mocenigus*, 269.
Pancratius Justinianus, *Petrus Justinianus*, *Nicolaus Zenus*,
Jo. Nicol. Dollionus, *Augustinus Valerius*, *Paulus Ranusius*, *An-* 278.
dreas Morosinus, *Petrus Morarius*, *Paulus Paruta*, *Natalis* 283.
Comes, *Nicolaus Longus*, qui *historiam belli Cyprii*, nondum 285.
typis vulgatam, scripsit; *Fidelis Fidelis*, *Fridericus Sanu-*
dus,

dus, *Jo. Petrus Contarenus*, *Æmilius Maria Manolessus*, *Hie-*
Pag. 289. *ronymus Diedo*, *Ascanius Sauorgnanus*, *Antonius Calergius*, *Andr. Cornelius*, iisque addi debent, qui de bello cum, Vscocis exposuere, *Andr. Morosinus*, *Sarpius*, & *Minutius Minu-*
290. *tius*. Haud minorem utilitatem historiæ afferunt, qui uberioribus commentationibus varia Venetorum facta contra aliorum criminationes πολιτικῶς defendenda susceperunt, pragmatico, uti quisque videt, historiæ generi apprime inservientes. Sic *Paulus Morosinus* Sec. XV scripsit *defensionem Ve-*
291. *netorum ad Europæ principes contra obtrectatores.* Cum *Poggius*, acriori stilo usus, Venetos multis criminationibus ac contumeliis affecisset, ei se opposuere *Laur. Quirinus*, licet commentatio ejus nondum juris publici sit facta, & *Hieronymus Donatus*. Tempore belli, A. 1509 reipubl. illati, Romæ *Barth. Salicetus* multa, Venetis injuriosa, scripsit, quæ *Jo. Matth. Girardus* ac *Aug. Valerius* confutarunt. *Guicciardini* commenta, satis nota, diluit *Jo. Bapt. Leoni*. Omnium diligentiam superavit *Paulus Sarpius*, qui magno lectionis apparatu Pontificum Romanorum contra Venetos iniquitati re-
294. stitit. Ejusdem *Sarpii* inter alios hujus generis libellos me-
305. morabilis est *vita*, edita Lugduni Batavorum A. 1644. Adscribi solet *Fulgentio Micantio* Brixiensi; sed falsam esse hanc virorum doctorum sententiam, præclare docet Illustr. Autor, ejusque scriptorem Venetum esse demonstrat, atque addit, omnium primam libelli editionem A, 1628 vidisse lucem;
313. sed subito suppressam. Historiam Venetorum literariam ni-
320. mis adhuc neglectam fuisse, non sine causa dolet. *Dantes* elegans reliquit poema, quibus memoriam nonnullorum Venetorum eruditionis laude clarissimorum posteritati tradidit; sed ob nimium in Gibellinorum factionem odium fidei suspectæ
321. merito habetur. Majore laude dignus est *Joann. Calderia*, qui in libro de *præstantia Venetæ politiæ*, itidem ἀνέδοτῳ, multa hanc in rem congessit, quibus *Hodius*, egregii operis de *Græcis illustribus* scriptor, usus est. Quæ his de origine Scholarum apud Venetos addita sunt, utilia ac jucunda viden-
324. tur. *Juris publici* rationes pauci persecuti sunt, eorum tamen

men princeps jure habetur *Caspar Contarenus:* qui vero inter exteros historiam Venetam tradiderunt, haud magni sunt momenti. *Libri quarti*, quem scriptoribus *historiæ exteræ* consecravit Illustr. Autor, initium ducit ab *Historia ecclesiastica Veteris Testamenti:* ubi ea inprimis commendatione digna sunt, quæ de *Ludovici Lipomanni* operibus exegeticis disputavit. Sequitur *historia Novi Testamenti ecclesiastica*, ejusque partes, quibus cum de vitis Pontificum, tum de Conciliis, eorumque collectionibus agitur. Inter alia laudatur *Historia Concilii Tridentini*, ab *Antonio Milledonnio* scripta, sed nondum edita, eo magis illa memorabilis, quod ille legatorum Venetorum, qui conventui interfuere, fuit ab epistolis. De *Paulo Sarpio* multa hic præclare allata sunt. Eundem, refert, historiam Conciliorum omnium reliquisse: cujus quamplurimos tenere desiderium, non dubitamus, licet vix sperandum sit, fore, ut e carceribus, quibus inclusa est, unquam prodeat. His adduntur scriptores de templis, ordinibus monachorum; vitis sanctorum: porro ii, qui in colligendis sacræ antiquitatis monimentis studium suum collocarunt, ritusque explicarunt ecclesiasticos. Historiæ civilis studia præclare ex Venetis juverunt nonnulli, sive universam contexerent rerum gestarum in orbe terrarum seriem: sive Græcorum Romanorumque historiam explicarent, in quorum numero *Flavius Blondus* fuit, eidemque præsidia, editis antiquitatis monimentis, lapidibus ac nummis, pararent: sive recentioris ævi memoriam recolerent ac posteritati commendarent. Ex his nonnulli Italiæ ejusque provinciis; alii Helvetiæ; alii, in his *Jo. Mich. Brutus*, (quem manifesto errore Ungarum facit *Czuittingerus*) Ungariæ; alii Galliæ; alii Lusitaniæ; alii Hispaniæ; alii gentibus barbaris; item Persiæ ac Russiæ hoc officium præstiterunt, ut historiæ istarum regionum explicandæ operam darent. Præterea exstant scriptores Veneti, qui, in describenda navigationis historia, consignandis itinerariis laudabilem posuere operam. Agmen claudunt historiæ Ottomannicæ Autores. Accedunt scriptores vitarum hominum illustrium virorumque doctorum. Totum opus concluditur

Pag. 332. 339. 343. 348. 350. 352. 355. 362. 364. 366. 367. 370. 371. 391. 399. 405. 415. 441. 449. 453.

notitia epistolographorum ac commentarii legatorum de rebus a se gestis. Ex his neminem putamus non intelligere, quantas doctrinæ copias in unum quasi locum congesserit Illustrissimus Operis hujus Autor, amplissimis non non solum patriæ suæ, sed omnium etiam, qui his literis justum statuere possunt pretium, gratia & favore excipiendus, rogandusque, ut ne posterioris *Tomi* fructu diu nos carere patiatur.

GREGORII MAJANSII, GENEROSI VALENTINI Disputationes juris, in quibus multa Juris Civilis aliorumque scriptorum veterum loca explicantur & illustrantur.

Tomus I & II.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Eyck, & Cornelium de Pecker, 1752.

Tom. I Alph. 2 plag. 14, Tom. II Alph. 2 plag. 6.

Multum debemus *Gerardo Meermanno*, Viro Celeberrimo, quod disputationes has edendas curavit, quæ in Hispania, cum redemtorem non invenirent, lucem adspicere non potuerant. Referimus illas jure ac merito inter libros, eleganti *Gregor. Majansii* ingenio dignos, cujus merita in jurisprudentiam elegantiorem nostra commendatione haud indigent. In Præfatione V. C. docet, quæ ipsius fuerit ratio discendi juris civilis in adolescentia; quod quidem fere sine magistro percipere coactus est, misero Jurisprudentiæ in scholis Hispanicis tum temporis statu. Eamque jurisprudentiæ infelicem conditionem causam fuisse sibi, tradit, Disputationes hasce, studiosorum gratia, elaborandi; quanquam fere frustra. Disputationum harum argumenta etiamsi pleraque non sunt ex reconditis jurisprudentiæ literis, tamen multæ obscuris quibusdam juris locis lucem affundunt, quæ, nondum satis illustrata, majus lumen desiderabant; omnes vero certe

certe habent aliquas observationes, Lectoribus non injucundas. Quibus dictis ut fidem faciamus, demonstrabimus, quid in singulis traditum, atque expositum reperiatur, brevissime. *Prima* Disputatione *l. 5 D. de legatis 3* illustrat; in eadem Pag. 1.
vero observat, apud *Ulpianum fragment. tit. de legatis §. 28* non *prætoriani*, sed *populi Romani* legendum esse, observatum illud quidem dudum a *Cujacio*, aliisque: Nervam primum dedisse facultatem civitatibus, imperio Romano 5.
subjectis, legandi: atque odium *Antonini Pii*, in Antiochenses conceptum, causam fuisse, cur *l. 1 C. de judæis & cælicolis* eorum civitati jus legatorum adipiscendorum denegaverit. In *secunda* commentatione de *usufructu proprietati con-* 15.
juncto & ab ea separato disserit: demonstratque usufructu filio, vel servo legato, patris, vel domini personam conside- 20.
rari debere, ac, si pars dominii servi ad alium pervenisset, merito usumfructum pristinum dominum retinere, *l. 15 C de usufruct.* Ex ejus sententia usufructuarius habet, ut ex *l. 65 D.* 34.
de usufruct. patet, dominium rei, qua utitur fruitur, eadem ratione, qua marito rei dotalis, emphyteutæ emphyteuseos, conductori rei conductæ, creditori antichreseos dominium competit. Quæ tamen satis subtiliter accurateque, ex justis principiis, dici non possunt: Interpretum vulgarium opinionibus sive potius erroribus, Dominium aliquod utile, & item alterum directum, statuentium utcunque congruunt. Ceterum hac in re inter *usumfructum formalem & causalem* 40.
nullam esse differentiam, si rationem ejus curate intueamur, recte docet. Cum jus adcrescendi inter usufructuarium & 43.
proprietarium locum habeat, immo ille *l. 4 D. de usufruct.* pars dominii vocetur: recte ex eo, non in essentia, sed in 44.
subjecto, ut vulgo loquuntur, potius differentiam inter usum- 56.
fructum causalem & formalem reperiri, colligit, ac *l. 21 §. 3 D. de except. rei judicatæ* & *l. 28 D. de jure dotium* lucem accen- 58.
dit. *Tertia* Disputatio *de lege Fusia Caninia* loquitur, quam propter locum *Suetonii*, in *Octav. Cap. 40* ann. 752 cum *Augusto* Consuli XIII aliquis ex gente Furia, & *M. Plautio Silvano*

C. Caninius Gallus, Conful fuffectus effet, latam putat. Se-
Pag. 72. quitur *quarta* de *fervitutibus non oppignerandis*. Illuftrat
78. initio *l. 17. D. de pignoribus & hypothecis:* cumque fervitutes
ipfæ pignori dari nequeant, Autor oftendit, non quidem
85. ufumfructum, videlicet *formalem*, attamen perceptionem
ufusfructus, de qua *l. 11 §. 2 D. de pignor. & hypothec. l. 8*
88. *quibus modis pign. folvit.* loquuntur, oppignerari poffe. *Quintam*
disputationem *de jurisjurandi conditione, a Pratore re-*
93. *miffa* potiffimum eo confilio inftituit, ut *L. 8 D. de condit.*
inftitut. lucem capiat. In ifta lege fermonem effe de ulti-
mis voluntatibus, recte ex voce *relinquuntur* demonftrat, atque
95. inde colligit, fanctionem quidem illam in ultimis voluntati-
bus, non tamen in contractibus locum habere: cum hac ve-
99. ro *l. 62 D. de acquir. heredit.* conciliat. *Sextum* locum ob-
106. tinet difputatio de *amiffione bonorum poffeffionis contra tabulas*
liberti propter accufationem calumniofam, quæ pœna fine dubio
per legem *Juliam* ac *Papiam* introducta eft; nec minori, fed
folis majoribus viginti quinque annis infligitur. Sequitur *fe-*
118. *ptima* de *concurfu lucrativarum caufarum.* Inter alia fictio-
123. nem juris adeffe obfervat, ut, fi lucrativæ duæ caufæ concur-
rant, fingatur, dominium alicujus rei adeptum non effe, qui
tamen re vera fit confecutus, & inde *L. 82 §. 2 D. de le-*
142. *gat. 1.* illuftrat: in *octava* vero de *adjecto folutionis gratia* dis-
167. putat. *Nona* difputatio edictum de *arboribus cadendis* illu-
198. ftrat. *Decima* commentationis caput eft *L. 3 eod. de ferv.*
169. *pign. dat.* ubi de fervo pignoris manumiffo agitur. In *unde-*
cima de *factis contra legem* difputat: inter quæ non folum
ipfum actum, fed etiam quod ei acceffit, five pactum, fi-
207. ve pignus, five ftipulatio, refert, & deinde degreditur ad
213. differentiam inter legem perfectam, imperfectam & minus
quam perfectam oftendendam, illamque e *Tertulliano* in *Scor-*
219. *piaco adverfus Gnofticos, Cap. 3. Macrobio Libr. II Somn. Sci-*
pionis, aliisque juris pariter ac veterum Autorum locis, illu-
220. ftrandam. Hanc difputationem excipit *duodecima* de *impuberis*
arrogatione, in qua quatuor caufas, cur impuberes arrogari
223. nequeant, affert, & tum de conftitutione divi Pii ita loquitur,

ut tam in servum publicum, cui stipulatio facienda, quam
in ipsam quartam *Divi Pii* inquirat. *Tertia decima* de Pag. 227.
postliminio & *decima quarta* de *peculio castrensi* disserit. 235.
Utrumque quidem dicendi argumentum ita comparatum est, 256.
ut ab aliis jam satis profligatum videri possit: nonnulla tamen in utraque commentatione affert non contemnenda.
Quinta decima de *missilium acquisitione*, ex antiquitatum 296.
monumentis, quæ fuerit missilium ratio, eruit: *sexta decima* docet, quando res fiat derelicta; *septima* vero *decima* agit de *ususfructu earum rerum, quæ usu consumuntur, vel minuuntur*. Differit ibi de senatus consulto, quod quasi usumfructum permisit, idque *Augusto* imperante factum esse statuit. 300. 322.
Duo capita complexum esse putat, ac differentiam inter usumfructum nummorum ac mutuum ostendere conatur. Quæstionem, diu inter juris consultos controversam, num habitatio similior sit usui fructui, quam soli usui, explicat Clariss. Autor. In *octava decima* disputatione de *habitatione:* cui statim aliam conjungit de *operis:* ubi in ceteris expedit, quando operæ, testamento relictæ, cedere debeant. *Vigesima* de *legato rei alienæ* disserit: *vigesima prima* de *legato rei obligatæ*. *Vigesima secunda* observat, non omnia legata, per quæ legatarius nihil lucratur, inutilia censenda; sed ea excipienda esse, quibus *affectio* animi accedit, idque ex loco *Plinii, Lib. II Epist. 15* illustrat. *Vigesima tertia* de *commodo & periculo rei legatæ l. 6 D. de aur. & argent legat.* explicat. 326. 331. 337. 342. 355. 360.
De SCt. *Aciliano* disputatio *quarta* & *vigesima* disserit: hancque ob rem initio curate omnes constitutiones, ad splendorem urbis Romæ conservandum latas recenset; postea vero ipsius SCt. originem eruit. Factum illud est consulibus *M. Acilio Aviola* & *C. Cornelio Pansa*, A. 875. cujus uno Capite domum demoliendi causa emere, altero vero ædibus juncta legare, vetitum. In *vigesima quinta* de *assignandis libertis*, exponit, quando & quibus consulibus factum sit Senatusconsultum, de assignandis libertis. In *vigesima* vero *sexta* de *eo* agit, *cui libertatis causa bona addicuntur* & potissimum rescriptum Divi *Marci*, in *l. 40 D. de manum:* memoratum ex- 368. 374. 383. 387. 403. 406.

 plicat.

plicat. Putat, *Pompilium Rufum*, ad quem rescriptum datum
Pag. 407. est, cujus *Gordianus* meminit in *L. 6 C. de manum. testam.*
non servum, nec libertum fuisse: de qua tamen quæstione cu-
413. ratius disputatum est a *Jan. Andr. Hultmanno* V. C. *Diss.* de
Servis binominibus, & *G. O. Reizio* V. C. *Excurs. ad Theoph.*
418. *Vigesima* ac *septima* disputatione de *obligationibus ex consensu*
427. docetur, surdum etiam contrahere posse. *Vigesima octava*
430. est de *impensis in res dotales factis.* Ceterum hic lucem ac-
cendit *Paulo* in *l. 79 D. de V. S.* emendat *§. 37 J. de action.*
433. & observat, particulam *quasi* per alienam manum in hunc
locum irrepsisse, & denique ostendit, quibus actionibus expe-
438. riri quis possit, ut dotem nanciscatur. Definitionem testa-
menti, quam nobis exhibet *L. 1 D. qui test. fac. poss.* evolvit
vigesima nona disputatio, qua de *voluntate necessaria in ulti-*
444. *mis dispositionibus* Autor commentatur. *Trigesima* disputa-
451. tio de *surdorum & mutorum testamenti factione* observat, per
surdos non eos intelligendos esse, qui surdastri sint, vel non
recte exaudiant: surdis eam ob rem testamenti factionem
457. denegatam, quod solemnia quædam haud potuerint observa-
re, e. g. testes rogare: tum de privilegiis militum surdo-
466. rum ac mutorum agit. Sequens disputatio curatius testamen-
tum, apud hostes factum, considerat, & *L. 8 D. qui test. fac.*
470. *poss.* illustrat. In *secunda* ac *trigesima* disserit Autor de *ser-*
480. *vis, heredibus instituendis.* In multis aliis ex multis locis pla-
num facit, servum dotalem, inæstimato datum jussu mariti
487. hereditatem adire debere, ac tandem *princ. l. de her. instit.*
491. exponit: in *trigesima* vero ac *tertia* rationem reddit, cur he-
493. reditas non recte detur neque ex die, neque ad diem, & cur
nemo possit ex parte testatus & ex parte intestatus decedere.

1. *Tom. II.* De *conditione impossibili, ultimis dispositionibus*
adjecta loquitur Autor in *quarta & trigesima* disputatione,
& rationem invenire tentat, cur ejusmodi conditiones non
6. valeant, testamentis adjectæ, contra vero in contractibus. Af-
fert loca, quæ de ejusmodi conditionibus, institutionibus, le-
10. gatis, fideicommissis & libertatibus appositis tradunt. Diffici-
11. lem nodum, in *l. 10 D. de cond. inst.* solvit: apud veteteres di-
cendi

cendi formulam: *digito cœlum attingere* ad fummum inauditæ felicitatis faftigium evehi, denotare obfervat: *l. 35 D. de condit. inft.* cum aliis conciliat, ac denique inquirit, num conditio inter turpes cenfenda fit, fi teftator, qui vefpillo fit, ab herede poftulet, ut ipfius nomen gerat. Quid per inftitutiones captatorias intelligatur & qua ratione illæ jam per legem duodecim tabularum fint prohibitæ, docetur *trigefima quinta* difputatione, *de SCto prohibente difpofitiones captatorias:* at fequente difputatione, de *hereditate jacente* agitur. Cum illa ficta perfona fit, recte eam *Cajus* fucceffionem vocavit: neque ea folum defuncti, verum etiam ipfius heredis perfonam refert, quod *L. 24 D. de novat.* docet. Antequam illa eft adita, a feruis illi acquiritur, etiamfi hi opinione tantum habeantur pro hereditariis feruis: quodfi vero fervus eft communis, non hereditati, fed alteri domino, ut ex *L. 1 §. 4 D. de ftipend. fervor.* patet, acquirit. De *divifione hereditatis* exponit difputatio *trigefima feptima.* In *octava* ac *trigefima* difputatione de jure accrefcendi: in *nona* vero de *indicta viduitate* & *L. Julia Mifcella* ita agit, ut iftam legem *L. Julia* Papiæ ac Pappææ effe cenfeat, quæ conditionem, *fi non nupferit*, pro non fcripta declaravit. Differit deinde de conditione: *Mœviæ fi non nupferit, fundum, cum morietur, lego*, & monftrat, teftatorem per verba: *cum morietur*, noluiffe novam heredi imponere conditionem. Illæ enim folum pro non fcriptis habebantur, quæ fimpliciter nuptias prohiberent, ut ex variis legibus liquet. *Quadragefima* illuftrat cautionem Mucianam. In *quadragefima prima* difput. *de his, quæ fub modo relinquuntur*, explicat Autor *L. 80 D. de cond. & demonftrat.* fatisque accurate differentiam inter *modum* & *conditionem* monftrat; legata vero pœnæ caufa relicta definit in *quadragefima* ac *fecunda* difputatione, hancque illis vim tribuit, ut nullum alium finem habeant, quam ut heres coerceatur. In *quadragefima tertia* de *regula Catoniana* agit & docet, regulam illam quidem ex *Pauli Libro VIII* ad Sabinum fumtam effe, qui de tutelis agat; latiffime tamen patere, atque in contractibus, teftamentis atque

Pag. 22. 27. 28. 32. 34. 37. 48. 53. 59. 95. 97. 99. 104. 121. 136. 144. 146. 148.

que institutionibus obtinere. Neque vero exceptionum oblitus est; sed monet potius, regulam illam neque ad insti-
Pag. 154. tutiones conditionales neque ad eas, quæ tacitam conditionem habent, ut *L. 3 D. de Reg. Caton.* tradit, neque ad novas leges, hoc est leges *Juliam* ac *Papiam Poppaam*, extendendam
158. esse. *Quadragesima quarta* ea, *quæ pro non scriptis ha-*
160. *bentur*, diligenter recenset: *quadragesima quinta de libertate*
170. *ad tempus non danda l. 33. D. de manum. testamentar.* interpretatur: *quadragesima sexta* de *nominis mutatione* varia, non
175. vulgaria, tradit, & exponit, unde vocabulum *nomen* sit derivatum: quomodo nomina dividantur, & qua ratione
178. nomen mutare alicui licitum sit. Quæ *quadragesimum septimum* locum obtinet disputatio, oratio est, qua *l. 2 C de*
180. *secundis nuptiis* est interpretatus. Postquam de ejus condi-
182. toribus disseruit, monstrat, Romanos semper turpe ac nefarium putasse, mortuis sanguine conjunctis, luctum negligere.
185. Initio ille decimestris erat; *Theodosius* vero eum usque ad duodecim menses extendit, quamvis alii credant, id jam ante
188. *Theodosium* in more fuisse positum. Qui lugebant, jure qui-
191. dem a conviviis se abstinere tristioremve habitum induere de-
192. bebant; omnia tamen illa exceptione quadam sublata esse, &
194. senatum decreto luctum sæpe prohibuisse, constat. Quæ quamvis ita sint; non tamen ideo quoque licebat mulieribus
200. nubere, sed venia principis iis opus erat. In *quadragesima octava* disputatione de *tigno juncto* acute *l. XII* tabular. de ti-
209. gno juncto & *l. 7 D. de A. R. D.* explicat: *quadragesima* vero *nona* de *edendo* disputat & initio observat, nonnullos, ante in jus vocationem editionem factam esse, arbitrari:
214. deinde editionem triplicem esse monet, & de singulis agit, simulque munus argentariorum pariter ac nummulariorum
225. exponit. In sequentibus commentationibus usucapionum
230. doctrinam tradit, ita, ut non solum generatim de ea disserat,
245. sed etiam singulas species recenseat. Postquam itaque *quin-*
247. *quagesima* disputatione de *usucapionis natura, etymologia, origine, fine*, & *sequenti* de *titulis ad usucapiendum utilibus in*
249. *universum* disseruit: *quinquagesima secunda* de *usucapione pro*

empto-

emtore; tertia pro donato; quarta, pro herede; quinta pro Pag. 253.
de relicto; sexta pro legato; & septima pro dote agit; *octava,* 256. 258.
de *aliquibus titulis, ad usucapionem utilibus, acervatim; no-* 259. 261.
na de usucapione pro suo; sexagesima de *possessione ad usucap.* 260.
requisita; sexagesima prima de *possessionum accessionibus ad* 263.
usucapionem utilibus; secunda de bon: fide, ad usucap. requisita; 273.
tertia de *tempore, ad usucap. statuto; quarta* de *effectibus* 279.
usucapionis commentatur; *sexagesima quinta ex quibus causis* 290.
usucapio prohibita sit, exponit & his quinque alias adhuc ad- 297.
jungit, in quarum prima, sive *sexagesima sexta* de *legibus* 304.
Atinia, Julia & Plautia, rerum furtivarum & vi possessarum 309.
usucapionem prohibentibus, disputat. *Sexagesima septima* dis-
putatione *de usucapione partus ancillæ furtivæ* potissimum *L.*
33 D. de usurpat. & sequenti *lex Scribonia* illustratur; *sexage-* 333.
sima vero *nona* disputatio de *legatis incertis* defensio est
contra Hispani JCti, *Joach. Jos. Vasquez* Otium Compluten- 348.
se. Opus hoc eruditum claudit *septuagesima* disputatio, sive 380.
potius oratio de *litore maris*, quæ non solum ob doctrinam, & subtilitatem, sed etiam propter occasionem, qua habita est, memoria est digna. Nihil amplius de egregio hoc libro Majansiano nisi hoc unum addimus, quemlibet nobis cum vota facturum esse, ut *Jurisconsultus Majansii perfectus* brevi tempore in lucem prodeat, desiderioque omnium elegantioris jurisprudentiæ studiosorum satisfaciat.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΡΕΣΚΟΝΤΩΝ ΤΟΙΣ Φιλοσόφοις βιβλ: έ, &c.

hoc est,

DE PLACITIS PHILOSOPHORUM LIBRI V. Latine reddidit, recensuit, Annotationibus, Var Lect. Dissertationibus illustravit EDUARDUS CORSINUS.

Florentiæ, 1750, 4.
Alph. 1 plag. 10.

 Cum

Cum totum esse V. C. in concinnando perficiendoque *Fastorum Atticorum* laudatissimo Opere & credimus & cupimus, ecce nobis *Plutarchi* eruditissimum libellum, ingenio doctrinaque ejus perpolitum, illustratumque. Qui quid debeat Viro doctissimo, age breviter docebimus.

Ac primum dedit V [illegible] n *Plutarchi*, ex ipsius maxime libris collectam & compositam, bonisque observationibus plenam. Multa hic accuratius & plenius tradita ac disputata reperiuntur, quam *Rualdus*, quem satis constat & ipsum Vitam *Plutarchi* e libris ejus congessisse magna cura, *Fabricius* aliique tradidere, velut de anno ejus natali, *pag. 3, 4*, de præceptore *Ammonio, Ægyptio* Rhetore *pag. 6.* quem & eundem *Lamprensem* dictum, contra quam *Fabricio* visum in *Bibl. Gr. IV*, 25 *pag. 171* admodum probabili ratione docet: de uxoris ductæ tempore *pag. 8.* quod ille e pulcherrimo *Plutarchi* (in Amatorio) loco in quinquagesimum fere ætatis ejus annum confert: de honoribus ejus, inprimis Consularibus, quibus a *Trajano* auctum, tradit *Suidas*, *pag. 11:* de ætate denique ejus *pag. 12*, quam quintum saltem & octogesimum annum attigisse colligit. Sequitur deinde de ipso *Plutarchi* libro, ejus editionibus & interpretibus, expositio, unde plenior reddi *Fabriciana* enumeratio possit. Neque enim *Fabricius* memorat edit. Paris. A. 1544 apud *Bogardium*, nec Latinam ibid. A. 1505 apud *Jo. Petitum:* quam ille primam putet, quæ *Budæi* versionem exhibeat. Versio *Budæi* sæpe repetita est, denique etiam in edit. *H. Stephani*, quam tamen *Fabricius Jano Cornaro* tribuit. Post *Budæum* interpretatus est hunc librum *Xylander*, & tandem *Herm. Cruserius*, cujus versio Basil. A. 1573 prodiit, non memorata *Fabricio:* a quo etiam prætermissa est Italica *Marc. Ant. Gandini*, quæ Venet. A. 1614 prodiit. His versionibus omnibus, inprimisque Francica Amioti, quam pulcherrimam vocat, & Xylandrina subinde usus est *Corsinus*. Nam *Gandinus* sæpe ineptit, e Latino male interpretatus, & *Budæus Cruseriusque*, quanquam latiniores, tamen liberiores, sunt in interpretandis Græcis. Enim vero Vir doctus novam interpretationem Latinam fecit, oppido accuratam, quippe

pe verba Græca presse sequentem, & facilem tamen elegantemque, interfertis subinde verbis, quibus clarior & concinnior redderetur, sed alio tamen typorum genere expressis. Ultimo loco est Syllabus Philosophorum, quorum placita a *Plutarcho* proferuntur, adjecta cujusque patria, ætate, aliisque paucis, quæ scire profuerit legentibus, inprimis tironibus. Textui ipsi subjectæ sunt notæ, quibus partim obscuritas verborum illustratur, maxime tamen res ipsæ ex aliis Græcis Latinisque Scriptoribus, qui physica veterum placita pluribus persecuti sunt. Inprimisque *Plutarcho* & emendando & illustrando profuit collatio locorum *Galeni* in Hist. Phil. *Eusebii* in Præpar. Ev. & *Jo. Stobensis* in Eclogis Physicis, quæ ex hoc libro *Plutarchi* exscriptæ fuere: ut exemplum aliis præivisse videatur Vir Cel. Philosophorum veterum rite illustrandorum. Textum excipiunt Variæ Lectiones, sed ex omnes e *Xylandrinis* Notis ductæ. Neque enim contigit V. D. videre Codicem libri MSt. quo conferendo aliquid novæ varietatis reperiretur. Ad calcem denique sunt duæ dissertationes, in quarum prima difficiliora quædam *Plutarchi* loca vel obscuriora Philosophorum placita exponuntur & illustrantur, (in quibus tamen non unum est, in quo nihil admodum difficultatis, nostra quidem de sententia, inest) in altera autem plurima veterum Philosophorum placita a *Plutarcho* memorata cum recentiorum placitis conferuntur. Ex his quædam delibari, non ingratum Lectoribus fore speramus.

Stoici pulchritudinem mundi demonstrabant etiam e figura, quam rotundam dicebant: eam autem figuram esse omnium figurarum pulcherrimam: rationemque reddebant hanc, quod *μόνον τῦτο*, verba *Plutarchi* sunt, *I, 6 τοῖς ἑαυτῦ μέρεσιν ὁμοιῦται*. In his verbis difficultatis aliquid objectum est *Corsino*, V. C. Falsum enim esse, sphæram partibus suis similem esse. Neque enim e sphæris aliis componi sphæram: citiusque hoc in cubum & pyramidem convenire, quæ figuræ in minores cubos pyramidesque resolvi possint. Itaque rescribendum esse *αὐτῦ*, ut referatur ad *κόσμον*: sensumque esse: sphæricam figuram maxime convenire mundo,

 quod

quod ea ſimilis ſit præcipuis mundi partibus, ſoli, lunæ, terræ: idque intelligi etiam e ſequentibus *Plutarchi* verbis: **περιφερῆς δὲ ὢν ἔχει τὰ μέρη περιφερῆ.** Aliud egit Vir præſtantiſſimus, cum iſta ſcriberet. Agitur de pulchritudine ſphæricæ figuræ per ſe, non **πρός τι**, hoc eſt, quoad ea figura optime mundo convenit. Pythagoras jam ſtatuebat, extra diſputationem de mundo, ſolidarum figurarum pulcherrimam eſſe ſphæram, planarum circulum, apud *Diogenem Laert. VIII, 35* idemque uno ore Mathematici veteres. Quid ſit autem **τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσι ὁμοιοῦται**, docebit locus *Ciceronis* de N. D. *II, 18* e *Platonis Timæo* expreſſus: *Quid enim pulchrius ea figura, quæ ſola omnes alias figuras complexa continet, quæque nihil aſperitatis habere, nihil offenſionis poteſt, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum? Cumque duæ formæ præſtantes ſint, ex ſolidis globus* (*ſic enim ſphæram interpretari placet*) *ex planis autem circulus aut orbis, qui* **κύκλος** *Græce dicitur; his duabus formis contingit ſolis, ut omnes earum partes ſint inter ſe ſimillimæ, a medioque tantum abſit extremum, quantum idem a ſummo: quo nihil fieri poteſt aptius. Sed ſi hæc non videtis, quia nunquam eruditum illum pulverem attigiſtis* &c. Ex quo loco etiam patet, male a V. C. intellecta eſſe verba *Ciceronis* de Univerſ. *mundum ea forma figuravit, qua una omnes reliquæ formæ concluduntur*, quæ ille male de ampliori ſphæricæ figuræ capedine accipit. Valde etiam miramur, quæ V. C. ſcripſit ad notos *Callimachi* verſus de *Evbemero*. Multis hoc agit, ut doceat, ibi pro χάλκεον ζᾶνα legendum eſſe **παγχαῖον**, ex iis, quæ *Plutarchus* de *Evbemero* tradit in libro de *Oſiride*. Atqui dudum ſic reſcripſit *Bentlejus* in fragm. *Callim. n. 86.* itemque **ψήχει** pro **ψύχει**, in quo verbo ne hæſit quidem noſter. Ac ſuſcipio eſſet, Virum doctiſſimum non vidiſſe *Bentleji* fragmenta *Callimachia*, cum etiam in *Faſt. Att. Tom. I pag. 325* ad notos verſus **οὔπω Σκέλμιος ἔργον** &c. nullam *Bentleji* mentionem faciat, ſolumque miretur, *Dacieriam* eos verſus in fragmentis *Callimabi* prætermiſiſſe; ſed in notulis ad *Evbemeri* verſus monet, *Bentlejum* legi velle **ψήττει**, quod falſum eſt, neſcio unde hauſtum,

ſtum, niſi vitio operarum ita expreſſum eſt pro ψήχει, *radit, exarat, ſcribit.* Poterat etiam V. D. nemine impediente reſcribere Διαγέρας ὁ Μήλιος pro Μιλήσιος, cum hodie conveniat, illam eſſe veram lectionem. Veremur etiam ne argutetur V. C. cum *I*, 9 in verbis οἱ ἀπὸ Θάλεω καὶ Πυθαγόρου καὶ οἱ Στωϊκοὶ τρεπτὴν καὶ ἀλλοιωτὴν, καὶ μεταβλητὴν καὶ ῥευστὴν ὅλην δι' ὅλου τὴν ὕλην, putat, aut *Thaletis* nomen expungendum, aut ſententiam ejus a *Plutarcho* non intellectam, aut recentiores *Thaletis* diſcipulos intelligendos eſſe, propterea, quod Stoici quidem materiam formæ & qualitatis expertem, eaque de cauſa perpetuo mutabilem dixerint, cum *Thales* contra formam materiæ certam tribuerit, varietatemque rerum e varia textura & mixtura partium, repetierint. Nam τοὺς ἀπὸ Θάλεω eſſe *a Thalete profectos, Philoſophos Jonicos*, quis non ſponte videt: vel maxime *Socratem* cum *Platone*. Sed in notis ad idem caput, & ad verba illa *Platonica* de materia, cum vocatur δεξαμένη τῶν εἰδῶν, οἷον τιθηνὴ, καὶ ἐκμαγεῖον καὶ μήτηρ, negat materiam ἐκμαγεῖον dici hoc ſenſu, ut ſit ſubjectum recipiens formas, iiſdem rationibus ac prope verbis, quibus *Vigerus* ad *Euſeb.* Præp. *Er. XV*, *44* quem tamen h. l. non magis laudat, quam *Petavium* ad *Themiſt. Orat. I*, aliosque, qui de hac voce egere; ſed eſſe potius (ut *Vigero* ſcil. viſum) ſubjectum, in quo formæ veluti deliteſcant, adeoque ex illo educantur. Atque hæc eſt tertia notio verbi ἐκμαγεῖον, quam ei tribuebat *Vigerus* l. c. Sed putamus, utrumque falli in hac tertia notione, & in hac quoque forma loquendi nihil aliud eſſe, quam id quod capit formam aliquam ac ſpeciem, eamque retinet perficitque, quam notionem verbi ceterum *Vigerus* agnoſcit, & pulchre illuſtrat poſt *Petavium*: quod ſatis indicat μητέρος nomen ac τιθηνῆς Nam ut mater natura ſua non continet prolem, ſed a mare recipit, retinet, fovet, elaborat, perfectamque edit in lucem, nec nutrix in ſe latentem habet infantem, ſed a matre acceptum alit & lacte auget: ſic nec in materia latent figuræ rerum, ſed aliunde impreſſæ retinentur, elaborantur, ac perficiuntur. Hæc eſt velut cera, quæ recipit ſignum annuli, retinetque tamdiu, donec alia vi

 delea-

deleatur, aliudque ſignum imprimatur. Eaque res eſt ita manifeſta, ut cogatur ipſe verbo *recipiendi* uti. Nam ſuperiori iſti explicationi ſubjicit hæc verba: *ut nempe materia formas illas, quas in potentia continebat, actu* recipiat. Ibidem Vir doctus *Euſebium* corrigendum & pro ἐυμορφον, ἀνείδεον legendum putat e *Plutarcho* ἄμορφον ἀνείδεον: ſed in edit. *Vigeri*, quæ repetita eſt Lipſiæ, reperitur ἄμορφον. Fefellere ſcil. eum oculi, dum confert *Euſebium*, apud quem non h. l. ſed in extremo Capite eſt ἐυμορφον pro ἄμορφον, quod tamen corrigendum eſſe, jam in margine notavit *Vigerus*. *Cap. XI*, quod eſt *de cauſis*, verba: οἱ Στωϊκοὶ πάντα τὰ αἴτια σωματικά, πνεύματα γάρ: bene explicat ſic, ut *Plutarchus* Stoicos dicat nullas, niſi corporeas materialesque cauſas habere, propterea, quod motus omnes ducant a ſpiritibus, qui permeent omnia, eos autem ſubtiliſſimæ materiæ faciant. Merito porro, difficultatem aliquam eſſe ait *Cap. XII*, quod eſt *de corporibus*, in verbis his, quibus Epicurum ſtatuere dicit τὰ πρῶτα (atomos) ἁπλᾶ, τὰ δὲ ἐξ ἐκείνων συγκρίματα πάντα βάρος ἔχειν: ubi ἁπλᾶ eſſe ἀβαρῆ, disjunctionis ratio oſtendit. Etenim *Plutarchus* ipſe *Cap. 3* & *Cicero* de *Fato* atomis Epicureis gravitatem tribuunt, quibus *Lucretius* addi poteſt *II, 83*. Itaque ſe negat videre, quomodo *Plutarchi* ſententia ſtare poſſit, niſi pro *Epicuro* reponatur *Democritus*, cum præſertim *Stobæus*, *Plutarchi* compilator, mox dicat Δημόκριτος τὰ πρῶτά φησι σώματα βάρος μὲν ἔχειν, aut gravitatis verbum h. l. capiatur ſenſu magis proprio, hoc eſt, de nutu verſus medium, ut Philoſophi loquuntur. Quorum poſterius nobis maxime placet. Nam in hoc Capite diſerte τὸ βαρὺ dicitur eſſe τὸ φύσει νεῦον εἰς μέσον, quod ſane de atomis in Vacuo infinito vagantibus dici non poteſt. Ceterum vellemus oſtendiſſet V. C. quo more ἀπλῶν diceretur pro ἀβαρές *Cap. XVIII* verba οἱ ἀπὸ Θάλεω φυσικοὶ μέχρι Πλάτωνος τὸ κενὸν ἀπέγνωσαν rectiſſime non de tempore interpretatur, nam in iſto intervallo fuere, qui vacuum defenderent, ſed de Philoſophis *Jonicis* a *Thalete* profectis, qui in *Platone*, Academiæ conditore defecere: ſed vix videtur aliter quisquam acqui-

cepturus fuisse, cum *οἱ ἀπὸ* Θ. nil aliud quam æmulos placitorum ejus significare possint, ut *Cap. 9.* Nam si de temporis intervallo loqueretur, deberet esse *οἱ φυσικοὶ ἀπὸ* Θ *μέχρι* πλ. Non indigna lectu sunt, quæ in hac ipsa Diss. de quibusdam aliis physicæ veteris Capitibus traduntur, in primis *Philolaica pag. XVII, XXIII, XXX*, item non admodum abludentis Pythagoricæ, a qua Philolaica nata est, veluti illo *pag. XX*, quod *Pythagorei*, inque his *Philolaus*, unamquamque stellarum, fixarum scil. Κόσμον esse dixerunt. In quo nobis venit in mentem optare, ut V. C. in notis, ubi non modo dogmatum, sed etiam verborum interpretum egit, in verbis *Pythagoreorum* attendisset ad Dialectum. Nempe inter reliquias Dialecti Doricæ sunt etiam fragmenta Philosophorum *Pythagoreorum*, eaque usus & *Philolaus*. Sed in excerptis, quæ e *Stobæo* affert V. C. mira est, & in aliis ejus Dialecti libris veteribus, inconstantia: ita permixta Dorica & communi Dialecto, ut nullo modo sic ab Autoribus scripta esse potuerint. Atque hic restat larga messis emendationum in veteribus libris.

Jam in altera Dissertatione, quam legant quæso, qui tam multa a recentioribus inventa jactant, docet, quæ apud *Plutarchum* reperiantur vestigia inventorum Physicorum, quæ vulgo recentioribus Physicis tribuuntur. Docet ergo, etiam veteres vidisse, nihil esse *positive leve*: illas ipsas attractionis leges, quæ nunc, Autoribus *Keplero* & *Neutono*, tantopere placeant, a veteribus adumbratas fuisse: Vorticum & centrorum varietatem *Cartesianam* non ignoratam antiquis; qui & ipsi viderint, vorticis cujusque centrum esse stellam fixam, hoc est, solem; eademque de solis vi & natura tradiderint; quæ de lunæ substantia, phasibus, maculis, & apparente facie recentiores per observationes cognoverint, veterum haud unum ingenii vi assecutum. Lunæ superficiem asperam, inæqualem, montibus sublatam, vallibusque depressam telescopii nuper inventi præsidio reperit *Galilæus*: at jampridem *Anaxagoras* & *Democritus* idem demonstraverant, *Xenophanes*que lunam esse terram multarum urbium, habitarique dixerat, *Anaxagoras*

Pag. 46.
47.
48.

ras item, *Democritus* & Pythagorici, diu ante *Hugenium*. Obſervatione Galilæi innotuit, maculas lunæ variabiles nihil aliud eſſe, quam umbras ab elatioribus lunæ partibus: *Democritus* id ipſum ratiocinando reperit. Perennes maculas ex inæquali ſubſtantia lunæ repetunt recentiores: indidem repetiere cum *Pythagoreis Stoici*, qui, ut *Hevelius*, cum maris aut fluminis aqua comparavere. Solem in centro mundi eſſe, terram circa ſolem obliquo circulo moveri, dum circa ſe vel axem ſuum diurno motu vertitur, *Ariſtarchus*, *Seleucus*, omnesque prope *Pythagorei* defenderunt. Ignoraverunt quidem veteres, ob ignoratam veram ſiderum diſtantiam, ingenioſe excogitatam illam a *Keplero* proportionem in Planetarum motibus, qua nimirum quadrata temporum periodicorum æquant cubos diſtantiarum; ſed aliquam tamen proportionem in diſtantiis & temporibus reperiri nonnulli veterum viderunt, autore *Plutarcho*. Pulcherrimum recentis Aſtronomiæ inventum habetur, quod Sol, Planetæ, ſidera quælibet certa quadam celeritate & periodo circa axem centrumque ſuum revolvuntur, quod in Sole, Venere, aliisque pluribus e macularum periodo nuperrime obſervata deprehenſum fuit. At idem in Terra *Heraclides* & *Ecphantus*, in ſideribus & Planetis omnibus *Platonici* viderunt, ut ex inſigni *Attici Platonici* apud *Euſebium Pr. Ev. XV, 8* loco docetur. Eclipſium denique veram cauſam jam *Thales* aſſecutus eſt. *Galaxiam* ex innumeris ſtellis conſtare, ante *Galilæum* videre *Anaxagoras* & *Democritus*. Quid quod *Pythagorici*, ac *Diogenes* Cometas jam perpetua ſidera dixere, quæ, ſtato tempore certaque periodo peracta, telluri propiora, adeoque nobis conſpicua fierent, iterumque remotiora facta evaneſcerent: idque a Chaldæis acceptum tenuere, quos ita exiſtimaſſe *Stobenſis* tradit. *Xenophanes* ignitas trabes, ſtellas cadentes trajicientesque ex aridis nubibus vel exhalationibus incenſis naſci dixit, etiam *Dioſcuros*, quos vocant, ex incenſis pariter nubibus oriri. Item mire cum recentioribus conſpirant veteres, in fulminis, fulguris tonitruumque origine. *Zodiaci* obliquitatem *Anaximander*, *Pythagoras* & *Oenipus* deprehendit. Antipodes, & ſphæ-

ſphærica terræ figura, iisdem fere quibus hodie rationibus explicantur a veteribus. Æſtus marinos cum lunæ motibus conjunctos & hinc explicandos, jam Olymp. 110 *Pytheas* Maſſilienſis docuit. *Galilæus* reciprocos illos motus e telluris motu repetendos duxit: idem viſum *Seleuco:* qui cum telluris lunæque globos oppoſitis motibus torqueri, adeoque aërem ipſis interjectum premi dixit, eaque preſſione maris aquas protrudi, ſane *Carteſio* proluſit, qui ex elliptica Lunæ orbita circa tellurem inæqualem aëris preſſionem, adeoque reciprocum maris motum naſci voluit. Origo Nili ſi cui ante hos 200 annos demum reperta creditur, fallitur: viderat dudum veram originem *Anaxagoras*, Ægyptii ſacerdotes non ignorabant, ut *Eudoxus* tradidit. Similiter oſtenditur, quæ hodie Philoſophi de ſede animæ, de origine idearum, de vera ſede ſenſationum ac modo, de odore, ſapore, etiam coloribus & luce exiſtiment, a veteribus intellecta eſſe: etiam *Carteſianam* illam rationem, de ſolis hominibus vere animatis, de brutis anima carentibus, ex veteribus ſumtam eſſe. Nullum animal, nullam plantam niſi ex ovis ac ſemine naſci, *Empedocles* aliique videre. *Plato* & *Stoici* ſomni vigiliæque cauſam eodem fere modo explicavere cum recentioribus. Et hæc quidem tantum ſumta ſunt e *Plutarchi* libello. Quid futurum, ſi quis undique congereret? quam parum reliqui etiam in Phyſicis foret, cujus primam inventionem ſibi recentiores arrogare jure poſſent. Bene *Ariſtoteles Meteor. I, 3. Hanc opinionem non ſolum nos habemus, ſed videtur antiqua hæc ſententia & priorum hominum — non enim dicemus, ſemel, aut bis, aut raro easdem opiniones reverti, ſed infinities.*

HISTOIRE DE POLYBE, AVEC UN CORPS DE LA Science militaire.

hoc eſt,

HISTORIA POLYBII, ADDITO SYSTEMATE Scientiæ militaris. Autore EQUITE FOLARDO Editio Nova, Supplemento aucta. Volumina VII.

Amstelodami, apud Z. Chatelain & filium, 1753, 4.
Alph. circiter 14, Tabb. æn. plag. 53.

Continetur hoc opere, ut amplior titulus indicat, *Polybii* Historiæ nova ex Græco versio opera Dom. *Vincentii Thuillierii*, O. S. B. congreg. S. *Mauri*, cum commentario, vel Systemate scientiæ militaris, notisque criticis & historicis, ubi majora omnia belli momenta, tum quæ ad vim faciendam, tum quæ ad defendendam pertinent, explicantur, demonstrantur, & figuris illustrantur, Autore *Folardo Equ. S. Ludovici.* Cum notum sit opus magnoque plausu exceptum, de ipso multa dicere fas non est. Novæ editionis curam, ut narrant Bibliopolæ, eruditus Batavus habuit, *Folardo* familiaris, adjiciturque ad hunc *Folardi* Epistola, qua de turbis, quas liber ipsi excitaverit, queritur, quoniam alios bellicos duces non satis, ut ipsi quidem judicabant, laudaverat, aliorum errores indicaverat. Manu scripta sua Duci de *Belleisle* legavit, a quo nihil augmentorum ad hanc novam editionem obtineri potuit. Ordo operis hic est: Bibliopolarum Præfationem sequitur *Folardi* ad amicum Batavum Epistola, quas turbas suo veritatem dicendi studio sibi suscitaverit enarrans. Deinde Præfatio *Folardi* in commentarium suum, vitaque *Polybii*, & liber *Folardi*, de illo quem commendat pugnandi ordine, *columna* (*colonne*) dicto. Textui *Polybii* ipsius subjiciuntur notæ, & interseruntur dissertationes ampliores, quarum aliquas saltem nominare liceat. *Lib. I Cap. VII* de pugna navali inter *Annibalem*, & *Duillium.* Quod succubuerit *Annibal* præcipitantiæ ejus, & superbiæ Romanos contemnenti tribuitur. *Corvum* antiquorum, machinam prehendendis & in altum tollendis hostibus, arietibus, & similibus instrumentis quibus ad pugnandum accedebant, accuratius describit *Folardus*, miratus, cur diversissimas hujus machinæ species, generali vagoque nomine, animalis præterea, nihil cum ea similitudinis habentis appellarint, æque ac si diversa armorum, quibus globulos pulveris pyrii ope propellimus genera, omnia *bombardas* vocaremus *Lib. I Cap. V* subjiciuntur animadversiones in pugnam, Regulum inter & Carthaginenses, ad Adin, eaque cum

cum *Tallardi* pugna ad *Spirobacum* A. 1703 comparatur. *Capiti XVIII Libri I* plura subjiciuntur: De crudeliter factis in bello, cujus rei exempla ex bellis religioris causa Sec. XVI Galliam vastantibus adducuntur; de vita & gestis Agathoclis, Syracusanorum regis; de arte exercitum obsidione occupatum perpetuo turbandi; an recte fecerit Amilcar, quod fidem rebellibus non servarit, qua occasione regulam illam: hæreticis fidem non esse servandam, acriter *Folardus* perstringit; de Romanis Sardiniam invadentibus. Denique amplus additur tractatus de impugnandis & defendendis urbibus cujus *prima Pars* sub finem *Tomi II altera* sub initium *Tomi III* legitur. In ea *Folardus* quæ vel antiqui, vel recentiores hac in re egerunt, luculenter enarrat, & sollicite examinat. Multa quæ novi homines nostrorum temporum reperta existiment, in usu fuisse veteribus ostendit, alia antiquata esse, quæ utilius observarentur. Artes vero has tantum non omnes Romanos a Græcis didicisse, Græcos ab Asiaticis, ut frustra se inventores gesserint. Eruditorum vero, qui rei bellicæ ignari verterunt historicos antiquos, aut in eos commentati sunt, vel ipsi de re bellica scripserunt, errores castigat plurimos, ut, cum castra muris ex lapidibus, calce arenaque junctis, cincta scripserunt *Lipsius* & *P. Daniel*; quasi hoc fieri potuisset in castris, aut recens ejusmodi murus firmitatis cujusdem esse potuisset. *Muri* vox in castris trabium lignearum conjunctionem significavit. *Alexandrum M.* magis obsidentem urbes miratur noster, quam aperta acie depugnantem. Hic enim victoriam plerumque ignorantiæ aut timori hostium debet, illic, quanto fuerit ingenio, ostendit. *Musculi* vox alio sensu *Vegetio*, alio *Cæsari* adhibetur. Hujus vinea, illius musculus est. De paupertate vero Linguæ Latinæ in re militari noster queritur. Huc pertinet & hoc exemplum, & superius *corvi*. Præterea voces, quibus Gallicarum *attaque*, *escalade*, *assaut*, discrimina indicent, Latini non habent. *Vegetius*, capite quo conscensionem murorum scalarum ope (*escalade*) describit, hunc præfigit indicem: *Quid faciendum, cum primo impetu venitur ad muros*, & deinde vago *impugnationis* vocabulo utitur. Hinc effectum est, ut, qui verterent Autores veteres, hæc omnia confunderent.

Græcam quoque linguam non ditiorem verbis militaribus pronuntiat. Sed ipſos quoque Lexicorum Gallicorum Scriptores, rei bellicæ ignorantia, parum accurate has voces definiviſſe oſtendit. Antiquos monet pertinaciores longe fuiſſe in defendendis urbibus, quam nos ſumus, ut qui ne quidem hoſti, cum muros ſuperaverat, ceſſerint, ſed in ipſis plateis & foris, foſſis & novis munimentorum generibus ſubito excitatis ſe tuiti ſint, cum noſtri milites, operibus exterioribus occupatis, fere cedant, rarique repetitos hoſtium ad valla impetus ſuſtineant. Sed tota hæc Diſſertatio multa egregia de re militari veterum & recentiorum continet in quibus tamen antiquitatis & literarum latinarum itemque rei bellicæ peritiores non nulla parum probaturos putamus.

Ipſos *Polybianæ* hiſtoriæ libros, ſequuntur legationes, *Conſtantini Porphyrogeniti* juſſu ex *Polybio* excerptæ, deinde virtutum vitiorumque exempla, ex eodem. Figuræ præter mappas aliquot geographicas, intelligendæ hiſtoriæ utiles, machinas antiquorum bellicas repræſentant, acierum ordines, tum quibus inter antiquos pugnatum eſt, tum recentiores, denique eorum, quæ in tactice præcipue propoſuit *Folardus*, ideas. In illis vero, quæ ad antiquitatem pertinent, rurſus non ſecutus eſt eruditos noſtro ævo proximos, *Lipſium*, & qui illum exſcripſerunt, ob rationes jam a nobis adductas, ſed toto hiſtoriæ nexu ſollicite conſiderato, res, prouti geſtæ ſunt, depinxit. Machinarum vero aliquarum exempla fieri curavit, egregiosque illorum animadvertit effectus, ut baliſtas & catapultas quidem, tantum non mortariis noſtris præferat.

Supplementum quod huic editioni acceſſit, *Folardi* nova in re militari reperta (*nouvelles decouvertes ſur la guerre*) Epiſtolam criticam præfecti rei militaris (*officier*) Batavi, item hominis rei bellicæ periti de *Folardi* repertis ſententiam, additis reſponſionibus, continet. Hæc omnia olim jam edita ſunt, & quidem antequam *Polybius* integer prodiret. Igitur nec de his multa dicere opus eſt, præcipue cum vix poſſint ſcripta eriſtica in brevitatem contrahi. Ipſum vero *Polybium* commendandum cenſemus, non iis ſaltem, qui caſtra ſequuntur, ſed & geſtorum antiquorum recentiorumque curioſis. Non enim

enim antiquorum saltem pugnandi rationem illustrat, sed & politicas illorum artes, regnandi rationem & quæ similia sunt attingit, de recentioribus vero bellicis ducibus libere loquitur, res ab iis gestas accuratius sæpe, quam in editis monimentis recensentur, enarrat, & sic historiæ non minus quam rei militari prodest. Præcipua denique libri hujus est laus, quod artis bellum gerendi, quam ad experientiam solam redire plerique sibi persuadent, præcepta exhibet, ostenditque, non secus ac alias artes scientiasque doceri illam posse, ut qui huic vitæ generi se dedunt, felicius multo possint experimenta capere, & quæ recte vel secus geruntur observare, quam si omnis theoriæ rudes accessissent, alii vero quibus hæc ipsa præcepta in usum vertere non datur, intelligenter tamen de rebus ad bellum spectantibus possint judicare. Ceterum nitori hujus editionis & præstantiæ illi omni, quæ libro egregio a cura sua accedere potuit, nihil deesse passi sunt Bibliopolæ, qui eam summo jam Europæ omnis in re bellica magistro, Prussiæ Regi, consecrarunt.

ELOGIUM CHRISTIANI FRID. BOERNERI, Theologi Lipsiensis.

Magnum nuper ornamentum amisit Academia Lipsiensis, mortuo primario Theologici Ordinis Professore, *Christiano Friderico Bœrnero*. Natus erat *Dresdæ* A. 1683, Patre *Jo. Georgio Bœrnero*, JCto, Consiliario in Curia regia & Senatu, qui rebus sacris præest, matre *Geieria*, *Martini Geieri* filia, per quam etiam *Carpzoviorum* genti jungebatur, unde originem illa duxerat. Perreptis a domesticis præceptoribus, literarum Latinarum, Græcarum, atque etiam Hebraicarum initiis, missus est in Academiam Lipsiensem, in ipsis Seculi hujus auspiciis, commendatus omnibus, qui ingenii doctrinæque tum laude & fama florerent. Ipse autem ingenio erat eo, quod omnis doctrinæ liberalis esset appetens, cupiebatque omne genus literarum complecti, quo opus esset Theologo, qui excellere inter ceteros vellet. Itaque Philosophiæ, literis Græcis, Latinis, & Orientalibus, historiæ civili, ecclesiasticæ, literariæ, operam dedit, usus disciplina Virorum Clarissimorum, *Th. Ittigii*, *Gotfr. Olearii*, *Menkenii* utrius-

que & *Cyrilli*. Etiam *C. S. Schurzfleischio* atque *J. Guil. Bergero*, literatoribus Vitembergæ tum celeberrimis, in his generibus literarum uti præceptoribus cœperat, digressus Lipsia Vitebergam: sed eorum disciplina diu frui non poterat, iter in Batavos & Britannos parante *Bergero*, cui comes ire a parente jubebatur. In Theologia Præceptorem habuit maxime *Jo. Schmidium*, accuratæ *Scherzerianæ* disciplinæ alumnum & æmulum, apud quem etiam exercitationibus latine dicendi usus est. Iter institutum sic est, ut per *Halam*, *Helmstadium*, *Hannoveram*, *Hamburgum*, *Bremam*que *Amstelodamum* peteretur, aditis in via, quicunque clari fama essent. Ibi inprimis humaniter se exceptum liberalissimeque tractatum a *Jo. Clerico* prædicabat: sed maxime ei jucunda erat commorationis in hac urbe memoria hoc nomine, quod ex ea egregiam copiam librorum optimorum, etiam *Jos. Scaligeri*, *Salmasii*, *Palmerii*, *Sladi*, aliorumque manibus notatorum, inprimisque nobilem *Epistolarum Paulinarum Codicem Græco-Latinum* deportarat. Hinc *Leidam* cum *Bergero* profectus, visit divitem veteribus libris Bibliothecam Academicam, aditque lumina ipsa, *Vitriarium*, *Perizonium* & *Gronovium* J. F. fil. Post, illo in Britanniam festinante, ipse aliquandiu *Hagæ Comitum*, *Trajecti*, *Leidæ*que commoratur, ut e virorum doctorum colloquiis lectionibusque proficiat: qui eum etiam omni humanitate complectuntur. In Britanniam solvit, adito ante Roterodami *P. Bælio*, e cujus sermonibus se profecisse gaudebat. Nihil *Londini*, *Oxonii*, *Cantabrigiæ* erat vel rerum visendarum ab homine literarum studioso & elegante, vel hominum doctrinæ ingeniique fama illustrium, quod ille non cupide spectaret atque adiret. Hic vidit, atque vel differentes familiariter, vel docentes audivit *Grabios*, *Gagnerios*, *Allixios*, *Caveos*, *Millios*, *Hudsonos*, *Aldricos*, *Dodwellos*, *Bentlejos*, *Covelios*, *Barnesios*, *Whistonos*, *Ockleos*, *Wassios*, *Davisios*, *Nedhamos*, *Sikios*: quorum omnium libenter memorabat humanitatem & benevolentiam, sed maxime *Grabii*, *Bentleji*, *Wassii*, *Davisii*, *Nedhami* & *Sikii*, a quo etiam literis Arabicis est institutus. Aditum ad omnium benevolentiam, parabat ea, quam ipsa natura

tura ei adjunxerat, blanda animorum conciliatrix, mirifica quædam & magna venustate condita comitas. Assiduus in Bibliothecis erat, perlustrans Codices MStos, describens etiam quædam, in his *Josephi Hypomnesticon*, editum postea a *J. A. Fabricio*. Ita anno prope integro in Britannia exacto, per Frisiam occidentalem & Groningensem tractum, Hamburgum denique, rediit Lipsiam, exeunte A. 1706. Ibi mox suffectus *Ottoni Menkenio*, in moralis Philosophiæ Professione, anno post *Gotfr. Oleario*, qui a Græcarum literarum Professione ad Theologicam transierat, successor datus est, paucis annis interjectis eidem Collega additus in Theologico Ordine, in quo ad primum paucis annis locum pervenit, auctus etiam aliis Academicis ornamentis, ut Canonici Cizensis, & mox Misenensis, alumnorum Electoralium Ephori, Consistorii Adsessoris, Academiæ Decemviri, Bibliothecarii, aliisque. In quibus muneribus omnibus fuit singulari religione ac fide, nihil omittens, quod ad ornandam spartam quamque susceptam pertineret. Itaque & de Academiæ rebus omnibus optime meritus est, etiam hoc nomine, quod ipso, cum anno 1710 in magistratu Academico esset, agente, perfectum est, ut sacra in æde Paulina diebus Dominicis fierent. Sed maxime operam dedit, ut studiosos ad Theologiæ veram scientiam, vel interpretandis libris sacris, vel dogmatis tradendis, vel adversariis refellendis, vel Historia Eccl. enarranda, vel librorum symbolicorum intelligentia juvanda, adduceret. Erat autem in docendo mira perspicuitas, & non minor ἀκρίβεια. Tum adeuntibus & consulentibus comis & facilis, promtus etiam ad juvandos, quicunque se ad ejus patrocinium contulissent. Multa scripsit per occasiones Academicas, quarum quædam edidit propriis complexus voluminibus: uno, cui *sacrarum Dissertationum* nomen fecit: altero, quod *de Græcis literarum in Italia Instauratoribus* agit: tertio etiam *Orationum*. Præterea *Jac. Longi Bibliothecam sacram*, cum typis nostris edebatur, recognovit & auxit: qua re non modo a studiosis gratiam iniit, sed etiam ab Autore, qui novæ & majori operis editioni pleraque inseruit, quæ a nostro addita fuerant. Scripsit porro *In-*

Insti-

ſtitutiones Theologiæ ſymbolicæ, natas e lectionibus Academicis, opus perutile Theologiæ ſtudioſis. Præfuit etiam una cum Collega D. *Pfeiffero* Editioni operum *Lutheri*, quæ in hac urbe ante hos viginti annos curata eſt, & Volumen *Reſponſorum Theologicorum* e tabulario Ordinis Theologici publicavit. Majora deſtinarat olim, cum Græcas literas doceret. Habebat enim in animo, recenſere atque illuſtrare *Photii Bibliothecam*, cui rei in peregrinatione Britannica ſubſidia conquiſiverat, itemque *Syneſii Epiſtolas*, quæ cum ſcholiis Græcis MStis extant in Bibliotheca noſtra Paulina: ſed id conſilium abiicere juſſit Theologiæ profeſſio, quæ ei rei neceſſarium tempus eripuit. Quod tanto magis dolendum, quo magis ad eam rem & ab doctrina & a libris bene inſtructus fuit. Habuit enim Bibliothecam, etiam hoc in genere literarum locupletiſſimam, quæ & ab exteris viſebatur. Matrimonium bis feliciter iniit: ſemel cum *Gotfridi Gravii*, Conſularis, *Jo. Georgii* fratris, filia, ex qua reliquit filium, qui *Guelferbyti* medicinam cum laude facit, & filiam, ornatiſſimam matronam, quam D. *Chriſtophoro Wollio*, V. Rev. collocavit: ea autem defuncta, cum *D. Chriſtophori Schreiteri*, JCti filia, ex qua filiam unam, duosque filios, ſuſcepit, quos Patre tanto dignos fore confidimus. Rerum felicium, quibus ſe per omnem vitam beatum cumulatumque fuiſſe, gratiſſimo in Deum animo prædicare ſolebat, ultima ei, ſæpe optata contigit εὐθανασία. Ereptus enim eſt rebus mortalibus repente, inter prandium, ſine ullo mortis ſenſu, ſeptuagenario maior. Quæ etſi matura ætas eſt; tamen mors eius luctuoſa fuit omnibus, qui Viri doctrinam virtutemque noſſent, ſcirentque, iacturam in eo non reparabilem factam. Omnino nihil fuit *Bærnero* amabilius. Pietatis in Deum & purioris doctrinæ ſtudium, ſine oſtentatione, maximum erat, ſumma & inuſitata modeſtia, humanitas, facilitas, comitas, benefaciendi rebus conſiliisque paratiſſima voluntas: quibus rebus effecit, ut eius memoria perpetua & iucunda omnibus ſit futura.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCLIV.

NUMISMATA ANTIQUA, A JACOBO MUSELLO collecta & edita.

Volumina III.

Veronæ, 1751, fol.

Alph. 4 cum dimid. Acc. Tabb. numorum ex ære expressæ 279.

Res numaria veterum, tot effossis e terra mirabili hodie quoque copia nomismatis, cum primum scriniis museorum, velut gemmæ dactyliothecis, composita & ordinata intellegi quodammodo ac descendere in codices, publicarique ingenio graphices cœpit, honestum nitidumque statim literis eorum, qui susciperent, caput extulit. Nam sive *Andream Fulvium* putes aut *Sadoletum* Romæ, seu inter nostros *Hutichium* potius, ei argumento scriptis edendis manus primum admovisse, mox majore utilioreque conatu *Stradam, Zantanum, Vicum, Caulium, Erycium,* (*Erizzo*) *Pisonem:* vix est in quoquam eorum, quod vel contemnas magnopere, vel opinione Seculi minus felicis, ut quædam primordia artium, quod faciunt aliqui benigne, excusare instituas. Quod vero, tali in recensu scriptorum rei numariæ agendo, quidam vel omittunt ac respuunt eos, qui in oris lineamentis regum atque illustrium virorum, quantum eorum a fronte nomismatis spectatur, solis exponendis occupati fuerunt; relictis interea signis, quæ a tergo numi videas: vel quod lineas a buxo char-

tis incussas, aliove ingenio, radioque minus acuto, scriptas neglegentius, ut parum scienter subtiliterque ductas, elevant ac spernunt vulgo: cum sunt valde iniqui, tum etiam, quod non oportebat convenire in homines præsertim antiquarios, monumentorumque vetustatis eruditæ interpretes, graphices artiumque videndarum rudes. Vultus enim & frons pars nummi est, eaque nobilis & primaria: quare non modo laudandi sunt, qui in omni moneta edenda, in uno quoque nomismate delineando, quod noster quoque novus musei sui editor, de quo mox amplius dicendi locus erit, ubique fecit, frontis ac tergi, adversi, ut appellant, nummi & aversi, rationem habent: sed ille etiam bonus, qui imaginis in fronte positæ solius: neque nullus is interpres censendus, qui partis est. Idcirco non debuit, nostra quidem sententia, *Banduri*, verbi causa, egregio Bibliothecæ numariæ libro, omittere vel *Sadoleti*, quæ putantur, imagines, vel *Golzii* Cæsarum memorare vultus, (*les Jaunes de Golz*,) vel alia istiusmodi præcipuæ claritatis opera. Neque oportuit eum secus existimare vel de *Stradæ* lineis, qua est ille editus, vel de *Hutickii*, *Erycii*, *Sambuci*, aliorum, ea de causa, quoniam de buxeis tabellis expressas esse constat: potest enim vel imitari lamnas aheneas, vel superare, si recte tractes, buxum, & fuit ibi scienter scalptum: neque spernere & accusare *Volcameri* in *Parisii* tabulis graphicen, tanquam si esset e buxo, quæ certe de aheneis lamnis ducta est, eisque radio docte probeque scriptis. Sed illi opinantur, quidquid linearum e buxo fit, nihili esse: quod judicium existere qui possit, nisi per magnam imperitiam manus in tabulis æstimandæ, vix videas. Hæc autem atque alia id genus illustrium scriptorum peccata, qualia notari plurima possunt, non quo viri docti, qui erat *Banduri*, summis apud intellegentes laudibus detrahatur, sed eo valebunt in exordio commentandi de illustris *Musei* descriptione nova ac luculenta, eoque dicta a nobis sunto, ut plane videant antiquitatis numariæ studiosi, quibus virtutibus, quæ sunt multæ ac variæ, opus tale censendum sit.

Horum

Horum igitur, quos diximus, exemplo, quo tempore *Morellii* conatus ingentis residua Batavæ tabernæ præbuerunt, Musei item divitis pulcras nomismatum copias Italia explicat, ac nominatim Verona, illa tot rebus, & amœnitate nobilissima: cujus nobis quoque, brevi olim peregrinantium secessu, jucunda ac dulcis memoria est. Ibi enim tribus Voluminibus magnis, luculenta descriptione, signa nomismatum antiquorum omnis generis picturæ linearis beneficio adumbrata publicavit V. C. *Jacobus Musellius*, quæ summo studio, mira quidem felicitate, tempore coegit non magno. Cœpisse enim ista se requirere & componere ante paucos annos ait. At insunt numi lineis adumbrati circiter, 1750, in Tabulis numero 279. In quo mirari subit incredibilem vim pecuniæ Romanorum, unde, cum tantum in annos ex omni metallo e latebris suis terra inexhausta plus jam mille annis præbeat; fornaces, malleus, casus alii, alia barbaries, tot effossa nomismata continuo absumant: reliqua quisque fere peregrinantium per Italiam folle pleno auferat: alia studiis hominum ineptis, obscurissimis in museis, si tamen ea musea sunt, rursus deliteant nunc denique sepulta: tamen habet ille ager ac profert semper, qua pedem res Romana posuit, quod non modo mirifice instruat augeatque in immensum condita olim musea clara, sed quod nova etiam non interrupta rerum serie facile nomismatis vetusti impleat.

Hoc præsens opus, quod ante oculos habemus, honestat primum pulcra epistola, qua totum nuncupavit Autor clementi & secundo post Regem indulgentissimum sideri nostro, Sereniss. Regio Pol. & Elect. Sax. Her. Principi. Ejus, & *Augusti* patris veras laudes ea continet, quibus se felicem diu salvis, & annuat his Deus, Saxonia prædicat. In memoriam redit item illius temporis, quo tempore principis Regii præsentis Verona non modo pulcherrimum & ardens doctrinæ omnis & virtutis studium, sed scientiam quoque, quam nos itidem sæpe, mirabatur. Dein mentionem facit Epistola Principalis Dresdæ musei, quod nomismatis diversi ad millia triginta complexum, Regis augustiss. Patris donum, recte ac

ſcienter ornat & auget elegantia tanti Principis. *Muſellii* vero Muſei monumenta pulcra & literata ſpectantur quidem commode tot imaginum ſcriptis in ære Tabulis, nondum tamen exhauſta editione copia eorum. Nam & in ſucceſſione ac ſerie Cæſarum Seculi præſertim infelicis, quædam obſcuriora, ac protrita, ſtudio, ne ſimul ederentur, omiſſa ſunt, & reſtant alia conquiſita vetuſtatis eruditæ veſtigia, ut ſigna & alia ejusmodi, quæ ſe deinceps eodem picturæ linearis beneficio codicibus tradita publicaturum eſſe, ait Autor, idque ne dubitet facere, rogamus eum. Scienter autem & recte ſic ordinatas nomiſmatis vetuſti copias propoſuit, ut Regum primo Populorumque & Urbium numi Græci, in quibus infrequentes aliqui & rari, Tabulis XXV ad 250 numero, prodeant: mox imperii Romani principum usque ad extrema prope rei *Byzantinæ* tempora ſeries, propemodum, ut nobis percurrentibus videbatur, continua ac pulcra, Tabulis amplius CCXXX: porro maximo æris Volumine percuſſi numi antiqui ac rari: denique reliqua quædam muſei omnimoda nomiſmata, inter publicandum ſero parata,aut alioqui in ſerie locis ſuis omiſſa. Urbium quidem numi nominibus earum in literis digeſti: Auguſtorum & Cæſarum nomiſmata ſucceſſione & in annos: quod conſilium Occonis exemplo ſuſceptum, utut ſuper diei conjectura dubitationis habeat multum, laudamus tamen pro rei natura, cum aliqua ratione utcunque ordinata proponi præſtet, quam nulla. Nam ea, quam alii quidem tenuerunt, in magnis præſertim copiis, nulla eſt. Metallis tribus nomiſmata non diſtinxit, ſed mixtim habuit, quod item non improbandum eſt, ac defenditur *Golzii* exemplo: quanquam *Zantanus* & alii aliter inſtituerunt. Tamen & percuſſos in coloniis, & Græcos Imperatorum numos, ſeparatim a reliquis poſuit, diligenterque & metalli notam indicem, & quantum orbis numi cujusque pateat, adjecit. In Græcis argenteis præterea etiam pondus exactum ad drachmam vellemus, quando vix æſtimari diverſim craſſi ex orbium menſura poſſunt. Si quis comparare hujus muſei copias cum aliorum velit, *Auguſti* nomiſmata habet ſignis diverſa am-

amplius LXX, *Tiberii* XXX, *Neronis* ad LX, *Vespasiani* ad LXXX. In his aurei aliqui, aerei majores sane multi, atque illi nobilitate signorum rara spectandi; cujus rei infrequentius obviis nota astericus in Tabulis additur. Ad summam recte & intellegenter pleraque gesta, convenitque putare, pro reliquis operis pulcri bonis, quidquid editioni propositum est, notas ubique vetustatis sincere perspicuas habere. Quare, ne vel nos minus candide laudes operis solas, neque item desideria nostra, augendis earum rerum doctrinis utilia, boni publici causa professi videamur, aut minus ampliter existimasse de virtutibus editoris, tanquam si gravari hanc suffragii nostri libertatem velit, minora quaedam pace illius monebimus sparsim. Quod ad lineas quidem, earum in Tabulis subinde, qua signa numorum adeo pulcra reddenda fuerant, qua literae veteres, suae, quam in metallo, nomismatis obtinent, speciе plane, manum ejus, qui radio in lamnis aheneis scripsit, requirimus, non doctiorem illam, est enim docta, nec spreveris, sed operum nobilitati intentam magis, magisque sollicitam. Nobis inclementiore artibus ejusmodi coelo saepe cum ingeniis fabrorum confligandum est, qui, elegantiae subtilioris ignari, reddere antiquae vix possunt. Illi ocellis Italiae, qua ferme nata pictura creditur, possunt sane: sed exorandi sunt, ut velint. Non superari illos a *Golzio*, sed vincere ejus lineas oportebat, qui etiam praesertim in illis imitandis literarum elementis veterum bonus est. Ad quas nisi accurate adspexeris, nescias verbi causa, quod in numis duobus *Augusti* quater editum est ΣΕΒΑΣΤΩΣ pro ΣΕΒΑΣΤΟΣ, quod etiam meminimus in Coorum Augustis *Valentem* edere, aeris vetusti autoritatem habeat, an ex aberratione manus artificis natum sit. Eo quoque delineandis numis sollicita praestanda est cum intellegentia cura, quod inter se exempla unius nomismatis, eisdem signis, antiqui, rebus quibusdam minutis plerumque distant, quas res nisi arripiat pictoris docti diligentia aliquo eruditionis fructu interpretem privet. Atque ista super lineis hactenus.

TAB. X num. 1 & 3.

Ad feriem Imperatorum fi adfpicimus, omittemus enim Græca & prifca, multa huic *Mufeo* nomifmata adfunt pulcra inprimis & rarius obvia. Sunt etiam, nifi nobis blanditur eorum graphice, integra fatis pleraque & intacta a tanti temporis injuria. Inde ut illuftria quædam & cognitæ raritatis in confcientia multorum, non rariffima e literis reconditis, atque ideo obfcura, ponamus, funt ibi Cn. & Sex. *Pompejorum*, *Cæfaris*, *Cleopatræ* ac Triumvirorum præclara nomifmata. Sunt *Drufi*, funt *Germanici* fingulares denarii: adde *Agrippinas*, *Poppæas*, *Octavias*, *Britannicos*, facrificia, portus, arcus, bafilicas, allocutiones, & quæ funt ejusmodi, ære magno.

Eft *Otho Græcus* æreus orbe mediocri, qualem videre apud alios item meminimus, & idem denariis, quales nobis quoque adfunt non infrequentes. Ne *Domitillas*, *Domitias*, *Julias Titi*, *Plotinas*, *Matidias*, *Marcianas*, aliasque *Auguftas* minus parabiles, quas ibi fpectes, moremur: eft *Pefcennius* & *Albinus* multiplex: eft *Diadumenianus* utroque item metallo: eft *Paulina* ære magno: eft *Maximus*, funt *Gordiani Africani* duo, & *Balbinus*, & *Pupienus*, & *Æmilianus* utroque ære, & alia ejusmodi. Tranfeo ære maximo, ut vocant, quædam nomifmata egregia publicata, ut *Getæ*, ut *Macrini* cum *Diadumeniano*, ut aliorum. In quibus ille prior numus eorum genus eft, quos anulo aheneo circum inclufos, *contorniatos* appellare folent: quanquam alii aliter, & alios hoc vocabulo cenfeant.

His nomifmatis ita digeftis, ac beneficio picturæ linearis totis adumbratis, quo planius & ora imperatorum in fronte numi femper exhibita, & a tergo figna numinum fpectes, quod *Golzii Morellii*que fere exemplo fit, interpretis enarratio brevis & proba fcienterque adornata fingulari operis Volumine accedit.

Quæ expofitiones omnium numorum id habent commodo ftudioforum boni, quod nominatim & accurate laudantur in quoque nomifmate fcriptores, qui de eo ante tradiderunt. Unde fit, ut quam utilitatem *Mediobarbæ* diligentia quondam præftiterat, nunc hujus *Mufei* commentarius fere præftet uberius,

nius, quo facilius linearum e similitudine, quam e verbis interpretum, numos agnoscimus. In eo commentario ista venia, quam supra poposcimus, utemur: ac debent istud editores ingenii quisque sui beneficium nostrum habere, aut si quid imperite judicamus, nos eadem cum simplicitate libertateque invicem corrigere. Itaque videtur in hoc opere inter bona ista, quæ laudavimus, sæpicule peccari scriptura & interpretatione Græcorum verborum. Latinam vero orationem non ita esse simplicem ac mundam sentias legendo, qualem nitor hujus argumenti propemodum exigebat, gravabuntur Lectores fortasse multi. Ea cautio nostra ac postulatio ne importuna ac levis, ut minuta rimantium, possit haberi, purgatione quadam necessaria causam eam præmunire ideo curavimus. Eo minus autem dubitavimus hac uti simplicitate nostra, quo liberalius scriptoris ejus ingenium videtur in agnoscendo, quod sit emendandum. Cujus virtutis vestigia in bene ac scienter correcto *Galba* prænomine *Servius*, pro *Sergius*, (*pag. 37*) apparent.

Inter Siciliæ Reges *Phintias* memoratur. Agrigenti quidem hoc nomine tyrannum *Diodorus* prodit: in *Golzio* urbis hoc, non hominis vocabulum, de nomismatis editur. Si tamen est hic nomen regis, non hæc duo, *βασιλέως* & *φιν]ίας*, ut conjungit interpres *Musei*, conjungenda esse videntur, primus & rectus casus, cum obliquo, *Phintias* & *Regis*: multoque minus scribendum inserto Θ, ut ibi scribitur, PHINTHIAS; neque magis ibidem IERON, pro *Hierone*, & ΠΙΡΡΟΥ, & *Bythinia*, & ΑΙΓΗΠΤΟΥ, elemento luxato, vel in affinia migrante: & redditum ΣΩΤΗΡΑ ibi quoque, *Servatrix:* mox in Agathocle id ipsum recte scriptum, ΣΩΤΕΙΡΑ, sed redditum, *Salus*. Nihil attinet posuisse plura ejusmodi, ut *Vas diotum*, pro diota, *tripus supra quam: instans prora*, pro *stans in prora:* & alia, quæ, ne exsequi minutim & morose videamur, omittimus. Relinquimus etiam ea, quæ aliquo vel malo Latini sermonis Autore, ut *Ammiano*, defendi utcunque possunt, quale est *duæ cornucopiæ* modo positum, modo, *duo cornucopiæ:* & communia quædam ei cum aliis

TAB. VIII n. 8 pag. 11, 10.
pag. ead. 11.
pag. 18.
10.
18.
88.
91.
62.
82.

aliis numariæ antiquitatis ſcriptoribus, ut *querceam coronam* edere malint, quam nitidius, *quernam; quadrigam* potius, quam *quadrigas: typum, figuram*, aut aliquid ejusmodi male, pro ſigno: *acroſtolium* minus proprie, pro apluſtri: *ſcipionem*, pro ſceptro. Quorum aliqua placere poterant in loco parce poſita. Sed eligunt & frequentant hæc aſperiora vulgo, dum metuunt, ne non ſatis antiquarii ſuetis ac populi verbis putentur. A verbis ut in rei cujusdam emendationem divortamus, traditur *Aurelianus* in ſigno numiſmatis, *togatus* Pag. 347. *& paludatus*. At qui poteſt utrumque? cum paludatum proficiſci ſit contrarium ejus, quod dicitur, togatum eſſe. Quid, quod in numo illo, qui hoc elogio editur, togam imperatoris agnoſcimus: paludamentum non videmus: neque usquam meminimus legere, paludamentum inductum togæ fuiſſe. Tunicæ videlicet aut loricæ tegendis addita chlamys, ſagumque vel paludamentum, quod numi frequentes & lapides loquuntur, non togæ.

Operis pulcri tandem in exitu Tabulæ adjectæ indices, in literas digeſtis ſummis & argumentis eorum, quæ inſunt. In his eſt etiam enumeratio librorum accurata, & rei numariæ ſcriptorum, quibus Clariſſ. Autor operis ſe uſum fatetur. In his non tam *Laſtonaſam* aut *Piſonem*, aut *Boterovium*, requirimus, aliosque rarius obvios, neque *Caulium, Panuinium, Gorlæum, Chifletios*, bonosque alios, at ſepoſitos fere hodie, quanquam injuria: ſed omnino *Auguſtinum Sada, & Pariſium, & Triſtanum, & Ducangium*, aliosque ſimiles: denique quædam *Patini, Sponii, Begeri, Spanhemii, Valentis*, principum fere ejus ſtudii, ſcripta proba deſideramus: quæ adhibita in his commentariis concinnandis utiliter forent. At hos in conſilium honeſti operis editor ſi vocaſſet, ſi librorum optimorum, quos adhibuit, vera & prima exempla, ut ἀχέτυπον verbi cauſa *Golzium*, (non enim tam quid *Nonnio* ſit viſum, ſed quid *Hubertus Huberti* edat, quærimus) poterat carere autoritate *Geſneri*, & aliorum quorundam, quorum quidquid dedit laudanda induſtria, illorum principum fide ſtaturum dedit. Laudari ibi etiam Valentem (*Vaillant*) *de praſt.*

præſt. num. vidimus; quod *de Præſtantia numiſmatum*, ut novum & incognitum ejus viri opus, legentes, imperitiam noſtram accuſabamus, quos, Valentis omnia conquiſiſſe opinantes, hoc fugiſſet. Sed eis verbis, *Numiſmata Imperatorum Rom. præſtantiora*, nota ac pervulgata illius commentaria, citabantur.

CHRISTIANI MULLER SATURA OBSERVATIOnum Philologicarum maximam partem Sacrarum.

Lugduni Batav. apud Joannem le Mair, 1752, 8 maj. Plag. 13.

Hoc Opuſculum non eſt ejus generis, quod argumentum unum concinno ordine pertractet, ſed in quo Clariſſ. Autor latam quandam ſilvam ingreditur, ex eaque decerpit, quæ accuratiori inveſtigatione ac illuſtratione egent, quo difficultates ſi non tollantur omnino, minores ſaltem ac leviores evadant. Potiſſimum Geographiam antiquam, ſpeciatim Ægypti, luce nova conſpergendam ſibi ſumſit, & locos quosdam Sacræ Scripturæ ab obſcuritate ſua vindicare, eſt annifus. In ſubſidium advocavit linguas orientales, cumprimis Arabicam, imo omnem apparatum Philologicum, in quibus egregiam operam poſuiſſe, lectio eruditæ hujus opellæ unumquemque abunde docebit. Mos eſt ipſi, diverſas eruditorum conjecturas proferre, expendere, tum ſuam ſubjicere ſententiam, rationibusque ſtabilire. Sed vero, quoniam nobis in hoc recenſu longioribus eſſe non licet, id tantum dabimus, quod erudititſſimus *Mullerus* ex proprio penu depromſit. Disquiſitiones ſuas *XIII Capitibus* circumſcripſit, ex quibus, quæ notatu digniora viſa ſunt, enotabimus.

In Præfatione inquirit in rationem vocis *Ægyptus*, quam ab Arab. גאובאטון quod cum Ebræo גב & Chald. גוּב *lacus, fovea*, conveniat, unde *Herodotus* & *Ariſtoteles* Ægyptum

ptum olim ἕλος fuisse affirmant. *Gubt* autem, *b* in *p* mutato, est ipsum Græcorum γυπτ, cui si præfigatur Copt. HI *domus*, uti in ביתארם, ביתנהרים, integram vocem Ἀιγυπτος enasci. *Cap. I* inquiritur in natales vocis *Nilus*, quam non ex נחל, sed ab Arab. נאבלא *colorem Indicum cæruleum* denotante, reperit; Nilum autem fluvium a colore *cæruleo*, id est, fusco, nomen traxisse, ex antiquis haud pauci docent. Aliam ex lingua Coptica derivationem ostendit Cel. *Jablonskius* Panth. Ægypt. *P. II pag.* 156, 5. Simulacra Nili e nigro lapide confecta fuisse, perhibet *Pausanias* in Arcad. *pag.* 493. Nili nomen multis viris in Ægypto, & extra illam, adhæsit. Græcis & Latinis Scriptoribus

Pag. 1-11. dicitur μέλας & Melo. *Cap. II* investigatur in nomen Siris. שיחור eundem esse, qui נחל מצרים, negatur. Siris dicitur etiam *Giris*, *gris*, *Niger*, *Gir*, *Nigir*, quæ nomina facile conciliantur, si radix statuatur חרר, vel חר aut חרה, quæ in plerisque linguis orientalibus, apud ipsos Æthiopes, notat *arsit*, *æstuavit*, *adustus fuit*. *Siris Dionysii*, pergit, est pro giris, sibilo in locum gutturalis assumto, quod utrumque ad γυρ referendum; Girin autem ab aquis valde nigricantibus dictum fuisse, putat: porro Ægyptium σερι & σερε

12 - 17. sensu *accendendi* & *urendi* venire, notat. Fluvius hic apud Æthiopes frequentissime ביילון appellatur, unde Pythagoræ illud apud *Ælianum H. V. Lib. IV Cap.* 17, ἡ δὲ ἶρις, ἔφασκεν, ὡς ἡ γῆ τῷ Νείλῳ, *irin*, *aiebat*, *esse instar terræ Nili*. Terra Nili cum iride, quæ purpurei est coloris, confertur. *Cap. IV* loca quædam Nov. Test. illustrantur.

17 - 21. *Matth. XII*, 20, leguntur verba ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν, quibus non ad *Jes. XLII*, 3, sed *Habac. I*, 4, respicitur, נצח quippe non solum *victoriam*, sed & veritatem notat. Aliam addit interpretationem, quam vero, quoniam aliquid eidem substernitur, quod ante probandum erat, missam facimus. Difficultatem, quæ est in verbis *Marci Cap. XI*,

21 - 23. 13, hunc in modum expedivit. Notat ex *Josepho* de *B. J. Lib.*

Lib. III Cap. 10, in terra Gennesaritide ficus per 10 in anno menses fructus tulisse. Christum igitur, qui maximam partem cum discipulis in Gennesaritide versabatur, ubi vidit ficum, jam folia protrudentem, ratus, & hoc in tractu fructibus gaudere, ad illam accessisse. Voluisse autem exsecrationis fulmine illam percutere, quo gloria sua manifestaretur. confert, *Luc. XIII*, 4, 5, *Jo. IX*, 3. sed forsitan ex hac conciliatione alia difficultas emergit. *Jo. III*, 5, ad baptismum Pag. 23 - 28.
respici probat, quoniam *ῥῆσις ἄνωθεν γεγονέναι vers. 3* in negotio baptismi haud infrequens, & baptismus *λοῦτρον παλιγγενεσίας*, *Tit. III*, 4, nominetur, ac per baptismum credentes dicantur sepulti cum Christo, ut in novitate vitæ ambulent. Illustratur hoc ex baptismo proselytorum, qui similes infanti recens nato habebantur; porro confirmatur locutione, *ex aqua & Spiritu*. Ipsi Judæi baptismum fieri debere dicunt, per aquas supernas, quas etiam nomine *feminis* insigniunt. Christum tribunali *Pilati* impositum fuisse ad 28 - 33.
Jo. XIX, 13, ostenderat Clariss. *Schættgenius*; noster, testimonio *Tertulliani* contra *Praxeam Cap. 16* confirmat. De more, tribunalia pone imperantes gestandi, locum ex *Josepho A. J. Lib. XVIII*, 5 adducit. *Cap. IV* differitur de vasta solitu- 33, 34.
dine, quæ Ægypto munimenti instar præcingitur, quæ dicitur a situ, quod fuerit על פני מצרים *contra faciem Ægypti Gen. XXV*, 18, 1 *Sam. XV*, 7, per quam via in Ægyptum proxime duceret 1 *Sam. XXVII*, 8. & sic porro, in quam Israelitæ, ubi e sinu Arabico emerserant, se immiserint, *Exod. XV*, 22. Appellatum fuisse שור, quia munimenti instar præcincta fuerit Ægypto, atque ab opposita Iduмæa & Syria disterminaverit. Probat 1) ex nomine שור *murum* designante, a *præcingendo*, quod post *Aben-Esram Schutensius* adstruxit, hinc *Philo* illud per τεῖχος convertit, & tota regio מצור appellatur, *munita*. Quod ipsum etiam conveniat cum descriptione *Diodori Siculi Lib. I. Bibl. pag. 35*, & *Lib. XV*, *pag. 34*, coll. *Joseph.* de *B. J. Lib. IV*, *Cap. 10*. 2) *Onkelosus* & *Jonathan* reponunt חגורא *cingulum*, in genere quodvis *sepimentum*; ita etiam Syrus & Arabs vertunt. 3) Situs determinatur ex

 histo-

historia Amalekitarum *1 Sam. XV, 17* qua occasione quædam circa ea monentur, quæ *Josephus A. J. Lib. VI, Cap. 7*, & *Hie-*
Pag. 35 - 41. *ronymus* ad vocem Gerara habent. Sed quod *Exod. XV, 22.* dicitur שׁוּר *Num. XXXIII, 8*, appellatur אֵתָם, quam difficultatem ita expedit; primum generalius dici, eos in desertum venisse, inde per tres dies in solitudinem Etham pervenisse, quæ vox, judice Ven. *Jablonskio*, Diss. V de terra Gosen,
41 - 44. sit Ægyptiacæ originis, *terminum maris* designans. Nominatur שיחור *Jos. XIII, 3*, coll. *1 Chron. XIII, 5*. Græcus verba *Josua* reddit, *ἀπὸ τῆς ἀοικήτου τῆς κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου*, igitur ipsum illud desertum, non rivus prope Rhinocorura indicatur, ut hinc שׁוּר & שיחור unam eandemque solitudinem, duplici nomine insignitam, designet. Vox שיחור probabiliter est a סחר *circuivit, circumdedit*, ס cum שׂ permutato, ut hinc שיחור fit idem quod שׁוּר, & Arabicum חגאלון *circuitus terræ, Jos. XIX, 26.* per שיחור non intelligendus fluvius crocodilis abundans, sed forte *tractus*, vel *circuitus terræ amplus & spatiosus*, inter montem Carmelum & mare.
44 - 51. *Jes. XXIII, 3*, habemus שִׁחוֹר, quam vocem Græcus, Arabs, & Syrus, transferunt *mercator*, ut hinc ipsis idem fuerit, quod סֹחֵר *mercator*, Chaldæus adhibet abstractum סחורא *negotiatio*, Masorethas in locum סֹחַר substituisse שיחור, divinat. Verba מי שחור *Jer. II, 18*, latinus reddit *aquam turbidam*, mavult tamen erud. Autor, propriam esse appellationem Nili, si non in ipsa Ægypto, saltem apud Ebræos, &
51 - 54. vicinas gentes. Vocis *Nisroch*, quo de agitur *Cap. V*, quod *2 Reg. XIX, 37*, *Jes. XXXVII, 38* memoratur, originem petit ab Arab. נאסרא *juvit, adjuvit*, præcipue *contra hostem*. Si quis autem radicem constituat סארחא quæ in conj. 4, notat, ad *clamorem venit, opem tulit, eave juvit*, conj. 10, *opem imploravit; Nisroch* erit *adjutor ejus, qui opem imploravit*. Probabile est, aliquem regum Assyriorum sub hoc nomine coluisse. Quis autem ille fuerit, num *Belus*, qui idem ac Assur, an *Nimrodus?* definiri nequit. In serie regum Assyriorum *Thuras, Zamis*, sive *Ninyæ* filius, appellatur, quo de *Suidas, Joannes Antiochenus, Cedrenus*. *Bochartus*

tur Phaleg *Lib. II Cap. 3*, vocem ex אתור vel אתירא *Assur* corruptam fuisse, nec unquam hujus nominis regem exstitisse, judicat. Quod Græci de fortitudine regis hujus narrant, id forte natum ex voce θέρας, seu θέρος, quæ *strenuum, fortem*, & *bellicosum* notat. Hoc igitur generatim dicere licet, sub nomine *Nisroch* latere *heroem*, sive *principem gentis Assyriæ*, qui ob egregia facinora, in hostes edita, honores divinos post mortem sit consecutus. *Cap. VI* disceptatur, quæ Pag. 54 - 64.
urbs per עיר הרס, *Jes. XIX, 19*, sit intelligenda, & quæ appellationis sit ratio. *Leontopolin* innui censet. quoniam autem id ipsum erudite ad liquidum perduxit *Ikenius* Diss. theologico-philol. *pag. 258 seqq.* huic demonstrationi non multum inhæret. Quo jure *Bochartus* in epist. ad Sant 65 - 68.
Amantium *pag. 1198.* *Josephum* erroris geographici arguat, *unum idemque templum Leontopoli, Heliopoli* & *Bubasta collocando*, anquirit. *Josephus* munimentum Bubastidis agrestis non affirmat ipsam fuisse *Heliopolin*, sed tantum in præfectura *Heliopolitana* positum fuisse. Porro notaverat *Josephum*, quod Bubastum & Leontopolim inter se confuderit, non cogitans, plura uni oppido cognomina ab Ægyptiis imposita fuisse. In confirmationem adducit testimonium *Dionysii*. Urbem Bubastidis Leontopolim fuisse dictam, suspicatur *Vaillantius*, ob exundantem Nilum, cujus incrementum symbolo *leonis* pingere essent soliti, *Horapollo Lib. I Cap. 21.* Prophe- 68 - 72.
tam h. in l. non de templo, in honorem Dei exstruendo, vaticinari, demonstrat; ad tempus potius illud, quo Sennacheribus, Assyriorum rex, in Judæam & Ægyptum expeditionem susceperit, sed qui, audito Taraconis, Cuschæorum regis, adventu, ad suos reversus, mortem oppetierit, respici arbitratur. quem in finem excitat quæ *Josephus A. J. Lib. X Cap. I.* habet, quæque *Herodotus* commemorat *Lib. II Cap. 141.* Hunc Taraconem, auxilium contra hostes ferentem, nominari מוֹשִׁיעַ וָרָב *servatorem* & *patronum v. 20.* Quinque urbes, locuturæ linguam Canaanis, sunt ipsi urbes Ægypti, in quas Judæi concesserint, qui, cum verum Deum venerarentur, Ægyptios suo exemplo exstimularint, ut, diis fictitiis missis,

 uni

uni Deo verum cultum præstare occeperint. *Viam stratam*
in Ægyptum, & cetera *verf. 23* explicat de illo temporis inter-
vallo, quo bella Assyrios inter & Ægyptios fuerint sopita.
Pag. 72-79. Interpretatio hæc fere eadem est, quæ *Grotii*, etsi aliquantu-
lum immutata & emendata. Sed ne quid de reliquis dica-
mus, si etiam Judæi in Ægyptum demigrarunt, num probabi-
le est, ipsos Ægypti incolas, si non omnes, saltem cives suos, a
superstitione crassissima abduxisse, cum iisdem exosi essent,
eorundemque instituta abominarentur. Per רהב *Ps. LXXXVII*,
4, non Ægyptum, sed tractum illum sabulosum, qui fluvio
Bubastico ab oriente protenditur, intelligit, cujus tractus inco-
læ, quoniam inter illos referuntur, qui Deum norint, uti *Jes.*
XIX, *21*, non dubitat, psalmum hunc tempore *Hiskiæ* consi-
80-82. gnatum fuisse. *Cap. VII*, aggreditur explicationem verbo-
rum *Jesaiæ Cap. XXX*, *6*, 7, quæ ita interpretatur, *onus*, seu
prophetia gravis bestiarum austri in terra angustiæ & arcta-
tionis, ex quibus leæna & leo fortis, vipera & pratervolans
sunt, cetera. Bestias explicat de illarum signis quæ Ægyptii,
in bellum tendentes, secum gestarint, ad terrorem hostibus
83-95. incutiendum. In testimonium adducuntur, ***Plutarchus*** de Isid.
& Osiride *pag. 379*, ***Eusebius*** de præp. evang. *Lib. II*
Cap. I. His animalibus, loco Deorum habitis, sanctus vates
grave onus denuntiat רהב הם שבת *Rabab* (*ferocia*) *illi*, *ces-*
satio. Non Ægyptum intelligit, & proinde examinat locos,
95-106. in quibus vox occurrit, uti *Ps. LXXXIX*, *11*, *Jes. LI*, *9*, *Ps.*
LXXXVII, 4, ac suæ inhærens sententiæ, regionem coram
amne Bubastico innui censet. Hinc vestigat, quare nomen
hoc huic regioni inhæserit? Ibi loci terram Gosen fuisse ad-
struit, post *terram* Herculis appellatam, quæ, quod contra
Vener. *Jablonskium* disputat, non in superiori Ægypto,
ubi *νόμος* Ἡρακλεώτης, sed potius in inferiori quærenda. His
præmonitis, verba explicat *Rabab illi*, *cessatio*, sive *impotentia*,
hoc est, *formidolosa* illa vis, quo modo *animalia* austri in ter-
ra *Rabab* appellantur, ea (animalia) sunt & vocabuntur *impo-*
tentia. Cujus suæ interpretationis rationes in sequentibus con-
firmat, ac implementum invenit in ***Sethone***, rege Ægypti, qui
in

in ſcriptura dicatur *Soo*, & *Seve*, *Manethoni Sevechus*, qui homines, militiæ in Ægypto vacantes, tanquam parum ſibi utiles, contemtui habuerit, indeque ſecutum fuiſſe hoc, ut, cum Sennacheribus in Ægyptum impreſſionem faceret, operam ſuam illi negarint. *Cap. VIII*, locis quibusdam N. Teſt. Pag. 106-113.
ex magiſtrorum locutionibus lucem afferre nititur. Appellantur θλίψεις, ſive *παθήματα τοῦ Χριστοῦ 2 Cor. I, 5, Phil. III, 10, Col. I, 24, Apoc. I, 9*, quas ex חבלי משיח explicandas eſſe, ſtatuit, qui ex Judæorum mente, partim a Meſſia, partim a piis Iſraelitis, exantlandi fuerint. *Ebr. XI, 26*, nominatur *ὀνειδισμὸς τοῦ Χριστοῦ*. *Elſnerus* & *Haſæus* explicuerant, *ignominiam propter Chriſtum Moſi* illatam. Noſtro dubium videtur, quare *Moſes* propter Chriſtum potius, quam propter ipſum Deum, ærumnas perpeſſus fuiſſe dicatur, cum tale quid in hiſtoria Vet. Teſt. non extet. Quod non exſtat *κατὰ τὸ ῥητὸν, κατὰ διάνοιαν* exſtat; non pugnat, pati propter Chriſtum & ipſum Deum, nominatur autem Chriſtus, quia cum eo crebrius verſatus eſt *Moſes Act. VII, 38*. Vox *ἀπολύτρωσις* 114 - 120.
confertur cum Ebræorum גאולה, quo deſignetur *tempus liberationis ab omnibus calamitatibus*, expectandæ in reſurrectione mortuorum, indeque locum *Ebr. XI, 35*, explicat. Πα- 120 - 125.
λιγγενεσία, Matth. XIX, 28, eſt ipſi *rerum inſtauratio*, ſive *periodus*, a tempore reſurrectionis ingreſſura, uti *Baſilius Orat. I* de creat. *pag. 6, Dionyſius* Hierarch. Eccleſ. *pag. 7* explicant. Verba, *ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ* 125 - 127.
θρόνου δόξης αὐτοῦ, non refert ad regnum Chriſti, quod adiit, ubi conſedit in ſolio gloriæ ſuæ, cujus contrarium appareat ex *Apoc. III, 21*, ubi duplex ſolium nominetur, alterum, in quo Chriſtus cum patre ſuo, alterum, in quod cum Chriſto fideles collocandi: prius illigat tempori, exaltationem Chriſti ſubſecuto, poſterius fini dierum, *Matth. XXV, 31*, coll. *XXIV, 30*. Concludit hinc, proprie & ſtricte loquendo, neque tunc cœpiſſe, neque hactenus eſſe regnum Chriſti, ſed in fine dierum manifeſtatum iri, *Act. I, 7*. Seſſionem Apoſtolorum in duodecim ſoliis, & judicium illorum, non de ultimo eſſe intelligendum, quosdam recte inculcaviſſe, affirmat. *Hombergium*, ab

ab hac ſententia diſcedentem, notat. Quid vero de 12 So-
Pag.127-130. liis apoſtolorum ſit cenſendum, non definit. Aſt duplex
ſolium Dei & Chriſti ſcriptura non indicat, filius inſidet ſolio
patris eadem poteſtate & gloria, credentes dicuntur ſedere
cum filio, ſuo modo gloriæ ipſius participes. Chriſtus uti-
que, ſimulac ad dextram patris conſedit, regnum occupavit,
ſed illius diverſi gradus ac conſummatio notari poſſunt. Ver-
ba *Pauli Ebr. XII, 27* explicat de ultima mundi immutatione,
ſub finem Seculorum futura, qua de verbum **σαλεύεσθαι** ad-
130 - 132. hibeatur, *Matth. XXIV, 29, Marc. XIII, 25* alibi. *Cap. IX*, ex-
penditur quæſtio de torrente prope Rhinocorura. Verba *Jeſaiæ
Cap. XXVII, 12*, עד נחל מצרים, Græcus vertit ἕως Ῥινοκορού-
ρων. Rivi prope Rhinocorura primam injecit mentionem *Hie-
ronymus* ad *Amos VI, 14*. Nominatur ibi נחל ערבה, *torrens
ſolitudinis*, per quem non torrens Ægypti, ſed Arnon innui-
tur. Hujus rivi pariter meminerunt *Auguſtinus* de *C. D. LXVI,
24*. *Brocardus*, *Quareſmius*, qui rivum, e Nilo prodeuntem,
per ſolitudinem usque ad mare, inter Rhinocorura & Pelu-
ſium, provolvi, perhibent. Alii in illa verſantur ſententia, ri-
vum Ægypti peculiarem fuiſſe torrentem, cui cum Nilo com-
mune fuerit nihil, ab ortu verſus mare procedentem, ad pla-
gam auſtralem urbis Rhinocorurorum. *Rich. Pocockius* in
Tab. Ægypti præmiſſa *Tom. I* itinerarii, juxta oppidum iſtud
rivulum ſignavit, cum epigraphe, ***Sibor Fl. Ægypti***; ſed ipſe
fatetur, ſe delineationem oræ maritimæ ex Tabulis nauticis
tranſtuliſſe, quibus tamen non multum fidendum. Silent
contra de illo *Thevenotius*, *della Valle*, M. a *Raungarten*,
Furerius, *Schaw*, alii. Cenſet igitur, ex monachorum, *Hie-
ronymi* autoritate ſubnixorum, traditionibus, rivulum hunc in
tabulas vulgares fuiſſe intruſum, indeque in tabulas nauticas
132 - 142. transſumtum. Torrens *Wadalar*, quem erud. *Ikenius* rivum
prope Rhinocorura eſſe autumat, eſt vallis, quod & vox indi-
142 - 147. cat. *Eratoſthenes* apud *Strabonem Lib. XVI pag. 1076* nomi-
nat flumen circa Rhinocoluram & Caſium montem; quo-
niam vero ex veteribus neminem conſentientem habet, *Stra-
boni* merito vapulat. Apud hunc, pro **εἰς τοὺς ποταμοὺς, εἰς**

τὰς

τῆς πόλεως, cui lectioni Codd. MS. faveant, est legendum, quod ipsum jamdum Celeb. *Millius* observavit. Hinc infert, istiusmodi rivum prope Rhinocorura non exstitisse, nec limitem terræ Israeliticæ, hac in plaga, effecisse. Quare autem LXX h. in loco posuerint ἕως Ῥινοκορούρων, arcessendum putat ex testamento *Noachico*, quo terminus portionis *Semi* & *Chami* ad urbem Rhinocorurorum constituitur. Exhibent illud *Eusebius Lib. I* Chron. *Syncellus* Chron. *pag. 45 Cedrenus*, comp. historiæ *pag. 10* alios nominat *Fabricius* Cod. pseudep. Vet. Test. *Tom. II pag. 265*. Illius quoque meminit *Epiphanius* in Ancorato *Cap. 114* & libr. hæres. *LXVI pag. 703 Philastrius* autem Catal. hæret. *Cap. 117*, hæreticis accenset illos, qui de veritate divisionis illius disputent, vel eandem negent. Traditionem hanc antiquissimam esse, ex paraphrasi *Jonathanis* ad *Deut. XXXII, 8* probatur: apud Ægyptios etiam viguisse, qui orbem in LXX regiones diviserint, *Horapollo Lib. I, Cap. 14*. Hinc probabile Autori videtur, Ægyptios in sua orbis divisione, quæ cum illa Ebræorum mire conveniat, eundem *Chamo* ab oriente limitem posuisse, sicque Græcum interpretem, ut invidiam declinaret, pro rivo oppidum nominasse. Oppidum Rhinocorura, nomen, non ab amputatis civium naribus, tulit, sed ab Arab. כראיר *operimentum, locus quietis, mansio*, quo locus designetur, in quo peregrinantes subsistunt, & quiescunt sub lacunaribus, publice hunc in finem factis. Oppidum post in eam crevit dignitatem, ut sedes Episcopalis ibi constitueretur. Ibidem fere sita fuit urbs *Arisch*, quam sequentium temporum scriptores sæpe nominant, etiam Arabs *Num. XXXIV, 5* pro נחל מצרים ponens. Sub finem capitis ostenditur, quod discrimen inter נחל & נהר מצרים intercedat. *Cap. X* ratio diversarum vocum Ebræarum difficiliorum redditur. ישורן est nomen mysticum Israelis, *Deut. XXXII, 15, XXXIII, 5, 6, Jes. XLIV, 2*, quod arcessit ex radice Arabica שרא, *pinguis, bene habitus fuit* equus, *pinguis evasit*, cuius notio primaria consistit in *cingendo*: cui significatui faveant reliquæ voces, quæ sequuntur, & antecedunt. Porro Israel mystice pinguis dici-

Pag. 147-150.

150-155.

155-163.

Pag.163-169. tur, modo loquendi Ebræis perfamiliari *Mal. IV*, *2*, (sec. Ebræorum divisionem *Cap. III*, *26.*) *Ps. XXII*, *30*. *Prov. XXVIII*, *25*. Vocem כמרים, quæ occurrit *2 Reg. XXIII*, *5*,
169 - 171. *Hos. X*, *5*. *Zeph. I*, *4*, *Ikenius* a voce Persica *zonam*, *cingulum*, quod commune magorum in religione signum fuerit, derivaverat. Sed dubitatur, num cingulorum usus in sacris adeo antiquus fuerit, adhæc Persicum כמרון *cingulum* cum כמרים nihil commune habet. Adoptat igitur sententiam *Millii*, statuentis, sacrificulos hos ab *incendendo thure* nomen sortitos esse, quod conveniat cum descriptione *2 Reg. XXIII*, *5*. Apud Arabes גאמרא in 4. coniug. denotat *iniecit igni rem*, *prunis imponendam*, speciatim *suffimentum*, כ autem & ג invicem sæpe permutantur. Apud Chaldæos, itemque Syros, verbum גמר pro קטר adhibetur. Vox כומרן sumitur & de veris sacerdotibus, & de Christo, sacerdote summo. *Hos. X*, *5*, de populo pronuntiatur, ob stragem vitularum luxisse; sacrificulos, contra, exultavisse. Quam difficultatem ut tolleret, observat, vocem גול & גיל proprie notare, *in orbem volui*, *rotari*, qui motus uti est aliquando indicium luctus & mœroris, ita etiam lætitiæ. priori sensu
171 - 173. hic sumi debere. *Cap. XI*, pergit in huius generis observationibus. *Ps. LXXXIV*, *7*, habetur vox עטה, quæ sensu operiendi vulgo accipitur, qui, quoniam difficultatem parit, eligitur radix Arabica עטא, quæ significat *dedit*, *largitus est*, uti etiam LXX vertunt δώσει, latinus *dabit*, quæ vox in isto negotio est frequentissima, *Ezech. XXXIV*, *26*, *Mal. III*, *10*. In proxime præcedentibus occurrit vox בכא, quam ex Arabismo, per *vallem*, *parum aqua habentem*, exponit. Circa vocem שוה notaverat Clariss. *Nonnenius*, respici ad historiam *2 Reg. III*, *16 - 20*, sed factum hoc *Elisæi* diversum prorsus esse a promissione divina, quæ his verbis continetur, ostendi-
174 - 178. tur. *Zach. IX*, *12*, nominatur מגיר משנה. Verbum מגיר præstantissimus *Mullerus* exponit per *adiutorem*, sive *defensorem*, ex usu verbi נגרא apud Arabes, & hoc ipso indicari *Nehemiam*, missum a *Xerxe* ad templum perficiendum, & mœnia Hierosolymorum instruenda, qui dicatur *adiutor duplicatus*

catus, ratione habita *Zerubabelis*, qui juſſu *Cyri* operis huius prima fundamenta poſuerat. Vocem כפיר *Ezech. XIX*, *3*, Pag.179-180.
quæ *leunculum* ſignificat, arceſſit ex Arab. גפרא, *diſtentum utrinque latus corporis fuit*, *amplius fuit*, *incrementum cepit* puer fœtusque. Inde contra obſervatorem Halenſem demonſtratur, *Iud. XIV*, *5* non leonem adoleſcentem, ſed qui fortitudine polleat, indicari. Nomen פגים *Cant. II*, 180 - 181.
13, ex rad. Arab. explicat per ficus craſſos & immaturos, quem ſenſum etiam voci dant Talmudici, *Cap. XII.* Apud 181 - 183.
Danielem bis memoratur הצבי ארץ, *Cap. XI*, *16*, *41*, abſolute צבי *Cap. VIII*, *9*, quam vocem ex iis, quæ circumſtant, item dialecto Arabica illuſtrat, per quam plerique interpretes intelligunt Iudæam, R. *Saadias Gaon* Syriam. *Syria Tzoba*, cujus regem percuſſit *Dauid*, *2 Sam. VIII*, *3*, ex men- 184 - 186.
te Beniaminis itiner. *pag. 59* eſt famigeratiſſima urbs *Haleb*, quæ etiam ſententia eſt omnium doctorum Iudæorum. *Bochartus* in Phaleg *Lib. II Cap. 6* judicat, urbem hanc eſſe remotiorem, quam ut ibi *Ara Tzoba* ſtatuatur; quam difficultatem tolli poſſe cenſet Cl. *Mullerus*, ſi Syria *euro-aquilonaris* intelligatur, cujus primaria civitas Haleb. פתרס ab reliqua 186 - 187.
Ægypto diſtinguitur, *Ieſ. XI*, *2*, *Jer. XLIV*, *1*, *Ezech. XXIX*, *14*, quæ vox ab interpretibus Græcis ſcribitur παθέρης & Φαθώρης, compoſita ex artic. Π & ΘΟΥΡΗC *notus*, *ventus meridionalis*, ut hinc Pathros notet *plagam auſtralem*, quo nomine apud Arabes Ægyptus ſuperior inſigniatur. רעמסס, quæ memoratur *Exod. I*, *11* eſt urbs Avaris, inſtaurata a rege *Salati*, idem, qui Iſraelitas afflixit, quo de *Ioſephus* contra *Apionem Lib. I pag. 445*, *460*. Situs urbis convenit cum vulgari de terra Goſen opinione. Voci פתם *Exod.* 187 - 188.
I, *11*, reſpondet copticum πιθωμ, quod ſepem ſignificat, ut ſic indicetur urbs *muris cincta*. Interpres Græcus מסכנות 188 - 190.
ערי reddit πόλεις ὀχυρὰς. Sub finem quærit, cur Ægyptus 190 - 191.
aeria dicatur? *Croſius*, in lexico, teſtatur, eſſe vocem Ægyptiacam. Inter vaſa menſæ ſacræ recenſentur קשות & 191 - 192.
מנקיות, *Exod. XXXVII*, *16*, *Num. IV*, *7*, quibus diverſas menſuras, ad panes facierum conficiendos adhibitas, ſignificari

arbitratur *Nachmanides*, ex cujus *liur al hattbora fol.* 60
Pag.192-196. *cap.* 4 prolixus locus adducitur, *Cap. XIII.* Diversitas ac multitudo observationum etiam nos copiosiores fecit. Omnes egregiam spirant eruditionem, quarum aliæ calculum merentur, aliæ secuturis occasionem suppeditabunt, in easdem ulterius inquirendi. Charta & typi sunt nitidi; mendæ, si paucæ excipiantur, curate sunt relecatæ.

C. CORNELII TACITI OPERA, EX RECENSIONE JO. AUG. ERNESTI, cum Notis integris J. F. GRONOVII & IUSTI LIPSII, quibus & suas adjecit.

Lipsiæ, ex officina Weidmanniana, 1752, 8.
Alph. 5.

C. *Cornelii Taciti*, novam editionem ut curaret, inductus *Ernestius* noster, nihil aliud ab initio propositum habuerat, quam ut textum ad *Lipsianum* exemplar, non neglecta meliorum, si copia data foret, codicum autoritate, diligenter expressum, animadversionibus necessariis illustratum, passim quoque, ubi usus facto fuisset, correctum atque emendatum, exhiberet. Verum, quod fieri assolet in eiusmodi institutis, quæ plus habent in recessu, quam in fronte ostendunt, aliud ex alio ut nascatur: id ipsi quoque evenit. Nam cum sese nec consilio suo atque instituto, neque fidei adeo suæ arbitraretur satisfacturum, nisi & Codices, quorum ei copia contigisset, & editiones, potiores quidem, contulisset: multa enim non in illis modo ex librariorum inscitia, maleque sedulo ingenio, aut glossematibus interpolata, verum in his quoque expressa, quodque aliquanto peius est, ex interpretum atque editorum ingeniis prognata, corrigendi ac restituendi, & materiam præbere largissimam, & necessitatem iniungere, nulli editori, qui quidem bene mereri de re Critica vellet, ulla specie subterfugiendam: qua & præcipua excusatione totam delati negotii molem a se depellere tentaverat: ubi tandem opus ipsum aggressus, editionumque in primis, quantam ante ipsum nemo,

nemo, copiam nactus, *Corneliani* textus quasi origines ac fata cœpit repetere atque investigare: maiora iam, ut fit, animo & proposito suo amplexus, omnes omnium in textu *Taciti* lectionum, qua in editione *Lipsii* expressarum, qua ab aliis interpretibus receptarum, aut pro coniecturis ex ingenio prolatarum, nonnunquam & a typographorum operis immissarum, rationem, originem, caussas, & veluti iura, tanta est diligentia persecutus, ut iustam seriem atque historiam, & absolutam quasi Genealogiam lectionis *Cornelianæ* concinnatam atque pertextam dederit. Sed cum pars esset huius instituti, ut & editionum, quibus esset usus, & MStorum, quotquot ubique extarent, historiam recenseret: præfatio ei parti satisfecit, compensata eorum negligentia, qui, in recensenda Codicum, sed editionum inprimis, historia, quantum quisque liber contineret, ubi inciperet, ubi deficeret, commemorare insuper habuerunt. In Codicibus illud observandum præcipue, omnes quos habemus, ex uno exemplari fluxisse: quod & *J. F. Gronovius* vidit, *Obs. IV, 2*, patetque ex compluribus locis, tanquam *H. III, 5*, ubi integra pagina transposita, nec ulli librorum abest illa corruptio. Pagina desinebat in verbis: *scriptum - Satur -* sequi oportebat: *nino, cum exercitu - - celeraret*. ex quo initio quidam libb. etiam fecere, *innocuum*: immemores nimirum, aut ignari, quo pertineret. Sed prior descripta est pagina, quæ incipiebat *Cap. 7* in vocab. *revirescere*, desinebat *Cap. 9* in voc. *inimici*. Idem evenit *Cap. 65* duabus paginis, quarum prior incipit a vocc. *invalidus senecta*: (ubi & in Cod. *Guelferb.* adscriptum, *hic aliquid deficit*:) altera desinit *Cap. 69* in verbis: *in Capitolium accivit*. Sed restitutio facta iam a *Puteolano*, quem & *Beroaldus* secutus, ut in ceteris, quæ sæpius quidem, sed falso, ad ipsum *Beroaldum* refert *Iac. Gronovius*. Unde nil agere apparet, qui, ubi in eiusmodi corruptelis, falsisque lectionibus Codd. omnes conspirant, ad consensum Codd. provocando stabilire istam volunt: neque enim nisi pro unica unius libri habenda est lectione. Codicibus autem usus est V. C. nullis præter unum *Guelferbytanum*, mediocris ætatis, satis tamen in conferendo utilem, contine-

tinentem Annales & Historias, cum *Puteolani* autem editione plerumque consentientem; ex quo multis exemplis agnovit, quod ad reliquorum usum existimationemque mirifice profuit, proderitque plus fortasse in posterum, quam nunc opinetur aliquis, complura ex margine, glossematibusque, aut appositis aut interpositis, ex poetarum prosaicorumque huic vel illi loco similibus, illustrandove utilibus locis, in textum ita venisse, ut mox veram lectionem loco pellerent, mox cum ea coalescerent, mediaeque adeo nonnunquam intervenirent: quod evidenti sane exemplo apparet *H. 2, 98*, ubi verba, *flabra Aquilonis*, ex *Lucretio 6, 730, & 5, 741*, in Cod. Flor. interiecta sunt mediis: *mare quoque etsi* FLABRA AQVILONIS *arum flatu*. Mira sane, sed evidens corruptela: cuius tamen paulo post plura exempla afferemus. Nunc in illo quidem Cod. complura, diversa manu, aut prima quoque & eadem, ex pluribus scriptoribus, nominatim *Cicerone*, *Virgilio*, *Juvenali*, adscripta margini, quam facile textum occupare potuerint, nimis facile apparet. Sic *Ann. II, 31*, ad verba: *femina nebridibus cincta*, adscriptum glossema, a prima manu: *nebridibus*, *pellibus cervinis. XII, 7*, ad verba: *cuncta feminae obedisbant:* eadem manu adscriptum e *Virgilio: dux femina facti*. Ad H. I, 21, *nec cunctatione opus*, additum ex *Virg. rumpe moras*. Quaeque alia complura hisce similia, corruptelae atque interpolationi aditum patefecere. Praeter hunc vero Codicem, in libello de Germania, usus est veterrima eius libelli editione, MSto plane aequiparanda, quam a Cel. *Kappio* acceptam, inductus summa lectionum similitudine, eandem esse existimat, quam ab *Artolpho*, medico, acceptam *Lipsius*, *Artolphi* codicem, Noster *Kappianum* vocat. Quosdam praeterea Codices, frustra expetitos a se, frustra, ex promisso, exspectatos, nullos ut esse putaret, non immerito inductus est. At vero Editionum ἀξιολόγων copiam nactus tantam adhibuit, quantam nec ante Illum quisquam, & quantam sufficere existimaveris ad eum, quem ante demonstravimus, usum. Cuius ratio ut nostris quoque lectoribus appareat, historiam editionum, & quasi familiam cognationemque, quam persecutus in praefatione summa

ma eſt diligentia, hic quoque breviter recenſebimus: in quo duæ res maxime obſervanda, curioſeque tenenda: primo, unde orta earum unaquæque ac ducta; deinde, quantum quæque, & quid ex *Taciti* libris contineat: quorum utrumque neglectum aut ignoratum in laudando editt. conſenſu, alterum in afferenda origine lectionis atque autoritate, fraudi ut plurimum doctis Viris fuiſſe, his ipſis obſervationibus inſtructus noſter ſubnixusque, omnibus locis docuit. ***Prima*** omnium ***editio*** eſt *Jo. Spirenſis*, continens Annales, inde a ***Lib. XI*** cum Germania & Dialogo de Oratoribus, absque titulo, locique & anni nota. *Lipſius* & *Gruterus Romanam* vocant. *Venetiis* prodiſſe exiſtimatur A. 1468, ubi officinam *Spirenſis* habuit. At *Fabricii* illa *Romana*, anni 1495, a *Spirenſis* editione diverſa, nulla prorſus, & commenticia eſt. Annus illius veræ incertus, uti & illud, an e *Cod. Vatic.* ducta? Multa quidem habet, quæ cum lectionibus *Vatic.* conſentiant: ut *Ann. 11, 18*, in corrupta adeo ſcriptura, &, quæ maior conſenſus evidentia, in verbis varie tentatis: *auxiliaris, & diu meritus:* uterque; & *Vatic.* & *Spirenſ.* habent: *auxiliare eſt in meritis:* unde *Jac. Gron.* cum *Mercero: auxiliare às diu meritus;* parique modo *H. 1, 61*, in utroque corrupte: *aquilex quintæ legionis: 12, 12*, init. pro edito: *ceteros præminebat peritia legum*, utrique eſt: *ceteris praerat per. l. H. 3, 6*, init. uterque: *ſtrenuus bello magis, quam gloria. & dux Corbulo*, cet. *H. 4, 12*, conſentiunt in verbis: *ſocietateve aliorum adſtricti;* ubi editur: *ſocietate validiorum attriti.* Habet & propria quædam illa editio, quæ nulli nec editionum communia, nec MStorum: tanquam *H. 4, 65, in vetuſtatem & conſuetudinem: Cap. 66*, perverſe, *Sumas*, pro *Sunicis*, vocabulo gentis: *Cap. 69 perjuria.* Sed tamen etiam cum *Flor.* conſentit: veluti *H. 3, 5*, itidem in corruptela: *commiſſior patientior poſita:* in verbis, *fidei commiſſæ patientior.* Sed & cum *Flor.* conſentit, rurſus in corruptela; *Ann. 11, 4*, in monſtro vocabuli, *aſſeneſcentiam: Cap. 16*, habent *alimonio* hi duo, ceteri omnes *alimonia; Cap. 18*, communiter *acta*, vitioſe pro *jacta*, ſive *aucta; Cap. 23* extr. in corruptiſſimo haud dubie loco, uter-

uterque habent, *per se satis*, loco editi, *prostratis*, an *prostrati*: quodque magis nos advertat, ita cum *Flor.* conspirat, ut a *Vatic.* dissentiat. nam *H. 3, 38*, corrupte & *Flor.* & edit. princ. *pretiam*, pro, *per Rhætiam*; ubi *Vat. Rhætiam*: & c. præc. ab utroque recedens, pro *adductius*, quod & *Vat.* & *Flor.* habent, prave exhibet cum omnibus reliquis, *audacius*. Parum ergo, ex quo ducta codice sit, constare videtur: nisi forte filia est deperditi *Veneti* Cod. quem *P. Victor.* ad *Cic.* Epist. Fam. *II, 12*, laudat, ex eoque ad *Ann. 14, 24*, veram lectionem, *Quinquatrus*, protulit. Sed ad alias. *Veneta*, anni 1484 & *Romana* eiusdem exempli, 1497, quam commemorat *Maettarius*, ficta haud dubie: nec præter unam illam principem, ante se noverat *Franc. Puteolanus*, alter iam *Cornelii editor*. Cum non declarasset, quibus Codd. usus fuisset, suspicio oborta *Jac. Gronovio*, ex ingenio ipsius pleraque profecta: quod secus esse repertum Nostro, comparatione Cod. *Guelf.* in quo illa, quæ ipsius ingenio tribuebat *Gron.* pleraque omnia leguntur. Hæc primum sine loci annique nota exiit editio, *Mediolani*, ut Nostro, *Saxio*que, videtur, *Venetam*que præcessit anni 1497, ita, ut etiam hæc ad illam expressa sit. Sequitur *Phil. Beroaldi* editio, *Romæ*, 1515, in qua tantum V. priores Annalium Libri, ex *Corbejensi* Codice, Langobardico illo, editi: nec omisit sub exitum *Libri V* monere; quo minus a *Jac. Gronovio* ignorari negligive debebat. Cetera expressa ex *Puteolani* exemplo: cuius lectiones innumeris locis perperam *Beroaldo* tribuit *Gronov.* frustraque irascitur, ubi non ita ediderat, uti in *Flor.* Cod. erat, quem ille neutiquam inspexit, vid. *Ann. 15, 64; 16, 1; 15. 11, n. 1, 10; 13, 14*, init. *H. 4, 21*, MSt. *Flor. arbitrium*: *Beroald. arbitrum*; *Ann. 13, 21*, extr. vocem *mater* e *Puteol.* habet *Beroald.* quæ non est in *Flor. Cap. 25*, *gladiatores*, Flor. *gladiatorum*, *Beroald.* Operarum quoque errata ex *Puteol.* servata; v. c. *Ann. 13, 49 insederat* pro *incedebat*: *15, 58 latatum* pro *lætatum*. Præfatio quoque eiusd. *Puteol.* præmissa *Libro XI.* Quam *Jo. Frobenius*, *Basileæ* 1519 curavit, ex *Beroaldina* ducta, nisi in operarum vitiis, ab ea nusquam discrepat. Hæc editio recognita

a *B.*

a *B. Rhenano*, collataque cum MSto *Budensi*, prodiit. Is textum servans Basileensem, etiam ubi a *Beroaldo* seu *Puteolano* recedit, vitia operarum velut ex ingenio corrigit: uti & illa, quæ iam in istis prioribus extant: sæpissime quoque coniecturis suis incidit in ipsissimas lectiones edit. princ. qua usum sese nuspiam indicat. Exempla deinde, utiliori loco, afferemus. Repetita hæc edit. A. 1544 posterior *Rhenani* vocanda: cum prior illa vulgo ignota eruditis, A. 1532 edita fuerit. *Aldina*, quæ 1534 ad *Rhenani* edit. expressa, nulla in re ab ea recedit, nisi quod *Ann.* 4, 47, in verbis, *armata, aut incondita*, coniecturam *Rhenani*, *at* pro *aut* scribentis, in contextum recepit: reliqua operarum vitiis immutata. Nec alia origo aut ratio *Gryphianæ*, quæ A. 1543 prodiit. Ex eo autem, quod posterior *Aldina* habita fuit *Rhenani*, factum, ut, quæ *Rhenano* debebantur, ad *Aldum* autorem referrentur. Sed omnium maxime ac præclarissime de *Tacito* meritus *Lipsius*, *Antverpiæ* primum, 1574, 1581, 1585 octonis, deinde *Lugduni* 1595 forma maiori, 1598 quaternis, & rursus *Antverpiæ*, A. 1600 quaternis edidit; ex qua postrema ceteræ *Antverpienses*, post mortem *Lipsii*, ductæ. Quas post *Pichenæ* editionem repetivit, aliquanto prioribus meliores: ex hoc enim multum profecit: subinde & notæ passim mutatæ; quas ex sexta editione, male a *Gronoviis* omissas, Noster restituit; uti *Ann. 14, 13 n. 1.* ad verbum *reperiret:* add. *Ann. III* extr. Codicibus usus est *Vaticano* & *Farnesiano*, cum excerptis *Rod. Agricolæ*, quæ pro coniecturis ipsius *Agricolæ* habuisse eum, apparet ex *Ann. 14, 60*, extr. editiones autem, præter principem, quam *Romanam* vocat, nullas: ac ne huius quidem exemplum ipsum, sed excerpta tantum, eaque admodum vitiosa; ut qui sæpissime in ea legi dicat, quæ non leguntur. Textum ante oculos habuit, nec priorem *Rhenani*, nec posteriorem, etsi vulgatam appellat, quo nomine illa tum ferebatur: nam quæ ipse in vulgata corrigit, aliquanto vitiosiora *Rhenani* lectionibus: ac fortasse ducta ex alia ignobiliori, ex hoc expressa, erratisque aucta. Ex *Lipsiana*, ea quæ 1585. *Antverp.* prodiit, suam exprimi curavit *Curt. Pichena*, vulgatam vocans *Lipsii* lectionem, corri-

gereque eam se dicens, velut e *Florent.* cum ea reponit, quae dudum in aliis edita, ipsisque adeo *Lipsianis.* Coniecturae quoque *Lipsii* interdum in textum ab eo receptae, vulgatae postea auctoritatem obtinuere. Optimum editionis eius exemplum est *Francofurtanum,* anni 1607 quaternis: meliusque & *Florentino* & *Batavo.* *Bernecceriana* editio, A. 1638, prodita, *Pichenae* textum servat, nisi quod ex coniecturis *Freinshemii* in textum quaedam recepta. Repetita est A. 1675 & 1685 nomine *I. F. Gronovii,* a quo tamen instituta tantummodo. Quia editionum collationibus non usus erat *Gronov.* pro coniectura proposuit multa, quae iam erant in editionibus priscis. *Theod. Ryckius,* suam expressit ex *Gronoviana* seu *Bernecceriana,* adhibito Codice *Agricolae,* excerptis Cod. Regii, nec non editt. *Puteolani, Beroaldi, Rivii,* in contextu quoque nonnulla mutavit, ex *Flor.* maxime, cuius excerpta a *Iac. Gronovio* acceperat. Tandem *Iac. Gronovius,* collato inprimis *Florent.* Cod. accuratius quidem ceteris, sed cum nimia eius veneratione, *Tacitum* edidit: multa acerbitate in *Ryckium* usus. Hoc itaque apparatu editionum, collationibusque Codicum, ita usus est Noster, ut non modo, quod caput erat rei, originem atque rationem, & quasi iura uniuscuiusque lectionis persequeretur; verum etiam plurima ostenderet, exemplisque probaret, quorum observatio mirificae est ad criticam diligentiam utilitatis. Primo enim apparet, eo quidem, quo supra demonstratum est, modo, glossemata complura in textum irrepsisse; cuius rei insigne exemplum supra iam attulimus: estque simile *H.* 2, 20 post verba: *operibus & vineis.* Nec diversae originis verba illi merito videntur, ib. *Cap.* 7 init. *post principia belli secundum Flavianos;* quae abesse commode queant, nec cum praecedenibus aut consequentibus ullo modo cohaerent; cumque praesertim a plerisque libb. absit praeposit. *post*, haud dubie ab aliquo adscriptum margini quasi argumenti loco, *princ. b. s. Flor.* Nec dubie *Ann.* 13, 58, in verbis: *neque extingui poterant,* (ignes) *non, si imbres caderent, non fluvialibus aquis, aut quo alio humore* NITERENTUR: extremum illud frustra retinens *Lipsius,* constituit, *non si fluvial.*

vial. a. a. q. a. b. nit. extinguere; quin glossema esse, docent Cod. *Flor.* & ed. pr. a quibus plane abest, & varietas librorum ceterorum aliud vocab. quasi fulciendæ constructioni suggerentium, quòd non opus, modo & illud *si* deleatur, quod post alterum *non* erat. Unde noster verbum illud delevit. Eo minus veritus *Ernestius*, *Ann. 16, 2,* init. in verbis: *nec missis visoribus, per quos nosceret;* illos *visores*, veluti barbarum mediæ ætatis vocabulum, & h. l. etiam supervacuæ notionis, pro spurio & glossemate reiicere; quo loco etiam, (ut hoc statim addamus) contra libb. sed poscente Latinitate ac sensu, dupliciter restituit, PARATAM *prædam* AVEHERENT, cum vulgo ubique: *partam pr. adv.* nam nec *partus* nisi de eo dicitur, quod labore & periculo, fortiterque comparatum acquisitumque, nec *advehendi* vocab. tali contextu solenne est, quin a librariis male, sæpius tamen, alteri substitutum. Neque vero mutationibus istis, quas summa ratio expresserat, ius imminutum sibi credidit reprehendendi editores ante se, aut interpretes, qui citra necessitatem, ubi collibuisset, relicta librorum auctoritate, novas lectiones ipsi intruserunt: qualis audacia fuit v. c. *Puteolani*, *Ann. 16, 4,* pro *viserent*, quod omnibus libb. est, edentis *viserentur*. quod, tanquam e libb. sumtum, ceteri secuti sunt omnes; *Pichena*, cum *Ryckio* & *Freinshemio*, qui, contra libb. consensum, *mortem sine arbitrio* exhibentium, recepere, *arbitro*, illiusque, tanquam pro coniectura, vindicandi caussam *Gronovio* dedere. Sic *Cap. 15 Beroaldus* dedit: *jussa* imperatoris *Ostorio aperit*, quod ex nullius libri lectione extricari potest. *Ann. 3, 21, Aldus* ac *Rhenanus*, in verbis, *missu patris*, quæ consequentium vim habent, addita copula *que*, *missuque p.* nexum verborum temere mutavere. *12, 7. n. 3,* cum MSS. atque etiam ed. pr. haberent: *adductum imperium; Puteol.* habet vitiose, *additum:* quod secuti *Beroald.* & *Alciatus*, *Rhenanus* autem non melius inde, *addictum:* quod secuti, usque ad *Pichenam*, editores: *Lipsius adductum* restituit. Ex hoc fonte necessitas nata *Gronovio*, corrigendi *discidium*, ubi contra libb. ipsos perperam *dissidium:* veluti *Ann. 12, 2, n. 3. 40, n. 4. 3, 34, n. 4.*

Sic *12, 61*, castigasse se *Rhenanus* dicit, *immunitate tribuenda*, pro, *restituenda*, quod tamen nonnisi a *Beroaldo* perperam invectum; quod item factum in vocab. *formam, 13, 13, n. 3*, pro quo *Rhenanus*, sive potius ipsi libb. recte, *fortunam*; & *14, 15, n. 2* perperam *Puteol. Beroald.* & qui secuti, *proposita vero*, ubi *Rhenan.* quasi sine libb. quod omnes habent, *veno. Cap. 27 n. 4, Groslotius*, quasi emendans, legit: sui *cujusque ordinis militibus*, quod in omnibus iam libb. & editt. vett. in posteriores, operarum forte vitio, fluxit, *suis*. Hinc ergo, ex neglectu huius examinis, natum illud ipsum, ut nunc ea, quæ iam in vett. libb. editionibusque compluribus recte legerentur, in aliis autem, aut correctorum prava sedulitate, negligentia quoque nonnunquam, aut operarum adeo incuria, corrupte extarent, ab iis, qui in eiusmodi exempla editt. incidissent, & comparare ceteras neglexissent, tanquam ex ingenio, prove coniectura, afferrentur: quod in primis *I. F. Gronovio* accidit, uti iam in vocab. *discidii* vidimus. Sed & *Rhenanus* in eo, ut si quis alius, vanusne dicamus, an negligens, reperitur fuisse; v. c. *Ann. 11, 16, n. 7*, ubi ita restituit, uti iam ed. pr. *supra cunctos attollatur: si filius, hostili in solo adultus, in regnum venisset, posse extimesci*: ubi *Puteol.* vitio operarum fortasse: *extollatur, loco, & venisse posse. Cap. 20 n. 1* cum edit. *Alciati* perperam haberet, *perlocutus*, ipse, quasi ita omnes haberent, restituisse se ait, quod omnes habent, *prolocutus*, quod & fecit in voc. *permotus*, pro quo prave *Puteol. promotus, Cap. 19*, init. & *Taunum* pro *Taurum, Cap. 28*, init. *Lib. II, 13, n. 2, Pichena* & *Gruterus*, quasi e libb. restituunt *severis edictis*, pro corrupto, *dictis*, quod nonnisi in *Lipsiana*, 1585 atque etiam correctum in eiusd. edit. 1645, cui simile passus *Pichena, Cap. 16*, quasi e *Flor.* restituens, *apud proximos*, quod omnes edd. habent, una itidem *Lipsiana, ad.* Simili fato & *Lipsius, Ann. 5, 10, n. 5.* cum in edit. *Rhenani* vitiose esset, *dixit se*, quod cum præcc. nullo modo cohæret, mancum existimat locum, varieque tentat: non facturus, si ceteras consuluisset, quæ consensu habent *dixisse*. *Freinshemius* quoque *Ann. 4, 58*, dum emendabat: *neque tam incredibilem*

casum

casum providebant, pro corrupto recentiorum editt. *causam*, non opus habebat emendatione, si edd. vett. inspexisset, quibus omnibus est, *casum*, vitio isto nonnisi per negligentiam & inducto & propagato. Sic tamen præclare etiam actum cum viris doctis, quod emendationibus certe veram lectionem restituerunt, nil aliud nisi supervacuam utique operam insumsisse existimandi; illa aliquanto gravior fraus, quæ offerenda contemtum sui hæc editionum comparatio vindicavit, cum de veritate lectionis, aut corrigendi necessitate, parum solliciti, nunc in coniecturas Editorum, nunc in vitia operarum, nunc negligentes emendare, nunc veriti, notas nobis dedere; quod factum Noster observavit *Ann. 6, 2, n.* in verbis: *tum retulere Sciopiones:* quæ non sunt, nisi a *Beroaldo*, qui hic mutavit lect. Cod. *tum referret Sc.* ex quo tamen postea recte ipse *Lips.* fecit, *tanquam referret:* antea in ista *Beroaldi* coniectura subtiliter sane, at quorsum? philosophatus. Sic *Cap. 23, n. 4*, cum, operarum certe vitio, (nulla enim mutandi apparet ratio,) *Rhenanus* dedisset: *plerisque non eximi;* inepto, inter rectam orationem, infinitivo: varias interpretum coniecturas elusit *Pichena*, restituendo ex libb. atque editt. *eximitur. Lib. 13, 13*, mire argutati sunt, hæseruntque in verbis: *Senecæque permitteret.* at unde illa? e coniectura *Puteolani:* cum libb. lectio efficeret id, quod, a *Ryckio* restitutum, secutus est Noster: *seque Seneca permitteret.* Illud quoque notabile, quod *Ann. 15, 23*, extr. vitium operarum, quod ex secunda *Rhenani* fluxit in *Lipsianas*, pro vulgata omnium lectione iactat *Pichena*, *gloriæ* scil. plurali numero, pro vero, *gloria.* Pari reverentia emendare tale vitium ausus non est *Lipsius*, *Lib. 15, 66*, ubi in edit. *Alciati*, *renitens*, absurde pro *renidens.* Ita *Agr. 16, n. 3*, ineptum, illo quidem loco, *proprius metus*, qui stulte sane distingueretur a *conscientia defectionis*, mira omnes religione, immo negligentia, tenuere, cum, *propius* rescribendum sit, referendumque ad verbum sequ. *agitabat*, ut est in edd. vett. Insigne denique incuriæ exemplum cernere licet *Cap. 24*, in verbis: *Glota & Bodotria, diversi maris æstibus per immensum revectæ*, quemadmo-

admodum omnes editt. ante *Rhenan.* habent: hic cum tacite edidisset: *d. m. astus p. i. revecti*, *Lipsius* rursum, non meliori iure, dedit *astu:* atque ea iam secure explicans *Gronov.* quid aliud nisi in ventum effudisse verba censendus est? Illud autem ex his omnibus non minus apparet, quam vano ignorantiae perfugio utantur, qui ad vulgatae lectionis autoritatem provocent; quae nunc editorum ingeniis, nunc operarum deberi erroribus, intelligitur. Duo adiicienus, in quibus mutandi ius sibi fuisse Noster recte existimasse videtur. Unum est, quod *Germ. 38, n. 3*, verba illa, ad *nemoris* vocabulum pertinentia: *auguriis patrum & prisca formidine sacrum*, non a *Tacito* esse, verum ex *Virg. Æn. 7, 172 & 608*, putat adscripta ab aliquo, qui vocab. *nemoris* putaverat epitheto indigere: alterum, quod *Ann. 11, 28, n. 1*, in verbis illis, varie tentatis: *dum histrio cubiculum principis exultaret:* quae *Gron.* explicat: *dum ea*, quae in cub. pr. gererentur, proderet atque in vulgus efferret, seu hominum ludibriis exponeret: ipse emendat, *persultaret;* proprio sane de histrionibus verbo, & ad sensum loci aptissimo. Quemadmodum autem haec, quae ad criticam spectabat, cura, potissima Nostro fuit: ita nec interpretis muneri defuit: hactenus, ut primo *Iusti Lipsii, & I. F. Gronovii* integras Notas textui curaret subiiciendas: *Pichena* deinde, *Ryckii, Iac. Gronovii*, aliorumque, utilia ad intelligendum textum: *Groslotii* quoque coniecturas, ad *Dousam* missas, ex *Burmanni* Sylloge Epist. *Tom. I pag. 348 seq.* ubi opus facto, commemoraret: nec *Heinsii* observationes ad priores 3. Annalium libb. (quae apud *Dorvill. Tom. IX.* observatt. reperiuntur) taceret: ineditas eiusdem in reliqua *Taciti* Notas, tardius acceptas, alio tempore, una cum debito adhuc in Notas suae Edit. indice, proditurus: suas denique ipsius passim adderet: in quibus, praeter illa, quae exposuimus, Critices munera, haec maxime spectat, ut primo, quae non satis recte diligenterve persecuti priores essent interpretes, corrigat, atque absolvat; quae deinde ex aliis scriptoribus, nominatim *Livio*, *Sallustio*, potissimumque *Virgilio*, expressisse *Tacitus* videatur, significet: inprimis autem, eorum uti libidinem coerceat ac re-

retundat, qui, variatæ libenter a *Tacito* orationis minus memores, adigere eum ad constantiam similitudinemque sui voluere. quod *Heinsio* obfuisse maxime invenitur, maximoque est ad circumspectam Critices diligentiam detrimento; præsertim in *Tacitó*, qui haud fere in alia re magis sibi, quam in varianda constructione, aliterque alibi eadem de re loquendo, placuisse videtur. Subiecti etiam sunt *Excursus*, priori quidem Tomo, qui Annalium libb. continet, *Lipsiani:* posteriori autem reliqua complexo, eiusdem rursus, quotquot ad Historiarum ceterosque pertinent libros, & Ipsius duo: *de Vexillariis* alter, quos eosdem cum iis esse putat, qui antea *Hastati* in Romana acie dicebantur; propterea, quod primo *H. 2, 66*, distinguantur a *viribus legionis: vexillariis tantum pulsis, vires legionis non adfuisse;* Legionarios autem fuisse, ex *Ann. 4, 73*, apparet; deinde, quod eadem iis, quæ olim hastatis, militiæ opera attributa legantur *Ann. 1, 83, H. 2, 84*. Vexillarios autem dictos, primo, in honorem discrimenque reliquorum; deinde, quoniam sæpissime a legione sub vexillo amandati. Altero excursu agitur de *Imperio Vespasiani*, ad *H. 4, 6*, ex SCto, quod ex tabula ænea in basilica Lateranensi, extat apud *Gruter. pag. 242*, cuius capita persecutus, difficultates partim movet, partim tollit. Sed & *priori Tomo*, pro Excursibus, subiecit *Decretum Romanorum* pro Aphrodisiensibus & Stratonicensibus (ad *Ann. 3, 62*) ex *Edm. Chishulli* Antiquitt. Asiaticis. *Indices* denique adiecti duo: *Historicus* alter, ex edit. *Ryckii*, sed & recisis multis & adiectis: *Latinitatis* autem novus, formam & capita *Cornelianæ* orationis, velut in tabula, exhibens.

DE VENENO ANIMANTIUM NATURALI ET acquisito, Tractatus: Autore DOMINICO BROGIANI, Florentino, in Pisano Athenæo Medicinæ Professore.

Florentiæ, ex typographia Andreæ Bonducci, 1752, 4.
Plag. 19.

Quæ

Quæ, minima ſub mole, abſolutam corpora viva deſtruendi facultatem habent, venena dicuntur, corroſiva, obſtruentia, narcotica. Eſt tamen illorum vis ad molem viresque corporum haud parum æſtimanda, minusque nocebit veneni guttula vaſtó bovis, quam exili cuidam, ex minoribus, animantium, corpori, utpote in hoc minus diviſa quam in illo. Si celeritatem reſpicimus, qua venenum deſtruit, plus velocitatis in animali, quam in reliquis eſſe, deprehendimus, & illa quidem tunc maxime agunt, quando punctura vel morſu illata ſunt, tam ex ipſius vulneris, quam ex materiæ una cum hoc illatæ, rationibus; licet, quomodo illa agant, an humores vitales denſando, an illos diſſolvendo, an diatheſin inflammatoriam inducendo, an ſolidas partes ad ſpaſmum excitando, liquido haud conſtet, neque in aprico poſitum ſit, utrum ad acidi, venis infuſi, leges agant, atque eiusdem naturæ ſint venena animalia, cum hæc æque ac illud pares effectus, anxietatem cordis, vomitus, ſitim, virium reſolutionem, puſtulas lividas, tremores convulſivos, ſudores frigidos, vertiginem, mortem denique velocem, poſt mortem autem, ſubitaneam putredinem, inferant. Nullum ex venenis iſtis, ore ſumtum, corpus deſtruit; ſed, ſi qua agunt, ſuam per cutem edunt virulentiam; *contactu ſolo*, torpedo, *morſu*, *puncturis*, reliqua animantia quæ virus habent, nocere deprehenduntur, plus tamen æſtate, quam hyeme, atque tunc etiam magis, quando iracunda ſunt, & humores illis æſtuant, vel ab inedia alkaleſcunt; dicitur enim famelica vipera periculoſius mordere, quam ſi illa ſatur eſt: ſibi tamen ipſis animalia venenoſa venenum non ſunt, niſi ſi ſuis ſe dentibus vulnerant. Ex ſuſpectis animantibus haud pauca immerenter criminamur, ſtellionas, ſcolopendras, bufones, quibus dubia nocendi vis eſt. Non enim opus eſt, augere venenorum ſeriem fabulis, quando verorum & exquiſitorum penuria adeſt nulla. Inter animantia igitur, certo ſucco lethifero, atque per vulnus ad morſum nocente, ſunt viperæ, ideo quod denticulis uncis vulnus parum cruentum inferunt, inflammationis velocis, hinc gangrænæ, cauſam futurum. Nominatur præ ceteris caudiſo-

disona, *Rattle Snake* Anglis, *serpent à sonnette* Gallis. Est scilicet viperis vesicula ad caninorum dentium radices exorta, quæ, ex glandula post oculum sita, funestam liquoris guttulam recipit, vulneri infundendam. Post has, alia quoque animantia, morsu nocent, *canis*, *felis*, cum in iram excitata sunt, & admirabile est, admorsis cutem flavescere, quod a *Ioseph Lanzoni* & *Freindio* observatum fuit. Postea araneis hoc datum est, ut nocentes succos, vulnere forficula oris inflicto, demittant, in quarum classe Hetruriæ est phalangium, a quo punctos, violenta phrenitide diebus octo perculsos, simulque frequenti vomitu, gangræna loci afflicti, vago cutis exanthemate, affectos ac denique extinctos Autor observavit, illosque effectus, qui ex tarantulæ punctura consequuntur, & singularem, istos motus ex morsu animalculi natos musica sanandi, methodum, sua fide obsirmavit, illudque desuper adiecit, periodicam, ex quo semel homo admorsus fuit, saltandi libidinem, vel spasticam potius succussionem articulorum esse, atque illam quotannis recurrere. Excusantur Apuliæ Scorpiones, illisque, qui calentioribus per Africam locis degunt, innocentiores esse, perhibentur, quorum arma in aculeo, ad ultimum, caudæ internodiis distinctæ, articulum posito, consistunt. Inest etiam sua insectis quibusdam acredo, *formicis*, *sanguisugis*, *cantharidibus*, aliisque id genus *coleopteris*, quæ suam fœtore produnt virulentiam, uti sunt *Buprestæ*, bovibus exitiales bestiolæ, a quibus devoratis, ruminantium luem epidemicam aliquando excitatam fuisse, *Lancisius* refert. Hæc sunt, quæ de veneno animalium naturali proponuntur. Sunt autem aliqua ex animantibus de nullo omnino veneno suspecta, nisi cum illorum constitutio, interveniente aliqua causa, ita mutata est, ut humores illorum acrescere exinde oporteat. In exemplo canis est rabidus, cuius morsu inducitur morbus, quem λύσσαν Græci appellant. Ex velocibus ille est, hominem subito iugulat, febre illi inducta inflammatoria, intra quam ægroti desipiunt, & fluida quævis in odio habent, ac siti denique excoquuntur. Lenta tamen est aliquando istius morsus efficacia, atque tam alte humoribus illud vitium insidet, ut exempla

extare Autor afferat, eorum, quos, licet fubactis mutatisque variolarum morbo liquidis, lethalis tamen hydrophobia invafit. Aliquando, fine morfu, fua fponte, rabies ifta oritur. Canis autem morfu nociturus ipfe furit, eftque illi fub lingua res vermi fimilis, εἶδος εἰς ἐκλύτωμα σκώληκος, ὅμοιον νεύρῳ λευκῷ: *Species ad vermis fimilitudinem, veluti nervus albus:* referente *Demetrio Conftantinopolitano*: Κυνοσόφιον, *de canum cura*, quod ita vertit *Hieronymus Fracaftorius*:

> *Occupat in rabiemque feros agit usque moloffos,*
> *Vulnificus vermis, fuffunditque ora veneno.*

Hominem, quem canis momordit, quando ille in febrem excandefcit, fanant venæ fectionis ufus celer & repetitus, frigidæ aquæ contactus, acidorum antiphlogifticorum fruitio. Laudatur Mercurialis falivatio, docetque D. *Robert James*, canibus nonnullis propinatum turbith minerale, iam hydrophobis, vitam reftituiffe, quin & hominibus quibusdam, duodecim aut plurium granorum dofi, fingulis diebus, ita, ut emeticas duntaxat vires exereret, falubriter illud datum fuiffe, excitata illis falivatione plurima. Hifce a nobis adductis, ex multa materia dicendorum, pauciffimis, quantæ fit exiftimationis libellus, facile quilibet percipit; eft enim in illo Romani oris puritas, meditationum ordo & excellentia, lectionum frequentia, doctrinæ utilitas & præftantia.

DISCORSO MEDICO CHIRURGICO DI ANDREA PASTA intorno al fluffo di fangue dell' utero.

hoc eft,

ANDREÆ PASTA DISSERTATIO MEDICO-CHIrurgica de fluxu fanguinis ex utero gravidarum, nova hac editione auctior & correctior, cum meditatione nondum edita eiusdem Autoris fuper aucto fanguinis poft partum fluxu, & fuper retentione & extractione fecundinarum.

Ber-

Bergami, apud Petrum Lancellotti, 1751, 8.
Alph. 1 plag. 4.

Postquam intellectum atque experientia comprobatum est, gravidas, salvo manente fœtu, fundere sanguinem posse, qua via iste fluxus procedat, disputatum fuit. Plerique, cum hoc ita accidit, ex vasis sanguiferis circa os uteri externum positis hæmorrhagiam gravidarum fieri, asserunt; alii ex ipso uteri cavo, etiamsi gravida femina est, menses tamen fluere posse, existimant. Qui priori sententiæ favent, ex utero gravidæ propterea sanguinem haud procedere putant, quoniam ille, statim, ex quo impraegnatio facta est, clauditur, atque os illius internum ita componitur, quo, veluti ab illo tempore semen masculum porro haud recipitur, ita nec sanguis ex illo procedere possit. Illud quoque argumentum illorum opinioni accedit, qui, uteri os gravidæ, secundum naturam ex cavo suo sanguinem dimittere posse, negant, quandoquidem ovulum matris, quo fœtus continetur, cum ad matricem descendit, intra primum mensem eo usque adolescit, ut uteri parietibus ubique fiat contiguum, suosque villos cum uterinis vasis penitus coniungat, atque illorum oscula, quæ sanguinem menstruum, vacuo utero, fundere solent, occludat. Quæ cum ita sint, ut omnium arteriarum fines nunc placentæ uterinæ atque chorii finibus respondeant, hinc nulla in omni uteri interni superficie sit arteria, quæ sanguinem, secundum naturam, fundere valeat: videtur sane, ex quo femina utero concepit, sanguinem ex illo fluere porro haud posse, adeoque omnem eius fluxum, qui aliquando gravidis, sanguine plenioribus, evenire solet, *vaginalem* esse. Clarissimus Autor ab eorum partibus stat, qui, gravidis menses ex ipso utero procedere posse, statuunt; inter quos est *Mauriceau*. Scilicet experientia docet, gravidis, salvo manente fœtu, non tantum sanguinem floridum, sed grumos etiam sanguinis effundi; nec minus notum est, serosam aliquam proluviem a gravidis, vario graviditatis tempore profundi, atque illas haud raro flatus ex utero emittere, observatores docent. Hæc si ita sunt,

 opor-

oportet omnino in matrice gravida superesse locum, quem secundinæ ubique haud attingunt, illive cohærent, & ex quo fluxio aliqua fieri possit; scilicet interni matricis osculi ora non minus, quam externus illius margo, finibus arteriosis gaudet. Ast notum est, uterum non statim instar pilæ rotundæ extendi, sed illius os acuminatum, ad ultimum usque graviditatis stadium permanere, quapropter etiam a graviditatis natura alienum omnino non est, etiamsi ex fundo uteri, postquam secundinæ semel adhæserunt, sanguis nullus fluere porro potest, ex ore eius interno procedere cruentationes posse. Non autem damnandus ubique sanguinis fluxus est in gravidis, omnium minime, si regularis est, & secundum mensium rationes procedit, sique modestus est & parcus. Sunt enim ex feminis haud paucæ, quæ, cum sanguine pleniores sunt, fœtum deiecturæ erant, nisi aliqua sanguinis sui parte, eiusmodi fluxu critico, levarentur. Fit proinde haud raro, ut mulieres ex præiudicio, gravidam cruentari haud oportere, se gravidas esse ignorent, cum vident, sibi, non secus, ac antea factum erat, menses procedere, quorum tamen fluxus graviditatem haud excludit. Quamvis autem fluxus sanguinis aliquibus gravidis saluti esse potest; sunt tamen longe plures, quibus ille exitialis est atque abortivus, abinde nascens, ubi placenta fœtus ex sede sua dimovetur, liberamque sanguini viam facit, qua effundi possit, quem duci ad embryonem, eius nutriendi causa, oportebat. Igitur hæmorrhagia uteri gravidarum morbosa sæpe est, & abortum imminere denuntiat, cuius, atque illius naturalis, qui salvo fœtu contingere solet, diversitatem exinde cognoscas, quod ordinatus mensium penes gravidam fluxus, sine doloribus, nec aperto ad sensum uteri interno ostio, eveniat, dum morbosa atque abortiva fluxio conatus pariendi sibi iunctos habet, & hiante fit uteri ostio. Vulgaris est opinio, cum eiusmodi hæmorrhagia exorsa est, oportere abortivum fœtum omnino sequi, neque servari porro embryonem posse; opus etiam esse, ut abortus, servandæ matris causa, promoveatur, ne, nisi hoc fiat, paritura lethali sanguinis fluxu opprimatur, qui,

nisi

nisi extracto fœtu, sisti haud possit. Impossibile enim esse, placentam semel dehiscentem, cum fundo uteri iterum uniri, eidemque penitus accrescere. Ita statuunt medici obstetricii per Galliam, *Petit*, *de la Motte*, *Peu*, aliique. Verum Clarissimus Autor aliter sentit, putatque, ad facinus illud, quod nascituro vitam aufert, accedere chirurgos non tam subito debere, sed utendum remediis esse, quæ sanguinis fluxum sistere possint, inter quæ est venæ sectio, licet illam multi, & inter illos *Ettmullerus*, damnent; sanguinem feminæ, per hæmorrhagiam iam exinanitæ, subtrahendum porro haud esse, existimantes: fieri enim posse, ut secundina loco suo, a quo leviter discessit, iterum accrescat. Illi certe vehementer errant, qui statim, etiamsi uteri ostium apertum satis haud est, quo manum admittere possit, illud magna vi aperiunt, membranas fœtum obvolventes lacerant, ipsumque embryonem pedibus arreptum extrahunt. Potest omnino soletque embryo paucorum mensium haud raro servari, etiamsi abortus primordium, oborta hæmorrhagia, iam factum sit. Ast servari nequeunt provectiores, & partus sui termino legitimo propiores; de quibus, extrahendos illos esse, cum hæmorrhagia exorta est, sententia omnino valet. Certum enim est, fœtum tunc una cum matre periturum; ast servabitur mater, si, qui vivere nequit, fœtus, una cum secundinis protrahatur. Antea fluxus sanguinis non sistitur, quam placenta omnis remota est; etiamsi enim fœtus eductus est, fluxio tamen haud cessat, quoniam remanens placenta, vel eius portio, contractionem uteri impedit, sine qua hæmorrhagia sisti nequit. Non tamen ubique oportet placentam educi. Hoc præiudicium, oportere, cum abortivus natus est, secundinas haud reliqui, multis puerperis vitam abstulit. Quodsi enim, veluti penes abortus pusillos fieri solet, uterus ita stringitur, ut hæmorrhagia cesset, parcendum est feminis, quas multi misere excruciant, cum illarum matrices vi aperiunt, manum violenter intrudunt, & placentam, uti parvis abortibus esse solet, firmiter adhærentem, deglubunt, sicque, vel uteri ostium lædunt, vel certe uterorum fun-

dos vulnerant, & febrem inflammatoriam, atque una mortis causam, hac sua intemperantia afferunt. Satius est, abstinere, quam incerta tentare. Possunt enim, teste *Ruyschio*, secundinæ abortivæ manere, quas putrefactio sensim solvit, easque sub tabi specie expellit. Ast secundinæ fœtuum completæ ætatis relinqui haud debent; earum igitur, cum firmiter adhæserunt, extrahendarum modus ostenditur. Particula aliqua relicta tanti haud æstimanda est, ut eius captandæ causa manus denuo introducatur. Hanc enim, etiamsi hæmorrhagiæ continuatæ causa est, sensim putredo solvit. Præterea de lochiorum fluxu deficiente sermo movetur; media illius promovendi, ubi deficit, proponuntur; febris uteri inflammatoriæ ratio describitur, & media, inter quæ venæ sectio est, proponuntur. Tota scriptione, ingenii fertilitas, meditationis ordo, artis obstetriciæ experientia, & frequens ac studiosa Autorum tam veterum quam recentium lectio, ubique elucescunt.

EPISTOLARUM REGINALDI POLI S. R. E. CARdinalis & aliorum ad ipsum, Pars IV, quæ scriptas complectuur ab initio A. 1543 usque ad finem anni 1554, scil. usque ad navigationem in Angliam ex legatione Ei a IULIO III P. M demandata, ad pacificandum regnum illud cum Deo & Ecclesia catholica.

Brixiæ, excudebat Io. Maria Rizzardi, 1752, 4 mai.
Alph. 3 plag. ½.

Quod suscepit opus, strenue urget, eminentissimus purpuratus. Quod in præsentia enarramus volumen, inscriptum est *Petro Tencinio*, Cardinali, in cuius sinum acres de motibus, qui præsenti tempestate ecclesiam Gallicanam dividunt, querelas effundit, eumque ad constantiam in tuendis iuribus cleri incendit. Interim lætatur, ipsos protestantium doctores, *indefessum plane studium suum, & ardorem certe insignem, religionem promovendi, ecclesiam* sc. *Romanam fortiter muniendi & firmiter stabiliendi, agnoscere*. Quam laudem, uti ipsi non invidemus, ita nostræ ecclesiæ fraudi esse non posse, intelligimus; cum

cum id proprium sit omnibus cœtus Romani præsulibus, ut pon ceria ecclesiæ suæ protendant, etsi non eadem omnes incedunt via, aliis vi aperta, aliis per cuniculos agentibus. Opus est bipartitum; *prior Pars* complectitur præfationem, eandemque satis prolixam, posterior Epistolas ipsas exhibet. In Præfatione id sibi negotii datum esse credidit, ut singularum Epistolarum argumenta breviter referret, & *meridiana luce apertius demonstraret, Cardinalem Polum, omni loco & tempore, quamcunque personam gereret, immunem prorsus fuisse ab iis labibus, quas ipsi affinxerit heterodoxorum quorundam maledicentia, imo vero eundem se præbuisse & in maximarum rerum oppugnatione, splendidissimum in omni genere virtutis, Christianæ præsertim, exemplar.* Ex hac igitur Præfatione quædam prænotabimus. Consortium Viterbiense cum M. *Antonio Flaminio, Victoria Columna*, March. Piscariæ, & *Petro Carnesecca*, quorum postremus ad castra heterodoxorum, uti loquitur, transfugerit, culpa omni vacare, adductis Epistolarum nonnullarum fragmentis, adstruere contendit, ubi quædam repetuntur, quæ e superioribus voluminibus a nobis sunt notata. Hinc differit de illius meritis in Concilium Tridentinum, de libro ipsius super historia *concilii* composito, quibus responsum de eucharistia parvulorum, item de particula *filioque*, Symbolo Nicæno addita, Cochlæo datum, inseritur. Prioribus quinque sessionibus finitis, Polus Tridento abierat, quod nonnulli ita sunt interpretati, ipsum non idem, quod ecclesia Romana, de dogmate iustificationis, quod sessione VI declarandum erat, sensisse: vindicat igitur Polum, demonstrando, valetudinis recuperandæ ergo secessum quæsivisse, & de gravissimo hoc dogmate eandem cum ecclesia Romana sententiam tenuisse. Inde Romam concedens, cum non multo post de morte *Henrici VIII* certus esset factus, ad religionem Pontificiam in Angliæ regno restituendam animum appulit. Scripsit eum in finem ad supremæ curiæ senatores, item ad *Caroli V* confessarium, qui herum in societatem consilii pertraheret; quod ut eo felicius procederet, Autor fuit Pontifici, ut purpuratum *Madrucium*, antistitem Tridentinum, Augu-

Pag 1 · 9.

9 · 17.

17 · 21.

Auguſto carum, ad illum ablegaret. Ad *Eduardum VI, Henri-*
Pag. 22 - 28. *ci* filium & ſucceſſorem, literas direxit, querelis refertas, quod
a parente perduellionis reus fuerit declaratus, & regno eie-
ctus; ſimulque conſilia, quæ ad ſalutem publicam, regni feli-
citatem, propriasque fortunas ſtabiliendas faciant, ipſi ſugge-
28 - 35. rere annititur. Quid Polus, cum ob ſuſpicionem infecti aeris
concilium Tridento Bononiam transferretur, & libellus, ***inte-
rim*** dictus, publica Imperatoris auctoritate prodiret, fuerit mo-
35 - 38. litus, memorat. Item, qualem ſe, cum, *Paulo III* mortuo,
purpurati in eo eſſent, ut ipſum Pontificem eligerent, geſſe-
38 - 46. rit. Novus Pontifex *Julius III* Viterbium ire iuſſit; in-
de in cœnobium Benedictinum, Maguzianum dictum, ſeceſ-
ſit, ubi tempus multo cum fructu & iucunditate traduxit.
46 - 58. Vivis præmature erepto *Eduardo VI*, & *Maria* in illius locum
ſuffecta, cum ſpes affulgeret, fore, ut Pontificis auctoritate re-
ſtituta, priſtina ſacra revocarentur, *Iulius III*, legatio-
nem illi in inſulam decrevit: præterea hoc ipſi in mandatis
dabatur, ut inter *Carolum* Imperatorem, & *Henricum*, Gallia-
58 - 78. rum regem, pacem conciliaret. Ad *Philippum* Hiſpanum, poſt
eius in Angliam adventum, & nuptias cum *Maria* celebratas,
gratulatoriam Epiſtolam miſit, eidemque cauſam eccleſiæ
commendavit. Cumque aliquot menſes effluerent ante, quam
Polus in Angliam admitteretur, ſatis graviter ſuper hac re, li-
teris ad regem datis, queritur: quo facto, non ita multo poſt,
voti ſui compos eſt factus, eaque occaſione quædam contra *Du-*
78 - 84. *ditium*, vitæ Poli ſcriptorem, monet. Ex illis apparere colli-
git, ſummas Poli virtutes, laudes item ſummorum Pontificum,
Pauli III & *Julii III*, indeque confectarii loco efficit, *iniquam
fuiſſe heterodoxorum ab illa eccleſia, cui tanti viri præfue-
rint, ſeceſſionem, quæ dirius per incautum Germaniæ vulgus
ſerpere ac debacchari auſa ſit, quo ipſo tempore eadem virtutes
clarius eluxerint. Fuiſſe*, addit, *præter purpuratos eccleſiæ
Contarenum, Sadoletum, Polum*, alios in ſcripturæ ſcrutinio
aſſiduos, in eiusdemque intelligentia probe verſatos, quod ne
85 - 93. ipſi quidem proteſtantium doctores diffiteri ſuſtineant. Hinc
colligit, *Lutherum* iniuſte carpere ſingulis fere ſuorum ope-
rum

rum paginis, catholicos, quod *postbabitis sacræ Scripturæ purissimis fontibus consectati fuerint inanes fabulas, profanas vocum novitates, inepta & anilia commenta.* Ad hæc provocat protestantes, ut iudicent, *an ad penetranda purissimorum illorum fontium occultiora & sanctiora mysteria* attulerit *Lutherus animum æque mundum & humilem, ac Polus, & alii eius collegæ, sive asseclæ attulerunt.* Miramur, qui eminentissimus purpuratus nominet *Poli*, itemque *Pauli III* & *Iulii III* P. M. virtutes, quæ heterodoxos, uti appellat, retinere debuerint, quo minus ab illa ecclesia, cui tanti viri præfuerint, secessionem molirentur; cum tamen, illa tempestate, dissidium inter romanam & protestantium ecclesiam longius iamdum provectum esset. Quare non potius ad *Leonem X*, qui, quo tempore religionis motus surgebant, ecclesiam Romanam regebat, regreditur? Isne etiam, si favorem in literas & literatos exceperis, adeo conspicuis eluxit virtutibus? nonne hic suo luxu, prodigalitate, in rebus sacris levitate, ut lenissime scribamus, amplissimam dedit occasionem, ut pii quidam de corrupto ecclesiæ statu graviter conquererentur, alii autem consultius ducerent, ab illa secedere. Et quandoquidem malis illis, a sequentis temporis antistitibus, medela adhibita est nulla, quo iure ab emendatorum sacrorum sociis postulari poterat, ut ad illam societatem redeant, quæ omnem emendationem respuit. Fuerint illi, quos nominare visum illustrissimo Præsuli, virtutibus insignes, omni tamen conatu tuiti sunt, Pontificem Romanum, fallere nescium, universalem totius ecclesiæ doctorem & rectorem esse, eiusdemque oraculis omnes, summos, medioxumos, imos, stare debere, nisi olim cœlo extorres, & miserabiles orci victimæ esse velint. Num ipsi illi porro adeo egregii sacrarum literarum interpretes fuerint, ut cum *Luthero*, aliisque religionis restauratoribus, paria facere potuerint, vel etiam hos superent, non verbis, sed ipsa re est declarandum. Fuerint illi, damus hoc, Græcarum Latinarumque literarum, omninoque artium, quæ ad humanitatem spectant, periti admodum, in Theologia etiam scholastica probe versati: sed

Pag. 94.

dexteros divinarum literarum interpretes fuiſſe, hoc nemo, certe evicerit. Tentarunt quodammodo *Sadoletus* & *Contarenus*, quorum ille commentarium in Ep. ad Romanos dedit, quo de, *Ioachimo Camerario* teſte, ita iudicavit *Georgius Anhaltinus*, princeps doctrina & pietate inclutus: *cum aliquando, quid idem* (Sadoletus) *de ſatisfactione & purgatorio ſcripſiſſet*, referretur; *hiccine*, inquit, *ſibi perſuadere potuit, penetraſſe intra ſenſum arcanum Pauli, quo ille Epiſtolam ad Romanos compoſuit?* vit. *Georgii* princ. Anhalt. *pag.* 44. Quam parum præterea in ſcripturarum lectione fuerint verſati doctores Pontificii, docet hiſtoria colloquiorum, non longe ab reſtaurationis ſacrorum auſpiciis paſſim habitorum, in quibus, ſi quidem comparerent, adeo turpes ſe dederunt, ut, qui avitis ſacris bene cuperent, ſuorum craſſa ignorantia offenderentur. Doctrina reſtaurata non *ſerpſit per incautum Germaniæ vulgus* ſolum, verum etiam viros eruditos, imo principes, ita cepit, ut pro illa dura quævis adire nulli dubitaverint. Et niſi dira fulmina e Capitolio vibrata, ſævæ vexationes, & crudeliſſimæ mortes, multos abſterruiſſent, per ipſam Italiam, illam ingeniorum nutricem, ſparſa ac diſſeminata fuiſſet. Iſtud certum eſt, haud paucos eximios viros ex Italis, qui forte cum incauto Germaniæ vulgo comparandi non ſunt, eidem fuiſſe adſtipulatos, & quod eam ob cauſam in patria tuti non eſſent, ſolum vertiſſe. Quas *Lutherus* aliique reformatores, circa religionis negotium, protulerunt ſententias, illas nemini obtruſerunt, ſed iudicio ſcripturæ & conſcientiæ ſubiecerunt: iure igitur ad quosvis bonæ mentis homines provocare licet, doceant, ipſos illos egregios viros, ad divinorum oraculorum ſcrutinium, debitam animi munditiem & humilitatem non attuliſſe. Sed in viam redeamus, a qua nos obſervatio minus neceſſaria, fidei hiſtoricæ adverſa, & invidiæ plena, abduxit. Quam utilitatem lectio epiſtolarum Poli illis afferat, qui ſacro funguntur munere, potiſſimum qui in eminentiori gradu ſunt conſtituti, oſtenditur. Harum longe maxima pars ante hoc tempus publicæ

blicæ luci data non eſt; neque ordine chronologico collocatæ ſunt, nec nomina illorum, ad quos literæ ſunt datæ, vel qui in illis memorantur, ubique adnotata videas.

Progredimur ad Epiſtolas ipſas, ex quibus illæ tantum Pag. 95-99.
nos morabuntur, quarum argumentum peculiaris eſt momenti. Epiſtola V *Cochlæo* disſuadet libri de *eucbariſtia parvulorum* editionem, ne lædatur eccleſia Romana, quæ ab iſta opinione eſſet aliena. *Ep. VI* mentem ſuam eidem declarat, de addi- 5 - 8.
tione Symboli Nicæni, exiſtimans, illam primum legi in Epiſtola Concilii Epheſini, ſcripta Neſtorio. In Concilio Florentino patres ad Symbolum Athanaſianum non provocarunt, ne Græci exciperent, formulam illam ſequenti tempore inſertam eſſe. *Placidus Contarenus*, monachus, qui, cum ante 8 - 11.
lectioni tantum & meditationi literarum divinarum, itemque piis precibus intentus eſſet, a præpoſito ſuo iuſſus fuerat, ut rei menſariæ deinceps rationem haberet: conſilium ſibi a Polo expetiit. Huic *Epiſt. XII*, reſpondet, quandoquidem voluntati propriæ renuntiaſſet, ſeque in ſuperiorum obſequium totum transſcripſiſſet, mandato obſequendum eſſe. Po- 21 - 29.
lus ſe, ſecundum Deum, opus Pontificis *Pauli III* agnoſcit. 33.
Mortuo *Henrico VIII* Pontificem monuit, ne occaſionem componendi, & ab omni parte rempublicam Chriſtianam ſtabiliendi, prætermitteret, ſimulque ſuaſit, ut Cæſarem partibus ſuis adiungeret, qua de re etiam confeſſario imperatoris *Epiſt. XX — XXIV* ſcripſit. Ad proceres regni quere- 38 - 47.
las tum ſuas, tum aliorum, de damnis ſub *Henrico*, defert, paternum pontificis in ipſos animum, ad removenda incommoda, quibus premerentur, ſignificat, ſeque miſſum iri, ut ſalutaria ipſis ſuggereret conſilia. *Epiſt. XXIX* Epiſcopo 42 - 44.
Pacenſi, *Franc.* de *Navarra*, rationes exponit, quare ſe illis non dederit, qui ſe pontificem eligere cogitarint, & cur ſummum illud munus detrectarit: dolorem quoque ſuum ob concilium interruptum teſtatur. *Epiſt. XXXIV*, *Petrus Vi-* 53 - 73.
ctorius mortem *M. Antonii Flaminii* luget, eundemque ob doctrinam egregiam, virtutes, ac pietatem intemeratam, elo-

Pag. 8 - 89 gio amplissimo ornat. Quas laudis testificationes, Polus, in responso suo non solum approbat, verum etiam in doloris societatem venit. *Epist. XXXVII* rationes exponit, quare libros, ad regem Angliæ olim scriptos, & alia scripta sua, edere renuat. Porro criminationem adversariorum, insimulantium impietatis, & ab ecclesia Romana defectionis, quod cum illis, qui ab ecclesia Romana alieni essent, commercium aleret, ad illorumque sententias inclinaret, retundit: ostenditque, se summa semper fide in
91 - 106. Ecclesiam Romanam semper fuisse, ob ipsam dignitatibus & opibus suis privatum, quin pro illa sanguinem fundere paratum esse. *Epist. XLIII* scribit, *Mariæ*, Angliæ reginæ, ad tranquillitatem regni, suamque ipsius salutem, necessarium esse, ut ad obsequium sedis Romanæ redeat; percontatur
116 - 119. ab ea, quod *tempus, aut quæ ratio, aptior commodiorque videretur ad ipsius vicarii Christi legatione perfungendum.* Significat seq. epistola regina, quid pro restitutione religionis Romanæ adhuc egerit; nuntiat, difficulter eventurum, ut Pontifex supremum ecclesiæ caput iterum agnoscatur, cum ipsa propter sexum titulo hoc uti non pos-
119 - 121. sit; queritur postremo, quædam Romæ intempestive fuisse divulgata. *Epist. XLVI* multis rationibus probatur, non convenire *Mariæ* reginæ, ut titulum supremi capitis ecclesiæ si-
123 - 127. bi vindicet. *Epist. LIII* se defendit a nonnullorum accusationibus, quasi in Germania sententiam protestantium de iustificatione hominis amplexus esset, & dignitati pontificiæ inhiasset, pacem denique inter Imperatorem & Gallum, qui coniunctis viribus Germanos opprimerent, con-
150 - 158. ciliavisset. *Epist. LIV Philippo II* de matrimonio cum *Maria* gratulatur, & quod ea ratione, Rex Catholicus cum defensore fidei coniungeretur, eam coniunctionem ecclesiæ
158 - 161. saluti futuram auguratur. *Epist. LVI* graviter queritur apud *Philippum*, quod eius alloquium tamdiu exspectare debeat. Ea cunctatione nihil aliud facere *Philippum*, quam ut Christum differat. *Is Christum*, inquit, *differt, qui legatum, mis-*

tum

ſum ab ipſo eius vicario, ad requirendam obedientiam eccleſiæ, i. e. *ipſi Chriſto debitam, non ſtatim admittit.* Pag. 164-
Epiſt. LVIII lætitiam ſuam declarat *Philippo*, quod ſtu- 166.
dioſe in id incumbat, ut religio Romana per Angliam re-
ſtituatur, & ad pontificis obſequium regnum redeat. Ex- 168-169.
cipiunt has Epiſtolas, aliæ Poli ad diverſos, aliorumque ad
ipſum, idiomate Italico ſcriptæ. Sequitur Epiſtola ad *Eduar-* 184-305.
dum, Angliæ regem, de opere adverſus *Henricum* patrem ſcri-
pto, eum in finem conſignato, ut illi, diu ſuppreſſo, pro-
logi galeati loco, præfigeretur. Favorem illius ſibi ad-
iungere nititur, proponendo, ſe ſalutaria ipſi monita, quæ
forte a nemine auditurus eſſet, ſuggerere. Inde queritur 306-308.
de iniuria ſibi facta, quod indicta cauſa, perduellionis reus
declaratus, inque exilium eiectus eſſet. Regis indigna-
tionem ſe incurriſſe non negat, quod ſupremum eccle-
ſiæ Anglicanæ caput agnoſcere, nec voluerit, nec potue-
rit. Neque inficiatur, labes illius ſe notaviſſe, ſed eum
in finem, ut abſtergerentur. Inde obiectionem diluit, 308-310.
prudentia lapſum eſſe, argumentum tractando, ita com-
paratum, ut offenſionem regis evitare non poſſet; re-
gem ipſum ſibi hanc poteſtatem feciſſe, transmiſſo ſimul
libro Sanſonis, ut iudicium ſuum de illo expromeret;
fidei autem formula prohibitum fuiſſe, quo minus ſen-
tentiæ regis & Sanſonis accederet. Cum ſub idem 310-312.
tempus controverſia de divortio reginæ agitaretur, tem-
peſtates exorituras evitaturus, venia regis Luteriam petiit,
quo ſtudio theologico operaretur. Verum & hic illis
moleſtiis, quas fugiebat, fuit implicitus. Rex quippe, Theo-
logorum iudicia exploraturus, ipſi in mandatis dedit, ut
negotium hoc Pariſienſibus Theologis diiudicandum com-
mitteret. In ſcripto autem ſuper cauſa regia, cum qui- 312-313.
dam notaſſent: 1) minus commode ipſum multa de pœni-
tentia ad regem ſcripſiſſe; 2) eundem nimis duriter tra-
ctaviſſe: prius ita diluit: ſi a regibus alienum non eſt
peccare, a perſona etiam illorum alienum non eſſe cen-

ſendum, ut factorum dictorumue pœnitentia ducantur. Ad poſterius reſpondet, debuiſſe regem peccata ſua & illorum magnitudinem noſſe, illa igitur ipſi in omni ſua fœditate proponenda fuiſſe, atque hoc non eo ſe animo feciſſe, ut læderet, ut honori ipſius detraheret, ſed ut ſalutare ipſi remedium ſubminiſtraret, ut errore agnito
Pag. 313-320. & emendato, priſtinus eidem ſplendor rediret. Qua re id conſecutus eſt, ut rex confiteretur, ſe ſcire, non niſi amanti benevoloque animo fuiſſe ſcripta, quæ tamen melius coram & familiari ſermone agi debuerint: quare cavit,
320-326. ne libri ederentur. In toto ſcripto, ait, ſe perſonam medici & ſacerdotis ſumſiſſe. Amorem ſuum atque animum in regem, propriis commodis ſusque deque habitis, ſe declaraviſſe. Inde narrat, quid ſibi cum rege interceſſerit, cum dignitas ampliſſima eccleſiaſtica ipſi ſub hac conditione offerretur, a ſua de divortio illegitimo ſententia ſi diſce-
326-333. deret. Singulari ductu Dei librum hunc ad regem ſcripſiſſe & miſiſſe, mortua *Anna Bolenia*, quæ ipſum ſuis illecebris & lenociniis corruperit, tempus id commodiſſimum ratus. qua re ita exacerbatus fuerit rex, ut crudelia ſupplicia in ſuos ſtatuerer. Quodſi igitur infamiæ maculam illi inurere voluiſſet, potuiſſet ipſius facinora publi-
334-337. co aliquo ſcripto divulgare. Sed obiici ſibi poſſe videbat, ipſum legatum ſummos adiiſſe reges, eosdemque ad arma contra *Henricum* concitaſſe; adhæc libros tandem illos typis vulgari curaviſſe. Ad prius reſpondet, ſe rogitaſſe, ut ſua autoritate & gratia efficerent, ne rex in defectione ab eccleſia perſeveraret, quodſi hortationibus nil proficerent, non negat ſuaſiſſe, minæ ut adderentur. Ad poſterius regerit, ſe neſcio & invito, libros in lu-
337-340. cem protruſos fuiſſe. Inde narrat ſtudiorum & vitæ rationem in Italia, & quomodo, per odium regis, omnis
340-345. ſpes reditus in patriam fuerit præcluſus. Hos ipſos libros, adiecto novo aliquo ſcripto, ad filium mittit, qui, quoniam patri utiles eſſe non potuerint, forte in ipſius uti-

utilitatem cedere possint. Subiungit monita quædam, quæ ipsi & regno eius profutura esse iudicat, ut a patris instituto discedat, cumque pontifice in gratiam redeat. De Epistola hac sub finem monet, eandem totam Clariss. *Schelhornium* amœnitat. *Tom. I* inserendam curavisse, desumtam, uti iustis de causis existimet, ex Cod. MSt. qui olim *Hosii* fuerit; qua occasione quædam adversus *Schelhornium* profert, qui iudicaverit, Polum vatiniano in *Henricum* odio fuisse abductum. Subiungitur Synopsis Epistolarum Poli, seu aliorum ad ipsum, quæ hoc Volumine continentur. Pag. 345-353. 353-354.

Coronidem imponit *responsio sanctissimi* D. N. *Pauli III data ipsi oratori Cæsareo in publico consistorio Romæ* Febr. 1548. Orator, Cæsareo nomine, in consessu Pontificis & Cardinalium, publice protestatus fuerat, quod Pontifex Concilium Tridento Bononiam transtulerit. Hac igitur tota, significatur 1) mœstitia, quam Pontifex & Purpurati ex hac agendi ratione ceperint; 2) demonstratur, in diplomate minime hanc ipsi facultatem datam fuisse, sub ea verborum forma ut contra pontificem & senatum protestaretur. Inde removetur obiectio, quod Pontifex, nullis, nec imperatoris, nec regis Romanorum, nec principum Germaniæ hortationibus, vel precibus, persuaderi se passus fuerit, ut concilium Tridentum reduceret; indeque elucescere, Pontifici res Germanorum curæ minus fuisse. Præterea obiecerat, pontificis responsionem ad Cæsarem illegitimam, præsenti negotio & necessitati ineptam & inconvenientem, fuco & figmentis plenam, ac prorsus delusoriam fuisse, nulloque iure aut ratione niti. A modestia hæc aliena esse, & generalius dicta, nullis probationibus additis, notatur, & quæ sunt alia. Tum de protestatione ipsa differitur, & quid Pontifex decreverit, indicatur. Quoniam orator id sua protestatione ageret, ut ius Cæsaris & imperii salvum maneret, cupere, ut etiam iura sedis apostolicæ, & sacri senatus, inviolata serventur. 355-381. 382-393. 393-396. 397-398. 398-402.

Pro-

Proxima huic ponitur Poli *de pace* oratio, cui *Io. Pbolii*, qui hanc ex Italico idiomate in Latinum converterat, præmittitur Epiſtola. Miſerat illum *Iulius III*, ut inter *Henricum II*, Galliæ regem, & *Carolum V* imp. pacem conciliaret. Hanc ſuadet, 1) quoniam hoc ſit votum Chriſtianorum omnium, ut in pacis fœdera proni concedant; 2) Cauſas, quæ, quo minus fœdera firma adhuc fuerint, impediverint, præcidendas eſſe; 3) quod ex illo bello nulli fructus, nulla emolumenta, ad ipſos redundarint. Quare hortatur, ut uterque *ducem ſequi velit, qui & pacis & belli rectam formulam præſcribat, hunc vero eundem eſſe, qui concordiæ autoris ac principis vices in terris gerat;* 4) Belli diuturnitate factum fuiſſe, ut Turcarum imperator vires ſumſerit, & proteſtantes, quos *teterrimam factionem* nominat,
Pag. 402 - 415. incrementa ceperint. Pacem commendat, & quidem talem, quæ α) utrique parti & reipubl. Chriſtianæ grata & iucunda eſſe queat, & β) ad quam per ipſam providentiam ducantur, cum omnium iniuriarum & calamitatum, quæ bellum comitantur, rationem in iudicio divino olim
415 - 427. ſint reddituri. In addendis, habentur aliquot Epiſtolæ Poli ad *Mariam* reginam, & huius ad illum, ex quibus eſt maxime memorabilis illa *Iulii III* ad Polum, qua hunc legatum ſuum a latere declarat, eidemque ampliſſimam ſuo nomine agendi poteſtatem concedit. Idem *Mariam* ob ſuum in eccleſiam Romanam animum verbis multis collaudat, quos elegerat epiſcopos, confirmat, ſimulque proſperum ſucceſſum ad religionem priſcam re-
427 - 443. ducendam apprecatur. Subiicitur index eorum, a quibus
444 - 448. ſcriptæ ſunt epiſtolæ, hoc Volumine comprehenſæ. Chartæ & typorum nitor ſimilis illi, qui in ſuperioribus Tomis obſervatus eſt. Mendæ, quæ & ſenſum aliquando turbant, paſſim Lectorem morantur. Effigies Poli frontem operis ornat.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Iunii Anno MDCCLIV.

Pars I.

PEUTINGERIANA TABULA ITINERARIA, quae nunc in Augusta Bibliotheca Vindobonensi asservatur, accurate expressa: Numini Majestatique Mariae Theresiae, Reginae Augustae, dicata a FRANC. CHRISTOPH. *de* SCHEYB, *in Gaubickolheim Patric. Constant.*

Vindobonae, ex typographia Trattneriana, 1753, fol. mai. Alph. 1 plag. 2.

Tabula *Peutingeriana* itineraria, nobilissimum antiquae memoriae monumentum, quod olim a *Conr. Celte* relictum *Conr. Peutingero*, cum duo amplius secula in *Peutingerorum* Bibliotheca Augustae Vindel. latuisset, in *Eugenii* primum, deinde hinc in Caesaream *Vindobonae* Bibliothecam, venit, a *Marco* olim *Velsero*, adiuvante *Ortelio*, edita, repetita deinde est a *P. Bertio, Christoph. Arnoldo*, inter *Velseri* opera, *Georgio Hornio*, & tandem *Nic. Bergierio*. Eam cum miris modis, immo miseris, uti edita atque expressa fuerat, discrepare, huius, quam nunc laeti gratique commemoramus, Cl. Autor Editionis, cognovisset, quam laudabili consilio edendam denuo, fideliusque, & ad avtographi ἀκρίβειαν exactius curaverit exprimendam, nostra demonstratione, nemo facile, ut intelligat, opus habebit, qui quidem sentiat, quan-

tum, talia antiquitatis cimelia, & prodi ad eruditorum notitiam, & fideliter exhiberi, rei literariæ interfit. Nam cum priores huius tabulæ Editores, quos fupra diximus, minime diligenter religiofeque ductum ex archetypo exemplum fecuti effent, nec ad modum magnitudinemque archetypi exprimenda exempla curaffent, fed contraxiffent, in anguftumque deduxiffent: caruiffe nos vera & fideli tabulæ huius defcriptione fatendum eft. Nimia enim in eiusmodi rebus diligentia uti nemo poteft, ubi fummæ quoque atque incredibilis diligentiæ curam aciemque plurima fallunt atque effugiunt. Itaque cel. Autor huius Editionis, nil facturus reliqui, quo minus accuratam dediffe, fidelem, omnibusque, quoad eius fieri potuiffet, numeris abfolutam tabulæ huius defcriptionem, merito exiftimaretur, diligentiam ad illud opus & artem fingularem delegit *Salomonis Kleineri*, Geometræ & Architecti Vindobonenfis, viri ad eiusmodi curas atque artificia exercitatiffimi: qui quidem ea ufus eft ratione, ut chartam oleo tinctam veteri tabulæ circumponeret, per quam minutiffimi quoque apices translucerent. Neque vero in hac artificis cura acquievit fides Generofi Editoris, quin totam illam delineationem figillatim, ad fidem archetypi revocatam, exigeret ipfe, quicquid artificis aut aciem fugiffet, aut inviti quoque ftilo elapfum fefelliffet, follicite corrigeret, ac fic demum edi a fe poffe fideliter arbitraretur, fi, expreffa quoque atque exfculpta, denuo ac fæpius religiofo examine caftigaffet. In cuius a fe præftitæ diligentiæ fidem, auctoritates appofuit virorum doctiffimorum, quorum eum complures, & ad fufcipiendum exhortati funt opus, & in fufcepto confilio confirmarunt, adiuverunt, & perfecti atque abfoluti ἀκρίβειαν, fingularemque utilitatem ad literarum inde ftudiofos perventuram, grati atque læti celebrarunt; *Dominici* inprimis *Manfi*, *Lucenfis*, quem felici fato *Vindobonam* veniffe illo ipfo tempore memorat, quo & auctor ipfi effe ad fufcipiendi operis confilium, & ad perficiendi curam adiutor, poffet; Eminentiffimi præterea *Paffionei*, Purpurati Romani; *Nicolai de Forlofia*, Neapol. & *Adami Francifci Kollari*, quorum uter-

que

que Vindobonenſis Bibliothecæ cuſtos eſt; *Hieronymi* denique *Pezii*, Benedictini, & *Er. Frœlichii*. Præterea, ut illud quoque vitaret, quod *Velſero* & *Ortelio* fraudi fuerat, contrahendi ſtudium: exprimendum ita curavit exemplum, ut archetypi ambitum ipſius, viginti in longitudinem pedes Vindobonenſis menſuræ, unum in latitudinem habentis, æquaret, poſſetque & integrum convolvi, & in ſectiones diviſum, per plagulas diſpoſito volumini commode inſeri. Iisdem adeo coloribus diſtinguenda curavit ſingula, quibus in archetypo reperiuntur notata: ut mare cum fluminibus, lineis a dextra ad ſiniſtram vergentibus, viridi colore, per montes atque ædicularum ambitus, punctorum notis, flavi quidem aut fuſci coloris, tecta autem, rectis parallelis intercepta, rubro, viarum denique indices lineæ, rubro item colore, neque alio transſucentes ex transverſo literæ, notarentur. Neque vero id facere ſe religioſe ſatis arbitratus eſt poſſe, ſi, ut ab *Altingio*, *Bertio*, *Cluverio*, *Bergierio*, factum viderat, non ſine turbarum illud quidem periculo, in longioribus utique intervallis, ordinem ipſum, quo notata locorum ſunt intervalla, & milliarium numero, permutaſſet: puta, cum ſic illi poſuerint:

Caſpingio, (ſcil. millia paſſuum)
Tablis 12
Flenio 18
Foro Adriani 12.

aut a dextra ad ſiniſtram:

Foro Adriani,	*Tablis* 12
Flenio 18	*Caſpingio* 12.

ipſe contra fideliter, absque ullo erroris periculo, ad archetypi fidem, ordinavit ac continuavit: *Caſpingio* 12, *Tablis* 18, *Flenio* 12, *Foro Adriani*. Hæc ſunt illa fere, quibus diligentiæ pignoribus, fidem ſuam curamque religioſiſſimam, Editor in præfatione firmavit. Commentarium autem adiiciendum operi, tanto magis duxit, quanto illuſtrius commentandi ſibi, præ ceteris editoribus, adhibendo archetypo, data facultas eſ-

 ſet;

fet, quantoque utilius, quæ ad intelligentiam uſumque huius præſtantiſſimi monumenti facerent, coniunctim, & absque operoſæ inveſtigationis, variæque lectionis diſpendio, ante oculos eſſent. Huius ergo commentarii quinque ſunt capita, quorum primum, *de veterum Tabulis geographicis atque itinerariis*, copioſe exponit, earumque ex omni antiquitate memoriam repetit, & veſtigia notat: quæ tamen, poſt *Weſſelingii, Fabricii*, aliorumque curas, diſputata, indicaſſe nobis quidem ſuffecerit, repetere autem atque excerpere, tanto minus neceſſarium fuerit, quod nec primum nunc proferuntur, & inſtituto magis ſuo dediſſe hoc videtur Editor doctiſſ. ut, præcipuum, atque adeo unicum illuſtraturus veteris Geographiæ monumentum, de tota re quædam in univerſum præmitteret, eaque colligeret, quæ ad intelligentiam ſequentis diſputationis, non uno inſervire modo poſſent. In eo tamen nos cum viro excellenter docto facere non poſſe videmur, cum etiam ἀπογραφὴν illam, quam *Auguſti* iuſſu factam, *Lucas cap. II* init. perhibet, ad geographicam orbis terræ deſcriptionem, ſtudio fortaſſe inſtituti ablatus ſui, refert: quod, ut in illa loquendi forma locum habeat, ἀπογράφεσθαι ὅλην τὴν οἰκουμένην, in hanc certe non cadit, qua *verſ. 3* unusquisque civium Rom. profectus dicitur εἰς τὸ ἀπογράφεσθαι. Iis itaque diutius immorabimur, quæ inde a *pag. 15 cap. 2, de auctore, origine, atque ætate*, & quaſi natalibus celebratiſſimi huius monumenti, & docte, & utiliter, nec ſane ut aliorum, aut ante ſe dictorum, interpres, vir Gen. diſputavit.

Et ætatem quidem Tabulæ huius, ut hoc ſtatim ſimpliciterque ſignificemus, ad A. C. 393, auctoritatemque *Theodoſii M.* refert. *Rhenanus*, eumque ſecutus *Velſerus*, ſub ultimis Impp. confectam, ſtatuunt. *Anonymus* quidam auctor *Ferrarienſis*, cuius parva Chronica Scriptoribus rerum Italicarum inſeruit *Muratorius*, ſi quis proclivior ſit ad credendum, & curioſioris operæ impatientior, ei breviter aperire originem tabulæ huius poſſe videatur his verbis: *Ante Chriſti nativitatem, per annos 30, & amplius, decreto Senatus Romani, in Europa, Aſia, & Africa, ſtudio M. Antonini, Coſ. Rom. facta eſt diviſio itinerum de diſtan-*

stantiis, quae erant inter praecipuas civitates Romano imperio subjectas, ut de ipsis distantiis omnibus per scripturam constaret; & ex ipsis scriptis confectus est Codex, qui itinerarium appellatur, quem ipse perlegi non semel. Sed cum itinerarium illud, quod sub *Antonini* cuiusdam nomine innotuit, post alios a *Wesselingio* editum inter *vetera itineraria*, (Amstel. 4, 1735) ipsa Scriptoris verba aperte significent: hoc quidem cum *Peutingeriana* idem *tabula* agnoscere, non una vetat diversitatis nota. Nam, quae ab illo *Anonymo* via commemoratur in illo itinerario reperiri ab *Aquileia Bononiam* usque, in *Antonini* ea, non *Peutingeriano*, reperitur signata: diverso ceteroquin modo ab *Anonymo* illo *Wesselingioque* notata: quam diversitatem Noster apponit, a *Wesselingio* minime observatam, etsi (l. c. p. 281.) huius chronici Ferrariensis mentionem facit. Est autem haec:

Chron. Ferrar. Ab Aquilegia usque Bononiam sunt CCXV millia passuum, hoc modo: Ab Aquilegia		*Wesseling.* Iter ab Aquilegia Bononiam M. P. CCXVI. Sic:	
Concordiam millia passuum	XXXI.	Concordia M. P.	XXXI.
A Concordia Altinum	XXXI,	Altimo	XXXI,
ab Altino Patavium	XXXII,	Patavis	XXXII,
a Patavio ad Estum	XV,	Ateste	XXV,
ab Esto Meianum	XX,	Anneiano	XX,
a Meiano ad Vicum Varianum	XVIII,	Vico Variano	XVIII,
a Vico Variano Sermidum	XX,	Vico Sernino	XX,
a Sermido Mutinam	XXIV,	Mutina	XXIII,
a Mutina Bononiam	XVIII.	Bononia	XVIII.

Nec vero ea, quae in illo itinerar. Ant. *Patavio* ad *Mutinam* signata est via, eam *Peutingeriana* tabula habet; cumque id viarum dispendium ad aquarum exundationem referat *Rutilius*, Itiner. 1, 37, his verbis:

Electum pelagus, quoniam terrena viarum
Plana madent fluviis: •

hic autem poeta circa A. C. 510 floruerit: tabulam *Peutingerianam*, in qua nil tale notatum est, his temporibus antiquiorem apparet fuisse; tardius enim concinnari nequiisse, deinde demonstratur. Cumque ea fluviorum exundatio a *Sigonio* (de regn. Ital. edit. Basil. 1575. p. 24. ad mens. Octobr) ad A. C. 489. referatur: eo tempore concinnatum illud Itinerarium probabile est, hoc est, ex antiquioribus quoque collectum, ut ex eo, quod sub *Antonino* illo, seu quisquis is fuit, institutum erat. Quae eadem potuit ratio *Peutingerianæ* tabulæ concinnandæ fuisse: ut eo modo *Cottiarum Alpium*, & ciuitatum regni *Cottiani* mentio in ea fieri potuerit, nec ideo ad *Augusti* ætatem retrahenda sit cum quibusdam, qui parum reputasse videntur, quid *Franciæ*, quid *Constantinopoli*, quid *Templo S. Petri*, obuiis in tabula illa nominibus, faciant. Antiquiorum autem locorum, veluti *Cottiarum Alpium*, ex antiquioribus ducta itinerariis esse potest; quæ quidem iam sec. secundo in usu Romanis fuisse, ex *Aristidis* Oratione in Romam (p. 113. ed. Basil. 1566) docere vult Gen. Auctor: quam recte, alii iudicent. Locum ipsum ponemus. *Quapropter etiam viae rationem* (haud dubie leg. *vitæ*), *quæ ante Triptolemum usurpata fertur, eandem fuisse existimaverim, quæ ante vos in usu fuit: duram videlicet atque agrestem, & a montana parum distantem; mansuetam vero illam, & quæ nunc viget, ab Atheniensibus quidem initium cepisse, a vobis autem pariter secundis, quod aiunt, melioribus esse confirmatam, Nulla nunc terræ descriptione opus est, nec singulorum leges recensere quicquam attinet, postquam vos communes omnium orbis explanatores extitistis, totiusque terræ portis apertis, unicuique, quod vellet, inspiciendi potestatem fecistis.* Neminem fore credimus, qui in his verbis geographicæ descriptionis vestigia deprehendat; in quibus de nulla alia re sermo est, nisi de moribus hominum legibusque, quas nunc in imperio Rom. facile cuique & promtum cognoscere sit, cum Romani totum orbem terrarum, pervium commerciis, & facilem aditu, reddiderint. Actumque præclare est, quod ea capite priori attulit vir præstantissimus, quæ hoc no-

vo,

vo, uti vult, argumento, carere nos facile finant. Sed ut cœpta persequamur: ante A. C. 368 confectam hanc tabulam, non admittunt amissæ illo anno, atque abstractæ ab imperio Romano, cum *Theodosius*, Magni pater, in *Britannia* bellum gereret, non urbes modo, *Iocosium*, *Taugerium*, *Tavesium*, *Casarea*, sed provinciæ quoque, quæ nunquam postea ad imperii corpus reversæ, in hac nostra tabula non inveniuntur. Ab A. C. autem 392 ad 407 & porro, cum barbarorum in Italiam Galliasque incursiones frequentissimæ, & turbaverint ita ac devastaverint imperium Romanum, ut Geographicas tabulas concinnandi nec tempus, nec sane facultas esset, & eas ab imperio provincias avellerint, quæ deinde nunquam sunt restitutæ; in tabula autem hac, tanquam partes Imper. Rom. compareant: anno 392 antiquiorem putat V. D. Relinqui ergo spatium ab anno 337 quo *Constantinus M.* mortuus est, ad annum 392. Sed in illo intervallo plena omnia turbarum fuisse in Imperio Rom. per quas tale opus fieri non potuerit: itaque consequens esse, ut *Theodosio M.* debeat originem suam, nam & principis opus esse, quod haud privatæ operæ aut impensæ tanti operis magnitudo fuerit; & Christiani, quod quæ in ea passim leguntur: *desertum ubi 40 annos erraverunt filii Israel, ducente Moyse:* &, *Locus, ubi acceperunt legem in monte Syna:* &, *prope Romam, ad D. Petrum: in Sardinia, Crucis:* paganum auctorem respuunt. Nullum autem eo tempore, præter *Theodosium*, Christianum principem fuisse, cui quidem, curare opus tale conficiendum, vacaret. At ipse hic *Theodosius*, nec Christianus ante A. 380, nec vacuus ante A. 390, quo Constantinopolin redux, constituta republica, rursus A. 394 in Alpes extractus, cum *Eugenium* mira quidem celeritate vicisset, anno mortuus insequenti, conficiendo huic operi, de quo sermo nobis, otium atque facultatem, extra biennii eius limites, quod ab A. 392 ad 394 effluxit, habuisse nullam videtur. Sic in angustum compulso, quod investigat V. C. temporis spatio, non frustra putat, quod *Vegetii* auctoritas accedit, quem sub *Theodosio M.* scripsisse, & summorum virorum auctoritatibus confirmatur,

&

& argumentis deprehenditur manifestis. Is enim itinerariorum usum, miris ubique modis, & principi, & exercituum in primis duci, commendat. Usum autem esse talium indicum sive tabularum adiumentis *Theodosium*, e celeritate apparere putat V. C. qua ab Constantinopoli ad Alpes usque confectum ab eo & superatum iter, praedicat in Panegyrico suo *Pacatus Drepanius*, A. 391. Nam celeritas, in perpetua ignoratione atque investigatione itinerum, quin tardata ubique fuerit, neminem dubitare posse. Quae ratio, pace V. C. dixerimus, sane parum probabilitatis habet, cum ignoratio viarum publicarum e defectu tabularum talium colligi nullo modo possit. Ac sub *Theodosio* iuniore, id est, Magno, sic enim & *Ammian. Marcell.* vocat, orbis terrarum factam dimensionem, agnovere *B. Rhenanus*, *M. Velserus*, *Salmasius*, & *Iac. Gothofredus*. Nempe ex Codice MSto regiae Parisiis Bibliothecae, qui olim numero 990, nunc 4806 signatus est, afferunt carmen *Dicuilis* cuiusdam, quem tamen ut imperitum monachum reprehendunt, quod missorum, sive mensorum *Theodosianorum*, faciat mentionem. Sed vir doctissimus, *Schoepflinus*, literis ad *Scheybium* V. C. datis, scripsit, non ipsius esse *Dicuilis* hos versus, sed mensorum *Theodosianorum*, qui eos operi suo addiderint. Sunt autem hi:

Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur,
Aequora, quo montes, fluvii, portus, freta & urbes
Signantur, cunctis ut sit cognoscere promptum,
Quicquid ubique latet. Clemens genus, inclyta proles,
Ac per saecla pius, totus quem vix capit orbis,
Theodosius Princeps, venerando iussit ab ore
Confici, ter quinis aperit dum fascibus annum.
Supplices hoc famuli, dum scribit, pingit & alter,
Mensibus exiguis, veterum monumenta secuti *).

In

*) Observentur haec verba, contra ipsius Gen. Editoris sententiam; quae, si ad tab. Peut. pertinent, quid aliud, nisi ex aliis itinerariis concinnatam fuisse, docent?

In melius reparemus opus, culpamque priorem
Tollimus, ac totum breviter componimus orbem;
Sed tamen hoc Tua nos docuit sapientia, princeps.

Dicuilem autem istum fuisse docetur Hibernum, *Caroli M.* temporibus aequalem, qui de mensura provinciarum orbis terrae scripserit: subiectus ille liber itinerario *Antoniniano*, 16 folia continet, quaternis. Aetatem eius indicavit *Cangius*, in Constantinopoli Christiana *Lib. I Cap. 20;* nec superare decimum seculum posse docet. Operi suo complures *Virgilii*, aliorumque, versus inseruit, & hos ipsos mensorum *Theodosianorum* descripsisse se demonstrat. De re ipsa autem haec affert: *In quinto decimo anno regni Imperatoris Theodosii, praecepit ille suis missis, provincias orbis terrae in longitudinem & latitudinem mensurari.* Neque vero adiumentis ad eam rem suscipiendam destitutum fuisse, vel tabulae illae geographicae ostendant, quas in porticibus scholarum publicarum expositas laudat *Eumenius*, in Panegyrico *Constantii:* quibus simile monumentum Augustoduni in Gallia marmoreum fuisse, *Trivoltienses commentarii* prodiderunt: *pag. 2097* A. 1706 mens. Decembr. Atque etiam in mensorum nomina inquirit V. C. quibus hoc opus ab Imp. *Theodosio* mandari potuerit. Haec igitur est summa disputationis *Scheybianae*, de aetate Tabulae *Peutingerianae:* quaad summum hoc efficitur, ut *Theodosii* aetate exemplar *ἀρχέτυπον* factum sit, e quo hoc *Peutingerianum* exemplum fluxit, non, ut hoc ipsum exemplum, eo tempore concinnatum putetur, quod vel literarum forma incredibile facit; cuius, mirandum est, a V. C. in hac tota disputatione rationem prorsus nullam habitam esse. Quamquam & prius non satis certo argumentis V. C. conficitur, in quibus quaedam esse parum probabilia, iam ante obiter notavimus.

Cap. 3. *fata tabulae* huius, & quasi migrationes, exponuntur. Eius posterior pars, quae ad recentiora tempora pertinet, tacta iam est ab initio: prioris disputatio illa, quomodo tabula haec Constantinopoli in Italiam venerit, supervacua est ex ante dictis, nec minus

cetera, certe incerta, quæ de vestigiis eius apud *Iornandem*, de rebus Geticis, apud *Anonymum Ravennatem*, aliosve, disputantur. . Ceterum Sec. XV conspecta haud dubie videtur *Felici Malleolo*, Doctori Bononiensi, Præposito Solodurensi & Cantori Turicensi: qui in Dialogo *de Nobilitate & Rusticitate*, describit *Itinerarium urbis Romæ, in quo designata* fuerint *provinciæ, maria, urbes, leucæ, milliaria, insulæ.* Ubi autem hanc tabulam viderit *Malleolus*, promtum est ex Comitis *Nuenarii* verbis cognoscere: qui, in commentar. de *Gallia Belgica*, visum *Spiræ* sibi ait, in Bibliotheca publica *Itinerarium Theodosianum.* Idem tamen cum aliud a se, vetustissimum quidem, perlustratum demonstret in Bibliotheca *Peutingeri*, Protonotarii Augustani: *Henninius* in not. ad *Bergier.* indicari hoc altero putat fragmenta & particulas tab. *Peuting.* a *Velsero* apud *Aldum* editas: quæ ratio locum non habet, cum id factum sit anno demum 1591; *Nuenarius* autem mortuus 1530. Eandem autem illa duplici commemoratione tabulam designari, ex eo patet, quod unam eandemque rem ex utraque refert, *Asciburgum*, inter *Vetera Castra* & *Novesium:* cum in *Antoniniano* Itiner. edit. *Bertianæ*, eius loco legatur *Gelduba* & *Calone;* in *Wesselingiana* autem *Calone* tantum. Nec dubie post illud tempus, quo *Malleoli* oculis usurpata tabula fuerat, *Spiræ* mansit, donec ad *Conradum Celtem* pervenit. *Cap. IV* primum vitia superiorum editionum declarat, & multorum virorum eruditorum peccata notat, qui ipsum avtographum tabulæ huius non consuluere. Nam *Velseri* quidem, præcipua illa, editio, præterquam quod ad dimidium mensuræ modum contracta, breviora omnia atque imminuta, eoque ipso non obscuriora modo reddidit, verum etiam perturbatiora: linearum quoque ductus, ac numerorum notas, varie permutavit; cuius generis 268 errores deprehensos, Noster, longa serie *pag. 39* commentarii huius proposuit. Et tamen *Velserus*, summa fide omnia descripta, sancte confirmabat. Ex eo ducta *Hornii*, *Bertii*, *Bergierii*que exempla, aliquanto, uti par est, vitiosiora. Talibus editionibus usi viri docti, mirum non est, si infinitis erroribus

in-

implicarentur, falſique ipſi, aliis imponerent. Cautum eſt iam ab hoc periculo Viris doctis, poſtquam ea, quam ab initio commemoravimus, & ab Autore Cl. exponitur C. V. diligentia & ἀκρίβεια adhibita ab. Gener. *Scheibio* in hac nova editione, licebitque iam tuto uti *Peutingeriana* tabula in vetere Geographia illuſtranda.

CASTI INNOCENTII ANSALDI, DE BAptiſmate in Spiritu Sancto & igni, Commentarius Philologicus. Cui accedunt Orationes duæ in Athenæo Ferrarienſi habitæ.

Mediolani, 1752, 4.

Alph. 1 plag. 15.

Hunc commentariolum, *Anſaldo* Viro Clariſſ. quidem maxime, ſed quodammodo etiam *Phil. Argelato* debemus, quo ſuadente ſcriptus, curante autem editus eſt. Ratio argumenti tractandi hæc eſt, ut opinionibus veterum ac recentiorum enumeratis examinatisque, quid ſibi maxime placeat, oſtendat. Primum autem hoc pro certo ſumit, *ignis* verbum non e margine in textum veniſſe, contra quam *Millio* viſum. Eo porro verbo negat primo intelligi ignem purgatorium, quod is ſignum Meſſiæ eſſe nequeat, aut afflictionem piis impendentem, aut baptiſmum martyrii, aut belli Hieroſolymitani incendium, aut vim Spiritus Sancti igneam. Nec ad Eurum in Palæſtina, tempore æſtivo noxium, reſpici putat, quod *Nonnenio* & *Deylingio* noſtro, Viro Celeb. viſum, aut ad terræ combuſtionem, quo trahit *Thom. Burnetius*, nec ad *purgationem per ignem*, ut *Schœtgenio* nuper placuit, e *Sanhedrin f. 39, 1*, & *Numer. XXXI, 23*, quacum nihil illi baptiſmo Chriſti commune eſſe, res ipſa oſtendat. Ipſe exiſtimat, *Joannem* verbis iſtis excellentiam Chriſti, & baptiſmi ab ipſo inſtituti, indicare voluiſſe,

fuisse, quæ se exseruerit miraculis, cum Christi baptismo, non autem *Joanneo*, conjunctis. Nam & ipsos Judæos, notante *Lightfoto*, facultatem patrandorum miraculorum רוח הקודש vocare. Βαπτίζειν porro idem esse atque *consecrare*, *initiare*. Ut igitur Israelitæ per nubem & mare initiati fuerint, quod iis miraculis divina *Mosis* missio planissime firmaretur, sic per miracula insignia initiandos homines disciplinæ Christi fuisse. Quo loco etiam docet, *Joanni* propterea miraculorum patrandorum vim datam non fuisse, ne pro Messia haberetur, cujus id signum tradiderint Prophetæ, eamque vim *Spiritus* nomine appellari ab ipso Christo *Jo. VII, 37, 38*. In qua interpretatione vitiosum videtur, quod *Spiritus* quidem, non autem *ignis* ratio habetur. Atque hæc est summa operis, paucis paginis comprehensa. Ceterum, multæ aliæ per hanc occasionem natæ quæstiones ac disputationes accesserunt, quibus liber ad eam magnitudinem crevit, quæ, si solum illud, quod propositum erat, tractaretur, esse nullo modo posset. Sic *Cap. 4*, disputat, quare *Ioannes* se *Eliam* esse negaverit, & de opinione Judæorum de Elia ante Messiam redituro: quo loco defendit etiam *Zachariæ Luc. I*, interpretationem verborum *Malachiæ* אליה הנביא per προφήτην ὑψίστου, putatque verba Prophetæ commode verti posse: *Ecce ego mitto vobis Domini Dei Prophetam;* denique opinionem Judæorum e versione LXX ortam. Quæ valde veremur, ut probet multis: cum vestigia illius opinionis in media Judæa reperiamus, *Zacharias* autem non presse interpretari locum *Malachiæ* voluerit; sitque tota illa *Malachiæ* interpretatio contortior. Credebant autem per *Eliam* restitutum iri, quæ in altero templo desiderabantur. Hic longa disputatio de Schechinah, e ratione vulgari: item alia adversus *Basnagium*, negantem uspiam in sacris libris *Eliam* vocari Prophetam; excidit aliud agenti id *Basnagio*, nec refutatione indigebat: denique adversus somnia *Burnetiana*, de universali Iudæorum conversione, inque terra repurgata regno Christi millenario, Christo per modum Schechinæ se eminus ostendente. Post, quomodo

omnia

omnia illa, quorum reſtitutionem Iudæi per *Eliam* exſpectabant, per Chriſtum reſtituta ſint, oſtendere inſtituit, initio facto a Schechinah, quam in locis reperit omnibus, ubi δόξα τοῦ Θεοῦ, omninoque δόξα Χριστοῦ occurrit. Ad calcem ſubiectæ ſunt *duæ Orationes: altera* de *larvata ſimplicitatis, in tradenda Theologia, ſectanda methodo*, oppoſita Proteſtantibus Theologis, inprimisque *Turretino, Mosbemio & Zimmermanno*, qui negant, aliunde dogmata religionis Chriſtianæ, quam e ſacris libris, confirmanda: in qua ad extremum auditoribus, vere ſimplicem ſe Theologiam, ſc. *Thoma* duce, traditurum, promittit. Altera eſt *de moderatione animi in ſtudiis Theologicis*.

IN PINDARI PRIMUM PYTHIUM DISSERtatio, habita Cantabrigiæ, in Scholis publicis Imo Kal. Iulias A. D. MDCCL, a GUILIELMO BARFORD, M. A. Collegii Regalis ſocio.

Cantabrigiæ, typis academicis excudebat I. Bentham, 1751, 4 mai.

Plag. 21.

Cum variis de cauſis literarum Græcarum ſtudia hodieque in Britannis mirifice floreant: non exiguum eruditionis ingeniique ſpecimen dediſſe popularibus *Barfordus* exiſtimandus eſt vir doctiſſimus, primum *Pindari*, lyricorum Poetarum principis, Pythium interpretatus. Placuit eidem, ſine ullo præloquio, hanc, quam vocat, diſſertationem, lectoribus in manus tradere; unde ex ipſa tantum operis perfectione de eius iudicare licet conſilio. Deſcribit *Pindari* carmen laudatum in certas partes, quibus ſtatim ſubiungit obſervationes ſuas, in quibus modo ingenium Poetæ, eiusque in pangendis carminibus artem, commendat, modo lumen carmini ex hiſtoria antiqua affert, modo in veram vocabulorum vim inquirit, modo emendare verſus, ſed raro, veramque iis lectionem, ab aliis ſollicitatam, conſervare nititur. Liceat ſpecimen aliquod

generis cuiusque annotamentorum hic afferre, unde ad cetera Lectores nostri possint coniecturam facere. Primo igitur
Pag. 1, 2, 6. *Pindari* artificium, magnumque in primis ingenium, in exor-
7, 8, 9, 13, 16. dio, visione fingenda, descriptionibus, ut aquilæ, Aetnæque, concinnandis, digressionibus, in quibus eum admiratione prorsus dignum esse iudicat, & subnectendis sententiis, ap-
10. 18. prime cerni docet. Aquilam ubi ille describit, contra eos
2. disputat, qui antiquum *Iovis* simulacrum in animo habuisse *Pindarum* coniiciunt, atque neminem eum, præter optimum naturæ exemplum, respexisse putat, propterea, quia nec pictores nec statuarii ita queant aquilam effingere, ut, *Iovis* sceptro insidens, altissimo somno opprimi, alasque iamiam
7. demittere videatur. *Virgilium* vero *Æn. III, 571* in Ætna describendo hanc Pindari picturam respexisse, ipsi fit probabile. Utrum vero Epicus, an Lyricus Poeta sit præstantior, diu multumque inter grammaticos disputatum esse, atque a *Pindari* partibus *Gellium*, a *Virgilii Cerdanum* stetisse, docet; ipse vero Auctor haud obscure litem dat secundum vatem Thebanum. Deinde antiquam historiam passim illustrat, cuius rei exemplum habemus Typhœum, quem diversis mon-
4. tibus, pro temporum diversitate, subiecisse veteres ostendit, & *Strabonem* quidem *Lib. 16* Geograph. *pag. 750.* Pindarum *Pyth. 8, 20* & *Æschylum* Prom. *vers. 351* Ciliciæ montibus; fabuloso, apud lacum Serbonidem, Ægypti antro, *Herodotum* Thal. *Cap. 5* unde vapores eius mortiferi Τυφῶνος ἐκπνοαὶ dicebantur; alios Ætnæ, monti Siciliæ, propterea, quia omnis terræ tractus, a Cumis Italicis ad Siciliam usque cavernosus erat atque inflammatus, *Strab. V, pag.*
5. *248.* Quam fabulam Græcis, de angelorum prolapsione, hi-
7. storiam, ex mente quorundam, ostendisse observat. Quæ de Siciliæ fertilitate, de Ætna, qui Catane ante dicebatur, aliisque rebus, passim erudite monet, silentio præterimus. Ad *vers. 126* observat, Δωριῆς appellari Spartanos, quod in Peloponnesum, plurimæ Doriensium deductæ essent coloniæ, Linguæ Doricæ specimen afferre *Aristophanem* in Lysistr. *vers. 987* neque Lacedæmonios tantum Doriensium clarissimos

mos fuiſſe, ſed alias eiusdem peninſulæ civitates idem ſibi nomen vindicaſſe, docet. Hinc numeroſas in Siciliam, Aſiaticam Doridem, Tarentum, Crotona, aliasque inferioris Italiæ oras, colonias deductas eſſe, ait: ipſos vero Dores, qui in Peloponneſo conſederant, ex Theſſaliæ, iuxta Pindum, regionibus migraſſe, ex *Strabone Lib. V pag. 221* vero ſimile facit. Veniendum nunc eſt ad obſervationes illas, quibus de vera vocabulorum quorundam poteſtate diſputat. Atque hic primo nobis occurrit illud Pindari: *τὸν ὑγρὸν νῶτον*, quod *Schmidium* peſſime, *delectatione perfuſum*, interpretatum eſſe indicat; alios, metaphoram dithyrambicam ſubeſſe vocabulo voluiſſe docet, quæ tamen qualis ſit, ignorare ſe profitetur. (Sed rediiſſe tamen in eius memoriam deinde videtur; facit enim ipſe metaphoræ debacchantis violentiæ mentionem, temperamento quodam leniendæ.) Ipſe, *ἐνδιάχυλον* in Scholiis ſecutus, putat, Poetam intellexiſſe *dorſum ſinuoſum*, ac finxiſſe, ſubſidere aquilæ corpus alternis vicibus, & attolli aut reciprocari inter dormiendum, reddito & recepto ſpiritu. Interpretationem hanc ſatis tuetur auctoritate *Xenophontis*, de re equ. *pag. 950* edit. *Leuncl.* (*Cap. 1*) & *Longini* de ſublimi *§. 34* Eleganter. *Ὀργὴν verſ. 173*, in ſenſu minime vulgari uſurpari docet. Nomen enim illud, & iram proprie indicare, *Ariſtot. Rhet. II, Cap. 2*, & ſenſu bono dici, ut hic, & alibi apud *Pindarum Iſthm. 2, verſ. 52*, & pro moribus, quibus quisque præditus eſſet, poni, (*Soph. Aiac. verſ. 1172*,) obſervat. Critici partes uno tantum in loco agit: *κατασχόμενες verſ. 18* in *καταγχόμενος* mutari oportere, ut Oxonienſes ſenſerant, ideo negans, quia, uti ratio docet, figura conſtare ſibi debet, non variis imaginibus rerum, undecunque ſumtis, & inter ſe pugnantibus, diſtincta eſſe: quippe quæ non maieſtatem, ſed pannoſam oleant & ſordidam paupertatem. Ex quibus omnibus facile intelligent Lectores noſtri, *Pindarum*, ſi totum illuſtratum ita haberemus, pueris adoleſcentibusque accommodatiorem futurum eſſe, quam viris, eruditionis laude præſtantibus.

Pag. 14. 15. 3. 11. 19. 3.

10.

IO. MICH. HEUSINGERI EMENDATIONum libri duo, quibus ex veterum scriptorum Græcorum & Latinorum integris aliquot Voluminibus, plurima menda eximuntur, multa eorum loca explicantur, non nulla vindicantur. Accedunt eiusdem antibarbaræ Latini sermonis observationes, in unum corpusculum collectæ, & multis partibus auctæ. Edidit, atque indices necessarios adiecit, FRID. HEUSINGER, I. M. F.

Gothæ, apud Christianum Mevium, 1751, 8.
Alph. 1 plag. 10.

Eo magis lugendus est *Heusingerus* ille, quo minor iam est literis eligantioribus deditorum, nedum eas huius exemplo callentium, numerus. Interea grati suscipimus, vel post funera viventem virtutem, atque illud nominatim opus osculamur. Partes ipse titulus designat. Emendationum prior Liber uni *Lactantio* datus est, cui multorum locorum incorruptam scripturam, ab aliis vel posthabitam, vel præteritam, vel nondum repertam, auctor sibi restituisse videtur, idque partim e codice *Gothano*, plerisque ceterorum præferendo, partim e libris Seculo XV, & XVI, publicatis, partim etiam e coniectura. Non postrema fuit in eo cura Græcorum: inde, quæ Sibyllinis e libris, e Trismegisto, ceterisque miscentur, quantum valeant robore, penes eos erit iudicium, a Latinis qui seiunxere nunquam. Id quidem certum est, non versus modo plurimos, in vulgaribus exemplis, a modorum poeticorum legibus recedere, sed & in oratione soluta quædam a probata loquendi consuetudine discrepare. Quod eo magis mirandum, ubi plurimos editores, & in iis *Aldum Manutium*, a *Marco Musuro*, Græco homine, adiutum, multa menda sustulisse videmus, quæ posteriores, aut retinuerunt, aut revocarunt, novisque de suo cumulaverunt. Posterior liber scriptoribus Græcis & Latinis datus est: quamquam & idem opuscula integra, primoque loco fabulas *Æsopias*, quæ Græce vulgatæ sunt, easque præsertim, quas ipse non recensuit Auctor, opus imperfectum relin-

relinquens, & quidquid inde nascitur laudis permittens aliis. Ibi convenientissimus emendationi & explicationi fabulae XVIII locus erat, quam antea filius, Ienae degens, scripserat; noster autem, aliud agens, cum non exhibuerit loco suo, postremis pagellis servare, quam omnino supprimere maluit. Excipit fabulas *Himerii* declamatio in *Iulianum* imperatorem, ab *Io. Alb. Fabricio*, ex *Ebingeri* schedis primum in lucem revocata, nunc autem accuratius, ex Augustano codice, descripta. De Latinis, *Iustini* loca non ita multa tetigit auctor; aliquanto plura *Corn. Celsi* de medicina; sed *Curtii*, *Senecae*, *Plinii*que minoris, maxime priorum librorum, menda sustulit plurima. Memoravit inter haec *Albricum*, aevi medii μυθογράφον, cuius epitomen modo publici iuris fecere *Munkerus* & *Staverius*; eiusque poetarium, quod periisse creditum est, salvum ad nos pervenisse docuit. Tot volumina velut uno fasce comprehendendi, causa fere fuit unica, lectorum fastidium, quorum plerisque fore se putabat molestum; si, quemadmodum in priore Libro, ita etiam in hoc, uni tantum immorari vellet. Antibarbaras observationes eruditorum iudicio subiicit vir doctissimus, laudabili sane conatu: nam sicubi, potissimum hic loci, vis erit coniuncta fortior. Ante vero quam exhiberi ea fortitudo queat, eadem omnes de parte rem latinam contemplentur, easdemque secundum regulas iudicent, oportet. Non sufficit, aetatis aureae scriptorem aliquod adhibuisse vocabulum; poetane fuerit, an orator, an alius scriptor, considerandum erit. Multum etiam interest, Davusne loquatur, an Oedipus. Nec oblivioni esse regula debet, tamquam scopulos, sic esse rarum & infrequens vocabulum evitandum. Hic opus est adsiduitate, iudicioque firmissimo; nec umquam alias magis dies est diei magister. Tot invenimus rationes, vel *Heusingero* gratias agendi, vel obitum illius, quamvis haud immaturum, dolendi; sed filium reliquit, quem, licet aliis in spatiis oecupatum, idoneum iudicavit, qui commentationes paternas, etiam affectas, perpolitas suo Marte, publicam emitteret in lucem. Huic ipsi praesertim iam indices debemus, *Tullianum*que librum, de of-

ficiis, ope codicum manuscriptorum, & exemplarium vetustorum, copiosissimis observationibus illustratum a parente, proxime debebimus. Sed, spem haud quaquam emittentes in futura, contenti sumus *Catone* præsenti. Quod quantopere simus ut elucescat, dare aliquot operis specimina iuvabit. Dabimus vel unum & alterum, licet difficilis sit in hacce copia selectus, & plenam ipsi scripto sitim servare malimus. Servamus ad *Lactantium*, *Æsopias* fabulas & ad alia loca quod attinet. De *Iustino* saltem observamus, locum *Lib. XII cap. 10* adversus cel. *Trillerum* vindicari: cum loco *velaretur*, ille præferat *levaretur* retineri. *Lib. II cap. 2 Vincentii Bellovacensis* e *speculi historicalis Lib. III cap. 36* lectio: *sine arbitris, sine consciis*, pro *convicio* recipitur; ubi nos quidem, qua ratione sic historicus cognoscere potuerit, ignoramus, & præterea posteriorem lectionem amplioris esse sententiæ credimus. *Alberici* libellus, de imaginibus Deorum, vel poetarium, totum invenitur in Bibliotheca Gothana. Præfixum est verbosum satis procemium, quod *Revius* in *historia Daventriæ*, ex hoc *Munkerus* in præfat. ad *Tom. II* mythographor. Latinor. sub *Fulgentii* nomine publicavit, auctoritate membranæ Gothianæ, reddendum auctori, & a mendis aliquibus perpurgandum. Ipsi quoque scripto pauca iunguntur in codice Gothiano, nec ea tamen omnia ab auctoris esse manu videntur: nam inepte quædam e superioribus repetuntur. Liber ipse, cuius primum Caput est *de ortu idololatriæ*, plura continet haud iniucunda lectu, neque tantum fabulas narrat, sed & antiquos ritus & mores illustrat. Agens enim de Saturno, priscam sepeliendi rationem describit, & e *Servio*, nec minus aliis scriptoribus Græcis & Latinis, ea passim adfert, quæ de multa lectione testantur. Ad epistolas *Plinianas* quod attinet, cum suis virtutibus pluribus commendantur, quæ nunc in omnium manibus sunt politissimæ, tum eo quoque nomine non possunt non esse carissimæ veteris eloquentiæ studiosis, quod e communi literarum quasi naufragio, non salvæ solum evaserunt, verum inde pariter quam minimum vitii contraxerunt, Germanamque illam ætatis argenteæ

Lati-

Latinitatem illibatam fere conservarunt. Adeoque, quod bonis libris aliis exitio, saluti fuit illis, quod aevo medio, bibliothecarum in angulis neglectae iacuerunt, neque literatis hominibus, aut librariis, dignae visae sunt, quae legerentur a multis. Testis est *Vincentius Bellovacensis*, Seculi XIII scriptor, aetatis suae doctissimus, qui *Plinianas* Epistolas ad diversos se modo centum invenire potuisse confitetur, in *speculi historicalis Lib. X cap. 67.* Decimus Liber ante Seculum XVI in lucem non emersit, nec Libri VIII, IX, potuerunt omnes epistolae primis editionibus publicari. Antibarbaras observationes auctor secundum grammaticae partes dispescuit. Ita vero scribendum esse probat: apsis, hadrumetum, aspernor, aetites, Amstelodamum, Arginussae, Atilius, ballista, bisextilis, Bucephalus, caelum (quasi caerulum, a caeruleo colore) Caenina, Caeninensis, caepe, contio (pro concio), Cotys, Decimus praenomen, Decius cognomen, disyllabus, dromadarius, diota, Emisa, Emisenus, Hephaestio, fastigare, Colonae, Hierosolyma, iatralipta, Ituraei, Jupiter, lucri facio, Margarita, milliarius (pro millenarius), milvus, Murena, Nectanabis, pedisequus, Phalericus portus, Phintias (non Pythias), Popilius, Porsena, Papius, seculum, suboles, sterquilinum vel sterculinum, strategema, suspitio, (contractum ex suspicitio, unde antepenultima longa), Threicius, Thyias, Vindobona, Xanthippus, & alia. Reliqua nimirum exquirent ipsi lautitiarum huiusmodi studiosiores.

SERIES MISNENSIUM EPISCOPORUM, CUM EX aliis documentis, tum praesertim ex literarum, contractuum ac donationum Misnensis ecclesiae breviario manuscripto, restituta & illustrata, studio & opera P. SIGISMUNDI CALLES, e Societate Iesu.

Ratisbonae & Viennae, sumtibus Emerici Felicis Baderi 1752, 4, cum mappa geographica dioeceseos Episcopatus Misnensis.

Alph. 2 plag. 8.

Concinnandæ historiæ huius occasionem dedit Codex MSt. quem Autor inter supellectilem librariam Patris *Antonii Steyereri*, Soc. Ies. qui quondam Serenissimæ Poloniarum Reginæ a sacris confessionibus fuit, invenit, in quo designatio omnium documentorum, ad Episcopatum Misnenſem spectantium, continebatur. Nullus quidem dubitat, illam *Steyerero* fuisse mentem, ut, necessariis documentis adhibitis, Episcopatus olim illustris, aut notitiam brevem ederet, aut pleniorem historiam elaboraret, sed mortem intercessisse, quo minus destinata effectui daret. In vicem huius successit Noster, qui in eo operam posuit, ut episcoporum seriem, in vulgatis catalogis satis turbatam, suo & ordini & tempori restitueret, ac eorum res commentario illustraret. Quare, ut usum aliquem eximii huius codicis faceret, cum episcopatus hic a nemine pro dignitate descriptus esset, quæ apud alios invenit studiose collegit, iustaque annorum serie digessit, quo ita successio antistitum pleniori narratione percenseretur. Tabula chorographica diœceseos Misnensis, pariter debetur industriæ *Steyereri*.

Operi præmittitur dissertatio de provincia, urbe, & ecclesia Misnensi. In illa situs Misniæ determinatur; de Sorabis & Daleminciis, qui in Misniam impressionem fecerunt, eorundemque diis & superstitione, disseritur, debellatis tandem ab *Ottone*, & *Henrico*, Saxoniæ principibus, & ad religionem Christianam perductis. Urbs Misnia est condita, ut Slavorum impetus refringeretur. Huius ab *Henrico I* Reg. Germ.

Pag. 1 - 9. A. 930 conditæ, notitia ex *Georg. Fabricio* datur. Urbe constituta, de ecclesia condenda consilium agitavit, quoniam autem morte præpediebatur, rem eam moribundus filio, *Ottoni I* augusto commendavit. Ille A. 938, III id. Jan. fundamenta posuit, ac terminos diœceseos designavit, quam *Ioannes XIII* potestate metropolitani, vel alius antistitis, exemit, ac se-

9 - 21. di Romanæ proxime subesse voluit. Hoc tamen de primis illius temporibus minus est intelligendum; satis enim constat, initio antistitem Misnensem Magdeburgico præsuli obnoxium, eiusdemque suffraganeum habitum fuisse, a cuius demum iurisdictione immunis est declaratus A. 1402, ægre id Magde-

Magdeburgico ferente. His prælibatis, seriem episcoporum Misnensium ita repræsentat, ut *Fabricium* fere & codicem MSt. sequatur, quem A. 1581, quo episcopatus in manus *Augusti*, Saxoniæ Septemviri, transiit, exaratum fuisse iudicat.

Episcopes omnino numerat XLIV, quorum 1) *Burchardus*, qui ex cœnobio Ratisbonensi, vel alio quocumque fuit missus, ut *Ottoni M.* a sacris esset. Templo absoluto, A. 968 ab *Adalberto*, præsule Magdeburgensi, fuit initiatus, inque convertendis paganis multum laboris posuit. Equo A. 972 in itinere lapsus, Cal. Iul. vitam finivit. 2) *Volcoldus*, sub quo grave damnum diœcesi est illatum, *Gisilero* Magdeburgensi alias sibi partes vindicante, alias antistiti Merseburgensi adiiciente, quod factum est A. 981. Post A. 984 a Bohemiæ duce urbe eiectus, sed a Willigiso, archiepiscopo Moguntino, & Erfordiæ, honeste liberaliterque est habitus, inde A. 985 muneri suo restitutus, ecclesiam ad A. 993 rexit. 3) *Eido*, illustri Rochliciorum comitum prosapia oriundus. Ad hunc *Otto III* imp. A. 995 divertit, eiusdemque episcopatum insigni accessione locupletavit; alia donatio ab *Henrico II* imp. 14 cal. Sept. 1013 accessit, sed per irruptionem Slavorum, & Boleslai, principis Pomerani, diœcesis multum est adflicta: decessit A. 1015. 4) *Eilwardus*, defunctus A. 1023. 5) *Hucbertus* sive *Huprechtus*, de quo apud scriptores altum est silentium, fato functus est A. 1024 non. April. 6) *Theodericus I* interfuit concilio Francofurtensi, habito A. 1027. Mortem ipsius A. 1045 contigisse, nonnulli ferunt. 7) *Meinwardus*, quo episcopo, collegium canonicorum, qui ante id tempus communi convictu fruebantur, ab *Henrico III* proprios fundos accepit. Mortem alii ponunt in A. 1060. Noster A. 1051 evenisse ostendit. 8) *Reisnerus*, sive *Reginherus*, quo antistite, A. 1060 cœnobium S. Afræ in urbe Misnensi est conditum. Agnes, mater *Henrici IV*, episcopatum A. 1064 insigni donatione auxit. Episcopus decessit A. 1066. 9) *Crafto*, antea præpositus Goslariensis; hunc a dæmone, cum pecuniæ, cuius avidissimus erat, numerandæ intentus esset, strangulatum fuisse, fabulantur. Dignior hoc 10) *S. Benno*, cuius

Pag. 22 - 32. 33 - 39. 33 - 39. 39 - 44. 45 - 59. 59 - 60. 60 - 64. 65 - 69. 69 - 71. 71 - 73.

ius vitam, res, miracula, amplo commentario sibi illustranda sumsit *Hieronymus Emserus*. Ortum duxit ex comitibus Woltenbergicis, literis humanioribus innutritus est Hildeshemii, Parisios etiam profectum, ibidemque doctoris dignitate ornatum, ferunt. Inde ab A. 1049, apud Goslarienses munere magistri & canonici est functus, post A. 1066 Misnensis præsul electus. Ipso episcopo, opimæ donationes ecclesiæ Misenensi sunt factæ ab *Henrico IV* imp. Bore Slavo, & Bezela, Bennonis matre. Verum non ita multo post duriora Bennonem exceperunt. In contentione *Henrici* cum pontifice, ab huius partibus stabat Benno, quare ipsum comprehendi, omniaque ipsius A. 1075 diripi iussit: inde sequenti anno dimissus, quoniam imperatoris iras metuebat, Romam ad *Gregorium VII* confugit, neque, ut probabile est, ante A. 1080

Pag. 73 - 88. rediit. *Henricus* marchio gravi eum iniuria adfecerat, cui prædixisse dicitur, fore, ut anno sequente, eodem die, admissi sceleris pœnas daret, quod eventu comprobatum fuisse memorant. Ultimum diem clausit A. 1106, 16 cal. Iun. Multis, iisque magnis miraculis, tum in vita, tum post illam, inclutus fuisse traditur; quare *Adrianus VI* A. 1523 prid. cal. Iun. ipsum in sanctorum cœtum retulit, eidemque festi dies & sacra sunt instituta. Eius ossa, emendatione sacrorum invalescente, tandem A. 1576. Monachium sunt

88 - 104. delata. 11) *Herwigus*, cuius tempore episcopatus per Slavos vastatus est, multique christianorum truculenter sunt peremti; quare ipse cum aliis antistitibus, principes Germaniæ ad immanitatem refrenandam excitavit. Ecclesiam Wurtzenensem ipse instituit, eandemque A. 1114 prid. id. Sextiles de-

104 - 113. dicavit. Vivendi finem fecit A. 1118, iuxta alios A. 1119. 12) *Grambertus*, sive *Gramboldus*, de quo, quæ *Fabricius* habet, emendantur. Ex huius sententia mors ipsius incidit in annum 1129, sed Noster consensu aliorum ostendit, A. 1125

113 - 117. accidisse. 13) *Godebaldus*, cui cum Norberto arctior amicitia intercessit; A. 1131 ab *Innocentio II* obtinuit, ut omnes ipsius possessiones & præsentes & futuræ confirmarentur. Vivere de-

117 - 121. siit A. 1140. 14) *Reinwardus*, cui lis de quibusdam possessionibus

bus cum *Conrado* marchione intercessit, quam composuit *Conradus II* imperator. Fatis cessit A. 1146, 9 cal. Aug.
15) *Bertholdus*, quem nonnulli silentio prætermittunt, per breve admodum tempus munere suo functus. 16) *Albertus*, vir eruditus, prudens, & eloquens, a *Conrado* imp. ad *Manuelem Comnenum*, imperatorem Græcum, missus, obiit in itinere. 17) *Bruno*, qui a quibusdam omittitur, denatus A. 1154, 4 id. Iun. 18) *Gerungus*, abbas ante Bosovienfis. Exulibus Flandriensibus A. 1154, Coronam, villam prope Wurtzenam, habitandam concessit. A. 1157 *Vladislaus*, rex Bohemiæ, Misniam armata manu infestabat, sed non ita multo post, facti pœnitentia ductus, antistiti fecit satis. A. 1160 conventui principum Erfordiæ interfuit, a quibus, ut imperatori adversus Mediolanenses suppetiæ ferrentur, tum decretum fuit. Bibliothecam episcopalem primus adornare cepit. Mortem oppetiit 12 cal. Dec. 1170. 19) *Martinus*, ante canonicus ecclesiæ Misnensis, vir doctus, A. 1179 concilio, quod Romæ habebatur, interfuit. *Burckardo de Kittliz*, qui fundos aliquos, ecclesiæ Misnensi ereptos, restituere nolebat, sacris interdixit. Monasterium Cisterciense Dobriluci conditum est A. 1184. Conventui principum, Moguntiæ A. 1188 habito, interfuit, quo expeditio in Palæstinam decreta fuit. De vita decessit A. 1190. 20) *Theodoricus II*, cuius initia, propter motus in Misnia, turbulenta fuerunt; etiam apud *Cælestinum III* A. 1166 fuit accusatus, quasi legitime electus non esset, verum adversarii causa ceciderunt. Lites cum *Henrico II* Burggravio, qui in iura episcopatus involaverat, per arbitros sunt compositæ. A. 1206 festum diem S. *Augustino* quotannis celebrari per diœcesin iussit. Morti succubuit 3 cal. Sept. A. 1207. 21) *Bruno II*, qui A. 1209 episcopus constitutus fuisse dicitur. Hoc sedente, lis de decimis cum Miltensteiniis ita incrudnit, ut episcopatui damna multa inflicta, ipse episcopus captus, & sacerdotum aliquis fuerit sauciatus, quæ tandem lis ita diremta est, ut ad solutionem se de novo obligare debuerint, & gravi censura ecclesiastica notarentur. A. 1222, urbs Misnensis grave incendium est experta. Multa com-

Marginalia: Pag. 121-122. | 122-124. | 124-126. | 126-127. | 127-137. | 137-146. | 146-153.

commodo episcopatus adquisivit. A. 1228, quidam ipsum apud *Gregorium IX* criminati erant, ac si ob decrepitam ætatem muniis suis exantlandis par non amplius esset: verum cum res antistitibus Magdeburgensi & Brandenburgensi discutienda data esset, adversarii ipsius repulsam tulerunt; non multo
Pag. 153-163. post vivis excessit A. 1229. 22) *Henricus*, cui imp. *Fridericus II* omne aurum, argentum, vel aliud metallum, quod vel in fodinis, vel in fluviis reperiretur, addixit, eidemque facultatem monetæ cudendæ concessit. A. 1237 *Friderico II*, Brixiam obsidenti, adfuit A. 1237. Vivis est exemtus A. 1240.
163-168. 23) *Conradus I*, qui sub auspiciis muneris sui S. *Pauli* cœnobium Lipsiæ, una cum aliis, initiavit. Canonici Misnenses apud *Hugonem* legatum pontificium accusati erant, quod ab ecclesia sua abessent; hos proinde, literis ad *Conradum* A. 1252 datis, graviter monuit Pontifex, ut officio suo facerent satis. *Innocentius IV* A. 1254 imperavit, ne quis in canonicorum collegium reciperetur, nec beneficium aliquod acciperet, nisi pontificiis literis munitus esset, item, ne quis præter pontificem, intra proximum triennium, excommunicationis, vel suspensionis sententiam pronuntiaret. Morte interceptus est
168-180. A. 1258. 24) *Albertus II*, vir doctus, & moribus probatis. A. 1261 flagellantium sectam, quæ per diœcesin invalescebat, compressit, sacris exclusit, ac terris suis eiecit. A. 1264 cœnobium virginum regulæ Cisterciensis, quod *stella* S. *Mariæ* dicebatur, strui est cœptum. Ultimum diem clausit A.
180-187. 1266. 25) *Witigo*, ex generosa Camentiorum gente creatus. Lites inter marchiones Brandenburgicos, itemque *Albertum*, comitem Brennensem, in favorem episcopi, per arbitros sunt diremtæ. A. 1285 dierum 40 indulgentias illis est pollicitus, qui sepulcrum S. Bennonis visitaturi, & ad templi fabricam aliquid daturi essent. A. 1286 interfuit conventui Numburgensi, in quo decretum *Honorii V*, vel potius *IV*, contra illos est promulgatum, qui bona ecclesiastica vel diriperent, vel alienarent. Indulgentias 46 dierum ecclesiæ Misnensi, item ædiculæ S. *Cunigundis* extra muros Halæ, concessit. A. 1290 conventui principum Erfordiæ interfuit. Urbem Dresdam,

dam, *Friderico* marchioni, fiduciario nomine A. 1292 cal. Octobr. tradidit. Vitam cum morte commutavit A. 1293, 2 Non. Mart. 26) *Bernardus*, pariter e Cameutiorum genere, cuius regimen minus auſpicatum fuit, anno quippe 1294 omnia bello turbabantur, præterea Pirna & Dresda ab ipſo venditæ fuiſſe dicuntur; quare *Bonifacius VIII* A. 1298 cal. Maii Merſeburgenſi epiſcopo in mandatis dedit, curaret, ut alienata bona reſtituerentur. Fato ſuccubuit 4 id. Octobr. 1299. 27) *Albertus III* ex comitum Leiſnicenſium familia. Huic A. 1308, 11 Cal. Sept. *Fridericus*, Landgravius Thuringiæ, omnia privilegia, confirmavit, & nova addidit. Viventium numero eſt exemtus 5 Non. Nov. 1312. Huius ſucceſſorem, 28) qui fuit *Fabricius*, nominat *Wilhelmum*, alii *Wicigonem II* A. 1315. Adfuit A. 1319, *Ioanni*, Bohemiæ regi, cum in eum iura in tractum Budiſſinenſem, Luſicenſem, ac Furſtenbergium, transſcriberentur; quo ipſo anno urbem Dresdam ceſſit *Friderico*, Miſniæ marchioni. Mortem eius non in A. 1347, ſed 1343 incidiſſe, documentis fide dignis demonſtrat. 29) *Ioannes I* Iſenbergius. A. 1352 contentio, quæ inter vicarios perpetuos Miſnenſes, & cives eiusdem urbis, de cenſu annuo gliſcebat, eſt compoſita. Cum abbas Kemnicenſis ſe iurisdictioni epiſcopali ſubducere vellet, ab *Innocentio VI* ipſi eſt iniunctum, ad officium ut rediret. Deceſſiſſe dicitur Non. Ian. A. 1370. 30) *Conradus II*, qui, quoniam iu iter Romanum, item, pro confirmatione magnos ſumtus fecerat, reditus aliquos epiſcopatus vendidit. A. 1374, 15 cal. Nov. ſuæ ditionis clericis ſpopondit, ſe nil quidquam moliturum eſſe, quod ipſorum iuribus ac inſtitutis foret adverſum. Deceſſiſſe videtur A. 1376. 31) *Ioannes II* de *Genzenſtein*, qui A. 1380 archiepiſcopus Pragenſis eſt electus, mortuus Romæ A. 1400 17 Iun. 32) *Nicolaus de Miſna*, antea præſul Lubecenſis. Huic cum *Ludovico*, præſule Magdeburgenſi, ingens fuit certamen, quod etiam in apertam vim prorupit, defunctus A. 1391, 3 id. Febr. 33) *Ioannes*, gente Kittelitia procreatus, quo ſedente, feſtum S. S. Trinitatis, iubente *Bonifacio IX*, celebrari

Pag. 187-209. 209-216. 216-220. 220-236. 236-247. 248-255. 255-260. 260-267.

Rr eſt

est cœptum. Senio confectus, consentiente capitulo, munere se suo abdicavit, illudque in Thymonem, illustri Colditiorum
Pag. 267- gente editum, cognatum suum, transtulit. Huius tempore insi-
270. gnis mutatio contigit; nutu quippe *Bonifacii IX*, episcopatus Misnensis nexu & iure antistitum Magdeburgensis & Pragensis fuit exsolutus, & curæ pontificis proxime subiectus. A. 1409, iussu *Wenceslai*, Bohemiæ regis, ad concilium Pisanum est missus, in quo, *Benedicto XIII* & *Gregorio XII* depositis, *Alexander V* ad fastigium pontificium est evectus. Cum in itinere spoliaretur, *Alexander* damnum sua beneficentia ex
270-280. parte compensavit. Finem vivendi fecit A. 1410, 4 Non. Dec. 34) *Rudolphus* de *Plawniz* 4 id. Ian. qui æs alienum ab antecessore contractum, ex parte soluit. Quo anno obierit,
281-283. non constat. 35) *Ioannes IV*, *Hoffmannus*, antea Theologiæ Professor in Academia Pragensi & Lipsiensi. Num Concilio Constantiensi, ut *Fabricio* est visum, interfuerit, non liquet. A. 1429 Hussitæ impetum in Misniam fecerunt, ingentem stragem terræ intulerunt, multosque internecioni dederunt; A. 1450 mos, sacram eucharistiam vasculo inclusam per urbes vicatim circumgestandi, in Germania invaluit.
283-292. Episcopus obiit 7 cal. April. 1451. 36) *Casparus* de *Schœnberg*; quo episcopo, *Joannes Capistranus* Misniam venit, & in maximo hominum concursu adversus luxum est concionatus, populum ad expeditionem adversus Turcas hortando. A. 1454 Pragam est profectus, contentionem inter *Ludovicum*, Bohemiæ regem, & *Fridericum II* electorem, de finibus, compositurus; mortalitatis legem implevit prid. cal.
293-301. Iun. 1463. 37) *Theodericus de Schœnberg*, qui, quoniam studiis literarum favebat, bibliothecam suam, quam ex Italia attulerat, publicis usibus consecravit. Data occasione de fratribus calendariis disseritur, & quales fuerint declaratur. Vi-
301-307. vere desiit prid. id. April. A. 1476. 38) *Ioannes V de Weissenbach*. Hic Edictum *Sixti IV*, quo cavetur, ne ad canonicatum, vel præbendam admittatur, nisi nobilis, militari genere, ex utroque parente, & legitimo matrimonio, aut doctor, vel licentiatus in Theologia, vel in iure, aut medicinæ magister, inte-

integrum exhibetur. A. 1480 *Ernestus* princeps elector instituit, ut in templo Misnensi cathedrali, diebus noctibusque, absque intermissione, distributis operis, caneretur. A. 1485 ex indultu *Sixti IV*, *Ernestus* & *Albertus*, Saxoniae duces, literas publicarunt, quibus significabant, ius conferendi praeposituram, decanatum, aliaque maiora in ecclesia Misnensi munera & praefecturas, in se translatum esse. E vita demigravit A. 1487 cal. Nov. 39) *Ioannes VI* de *Salhausen*, decanus ante Misnensis, & decretalium doctor. Non longe ab auspiciis muneris ipsius, super diversis praerogativis gravis eidem lis a capitulo est intentata, quae interventu *Georgii* ducis composita fuit. A. 1492 festum de sacra lancea celebrari est coeptum, 40 dierum indulgentiis additis. A. 1499 *Georgius* de *Gutenstein*, oppidum Bischofswerdam dolose invasit, domos ac templa spoliavit, cives aliquot captivos abduxit, quorum quidam in vinculis perierunt, qua re multum detrimenti episcopo est illatum. A. 1502, 15 cal. Febr. indulgentiae ad sepulcrum S. Bennonis sunt confirmatae. A. 1507 *Christianus Baumhamer*, in gratiam ordinis teutonici in Livonia, indulgentias in dioecesi Misnensi colligere nitebatur; cui vero antistes se acriter opposuit. Sub idem tempus quidam nobiles bello ipsum lacessiverunt, eiusque rebus haud parum nocumenti dederunt. Lis etiam cum *Georgio* duce ipsi de moneta est suborta. Cum in eo esset, ut Benno in sanctorum societatem adlegeretur, inde ab A. 1414 passim exstiterunt, qui in illius vitam, res gestas, & miracula inquirerent. Vale ultimum vitae dixit A. 1518. 4 id. April. De missalibus, ipsius cura editis, quaedam adduntur. 40) *Ioannes de Schleiniz.* Hic, cum *Lutheri* doctrina per dioecesin diffunderetur, scriptum de eucharistia illi adversum, emisit. Quae mutationes inde fuerint consecutae, quaque via se illis avertendis opposuerit, enarratur. Cum A. 1523 literae *Adriani VI*, quibus Bennonem sanctorum coetui adsertum esse significabatur, perferrentur, A. 1524 cultus illius initium est factum. Quid *Georgius* dux, pro tutanda prisca religione, sit molitus, exponitur. *Hieronymi Emseri* elogium exhibetur. Episcopus, turbatis & acci-

Pag. 307-322. 322-338.

accisis rebus suis, A. 1534. Romam petiit, reliquum vitæ tempus ibi quiete acturus; verum cum ipso illo anno *Clemens VII* mortem oppetiisset, quo patrono nitebatur, non diu in Italia hæsisse, sed ad episcopatum suum rediisse videtur.
Pag. 358-345. Obiit placide 3 id. Oct. A. 1537. 41) *Ioannes VIII* ex Miltitiorum familia. Cum, mortuo *Georgio* duce A. 1539 *Henricus* successisset, ac *Lutheri* doctrina per diœcesin introducta esset, *Ioannes*, quod se Misnæ non amplius tutum crederet, Stolpenam sedem episcopalem transtulit. Viventium cœtui
345 - 350. est exemtus prid. cal. Dec. 1549. 42) *Nicolaus II* qui natales suos ducebat ex illustri Caroloviciorum gente, fato succubuit A. 1555. 43) *Ioannes IX*, ex Haugvitiorum genere, nuper ex Italia redux: huic, cum nondum triennium in munere exegisset, *Ioannes Carolowizius* gravem litem movit, ut etiam armis adversus eum ageret, prædia ipsius diriperet, sede sua Stolpa exturbaret. Ea controversia tandem aucto-
351 - 353. ritate principis electoris fuit composita. Stolpa sedes episcopalis Wurtzenam est translata. Gorlicii cœnobium ordinis minorum S. *Francisci*, in quo unus adhuc monachus, *Urbanus Weisbach* superabat, annuente Leisentritio, episcopatus per Lusatiam administratore, A. 1563 d. 12 Iul. solemni modo senatui est traditum, ut in scholam converteretur. A. 1576 episcopus, ossa Bennonis, Monachium ad
353 - 356. *Albertum*, Bavariæ ducem, deferenda curavit. Tandem *Ioannes* A. 1581 ob permultas, easque gravissimas causas, se episcopatu abdicavit, *eiusdemque gubernationem ad certos annos in commendam*, quæ propria ipsius sunt verba, *Augusto electori* dedit. Tabulæ resignationis, abdicationis, & traditionis, inte-
356 - 364. græ exhibentur, signatæ d. 20 Octobr. A. 1581. Episcopus
364. post matrimonium cum virgine generosa contraxit, & ad A.
365 - 384. 1595 supervixit. Subiunctus est indiculus iurisdictionis episcopatus Misnensis. Coronidem imponit index rerum memorabilium.

IO. BAPTISTÆ BARTHOLI, OLIM IN UNIVERSItate Patavina sacrorum canonum publici Professoris pri-

primarii, nunc vero Episcopi Feltriensis, Comitis &c. Apologia pro Honorio I, Romano Pontifice.

Ausugii, 1750, superiorum permissu. Prostat Feltriæ apud Eduardum Foliolum, 4 mai.
Alph. 1 plag. 6.

Cardinem doctrinæ pontificiæ in eo verti, ut Pontifex Romanus, in rebus quæ *fidem* spectant, ab omni omnino errore immunis habeatur, illamque prærogativam, per *Petrum* cathedræ Romanæ conciliatam, per continuam successionem transmissam, conservatamq. esse, credatur, abunde constat. Verum enim vero, cum antistitum Romanorum nonnulli, manifestorum, eorundemque gravium, errorum postulentur, interque illos speciatim *Honorius I:* Auctor officium ecclesiæ suæ commodum facturus, hanc ab illo labem depellere consultum duxit. In institutionibus iuris canonici receperat, demonstrare, illum Monothelismi erroribus implicitum haud fuisse; quod hac commentatione se ita confecisse sibi persuadet, ut in posterum illo argumento, ad infringendam prærogativam præsulum Romanorum, uti liceat nemini. Opus inscriptum est *Benedicto XIV*, P. M. Defensionem quidem *Honorii* plures iam in se susceperunt, sed illi, iudice Nostro, vias lubricas, aut impeditas atque perdifficiles, sunt ingressi, vel illum non ita omni culpa liberaverunt, ut non aliqua vel hæreseos, vel conniventiæ, vel indiligentiæ saltem, culpa in ipso remaneret, quod de *Bossueto* potissimum iudicandum censet. Contra, illam viam se iniuisse audacter pronuntiat, quam adhuc nemo presserit, quaque *Honorius* ab omni hæresis suspicione, & a conniventiæ etiam, vel negligentiæ culpa omni exsolvatur; quinimo de catholica fide optime meritus, & in Monothelitarum hæresi comprimenda, officio suo functus esse videatur. Integrum opus *Cap. XXX* absolvitur, illudque quasi tripartitum est; priori, quo de tota causa iudicari queat, sistit Monothelismi historiam, posteriori defensionem *Honorii* molitur.

Cap. I diſcrimen inter *monophyſitas* & *monothelitas* indicat,
& utrorumque opiniones declarat. Hi natales ducunt a *Ser-
gio*, præſule Conſtantinopolitano, quem tamen prævertit
Theodorus, Pharanis in Arabia antiſtes, a quo Sergium hære-
ſin accepiſſe eſt probabile; ſed ante A. 633 prodiiſſe, aut ſe-
Pag. 1 - 8. ctam condidiſſe, non videtur. Ipſo hoc anno, *Cyrus*, patriar-
cha Conſtantinopolitanus, libello ſynodico promulgato, mo-
nothelitiſmum propagare ſtuduit, adverſarium nactus *Sophro-
nium*, tum temporis monachum; verum neque apud illum,
neque Sergium, quidquam effecit. Ipſe ille non multo poſt
epiſcopus Hieroſolymitanus creatus, concilium Palæſtinæ
coegit, in illoque multis patrum teſtimoniis, duas in Chriſto
eſſe voluntates, duasque operationes, adſeruit, & acta *Honorio*
itemque Sergio ſubmiſit. A. 636. Sergius ecthefin publica-
vit, qua monothelitarum doctrinam confirmare eſt adniſus;
ei nomen imperatoris *Heraclii*, ſed falſo, præfixit. *Sophro-
nius Honorium*, de hac hæreſi, eiusque incremento, certum
8 - 18. reddidit. *Cap. III* hiſtoriam ab A. 639 - 648 exponit. Ser-
gio A. 638, fatis functo, ſucceſſit *Pyrrhus*, qui, quæ a *Ser-
gio* & *Cyro* decreta erant, confirmavit, ecthefin ſynodali con-
ſtitutione confirmandam curavit, & epiſcopos, ut ſubſcribe-
rent, coegit. A. 641 *Ioannes IV*, in concilio Romano, mo-
nothelitarum dogmata damnavit, ſpeciatim ecthefin, ſcripſit
etiam ad Pyrrhum, ſed fruſtra. Hoc ipſo *Conſtantinus*,
Heraclii filius, ecthefin publicis locis propoſitam auferen-
dam, conſcindendamque curavit. A. 643 *Theodorus* P. M.
ſollemne condemnationis ectheſeos decretum Conſtantinopo-
lin miſit. Pyrrhus, quam A. 645 abiuraverat Monothelita-
19 - 25. rum hæreſin, A. 646 de novo eſt amplexus. Ipſo hoc an-
no concilia aliquot in Africa adverſus monothelitas ſunt ha-
bita; ad imperatorem, pariter *Paulum* patriarcham Conſtanti-
nopolitanum, ſcripſerunt, precati, ab impietate ut recederent.
Theodorus P. Pyrrhum, in errorem relapſum, condemnavit A.
647. Scripſit etiam ad *Paulum* Conſtantinopolitanum, ut ad
25 - 29. veram fidem rediret. *Cap. V* ab A. 648 - 657, A. 648. *Pau-
lus* typum edidit, eidemque nomen imperatoris Conſtantis
præ-

præmisit, quo disputationes omnes, tam de una, quam duabus voluntatibus in Christo, & operationibus, prohibebantur. Hunc Constans A. 649 ad *Martinum* pontificem misit, suadens, ut illum sua consensione adprobaret: verum hic non est adsensus, potius errores monotheliticos, illorumque fautores, in publico concilio condemnavit, idque literis quaquaversum missis, ipsi etiam imperatori, significavit. Qua re motus Pag. 30-33.
imperator, *Martinum* A. 653 in exilium misit, & Constantinopolin perductum, multis iniuriis, verberibus, ac plagis adfectum, in carcerem detrudendum curavit. Inde A. 655 Chersonem fuit deportatus, ubi 16 Sept. vitam cum morte commutavit. Ipso hoc anno *Petrus* Constantinopolitanus ad *Eugenium I* P. misit epistolam synodicam, qua sententiam suam obscure proposuerat, sed suscepta non est. A. 656 S. *Maximus*, quia Monothelitis nec cedere, nec typum admittere volebat, in exilium est eiectus. *Cap. V* ab A. 657-672.
A. 662 S. *Maximus*, S. *Anastasius*, & *Anastasius* alter, presbyter Constantinopolitanus, flagris cæsi, lingua & manu dextra mutilati, per urbem circumducti, Lazicen exulatum sunt missi, ubi duo priores non ita diu post obierunt, tertius, quadriennio elapso, decessit. A. 663 imp. Constans, per varias 40-48.
ambages tandem in Siciliam delatus, in balneo interfectus fuisse dicitur. *Cap. VI* ab A. 672-681. A. 676 *Constantino*, præsuli Constantinopolitano, certissimus monothelita *Theodorus* successit, qui epistolam hortatoriam ad *Domum*, pontificem Romanum, dedit, ut pacem cum ecclesia Constantinopolitana coleret. A. 678 imp. *Constantinus* ad eundem de synodo sexta cogenda scripsit, ipso autem, antequam literæ perferrentur, morte intercepto, successor Agatho accepit. *Theodorus* munere se suo abdicavit, veritus, ne monothelismus in proximo concilio damnaretur. Ei suffectus est *Georgius*. A. 679 Agatho diversa concilia contra monothelitas indixit, qui etiam A. seq. legatos Constantinopolin ad concilium misit. Concilium hoc fuit convocatum, ut fides de duabus Iesu Christi voluntatibus ac operationibus explicaretur, ac contrarium sentientes condemnationi subiiceren-

Pag. 49-56. rentur. Finis eidem eſt impoſitus d. 16 Sept. A. 681. *Cap. VII* brevis deſcriptio illorum, quæ in concilio hoc geſta fuerunt, exhibetur. Pontificii legati doctrinam eccleſiæ Romanæ tamquam indubiam normam propoſuiſſe dicuntur. Monothelitæ illis, qui ſententiam ſuam adoptarint, accenſuerunt *Honorium*, quibus legati contradixiſſe feruntur. Quid prioribus duodecim actionibus fuerit conſtitutum, & qua ratione Macarius, ob pervicaciam in monothelisino defendendo, munere ſuo fuerit exutus, declaratur. Notandum, mono-
57-68. thelitas ad conſenſum *Honorii* ſemper provocaſſe. Recenſio illorum, quæ in concilio fuerunt acta, continuatur *Cap. VIII.* Libri, qui a Monothelitis conſignati erant, fuere prolati ac damnati, interque illos epiſtola prior *Honorii*, poſterior cum reliquis ſcriptis fuit combuſta, in primipilos illorum, *Honorium* etiam anathematis fulmen vibratum; fidei confesſioni ſubſcripſerunt omnes, ipſe etiam imperator, addita clauſula pœnali in illos, qui alienum quid ab hac credituri eſſent.
69-80. *Cap. IX* accuſationum capita, quibus *Honorius* petitus eſt, expromuntur, ſcil. in hæreſi hac reprimenda non ſatis diligentiæ adhibuiſſe, inque epiſtola ad *Sergium* ſatis teſtatum iviſſe, cum ipſo conſpirare. Quare in concilio cum reliquis Monothelitis aliquoties fuit condemnatus, ab ipſo etiam *Leone II*
81-82. non unis literis. Hinc paulatim gradum ad ipſius defenſionem promovet auctor. Huius defenſionem ante concilium ſuſcepiſſe adfirmat *Ioannem IV* P. itemque S. *Maximum*, martyrem. Inde per 700 & plures annos nemo eſt inventus, qui cauſam *Honorii* ageret, quod factum fuiſſe indicat Cl. Auctor, ex ignorantia hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & quod nemo
82-83. acta huius concilii debita induſtria excuſſerit. Poſt concilium Conſtantienſe, purpuratus *Ioannes de Turrecremata, Lib. II* de eccleſ. *cap. 93* viam defendendi *Honorii* excogitavit; alii exiſtimarunt defenſionem eſſe perdifficilem; alii largiuntur, ipſum, qua privatum hominem, in errorem prolapſum fuiſſe, literasque ad *Sergium* non ut pontificem ſcripſiſſe. *Pighius*, quem ſecuti *Bellarminus* & *Baronius*, arbitratur, acta concilii fuiſſe corrupta, & pro nomine *Theodori*, *Honorii* poſitum eſſe.

esse. Alii ex adversa parte, iique doctissimi viri, actorum sinceritatem propugnantes, adseverarunt, non ob hæresin, sed negligentiam in damnando monothelismo, anathema ipsi dictum fuisse. *Cap. X* novam defendendi *Honorium* viam proponit. Primum igitur examini subiicit varios modos, quibus eruditi viri *Honorium* ab impacto crimine vindicare sunt aggressi; inde ostendit duas epistolas, ab *Honorio* ad *Sergium* missas, inque concilio lectas, partim interpolatas, partim suppositias esse, de quibus ut sincerius iudicium ferri possit, illas integras, una cum literis *Sergii*, repetere consultum duxit. *Cap. XI* epistola *Sergii*, quæ in actione XII sexti concilii exstat, in medium adducitur. *Cap. XII* multo studio contendit, *Sergii* epistolam adulteratam fuisse; teste *Ioanne IV* & S. *Maximo*, martyre. Cum autem his contraria esse videantur, quæ in ecthesi habentur, multus est in eo, ut demonstret, *Sergium* sententiam suam callide texisse, præterea ipsam ecthesin, non vivo *Honorio*, sed illo mortuo, edidisse. *Cap. XIII* dat exemplum epistolæ prioris *Honorii* ad *Sergium*, qualis in actione XII comparet. *Cap. XIV* epistola altera eiusdem ad eundem; *Cap. XV* argumenta, ex ipsis monothelitis ducta, proferuntur, quibus probatur, alteram epistolam confictam, alteram interpolatam esse. Posito hoc, *Sergii* epistolam a Monothelitis fuisse corruptam, & quidem ita, ut epistolæ *Honorii* responderet, consequi inde non dubitat, idem evenisse epistolis *Honorii*. De posteriori pronuntiat, a Monothelitis *Honorio* fuisse suppositam; priorem, quod ad maximam sui partem, ab iisdem fabricatam, eidemque multa adsuta esse. Id, ex ipso illarum argumento adparere, opinatur. In priori, unius voluntatis in Christo fit mentio, in posteriori unius, vel duarum operationum silentium commendatur, de voluntate ne verbum quidem habetur. Quæ unam voluntatem Christi respiciant, ab *Honorio* profecta fuisse fatetur, quæ vero ad unius vel duarum operationum reticentiam pertineant, ea a Monothelitis intrusa fuisse coniectat. Unam in Christo esse voluntatem, si tantum de natura Christi humana sermo sit, secundum catholicam fidem recte dici. Hoc ipsum inde colligit, quoniam *Sergius*, quod ei responsum

Pag. 83-87. 88-92. 93-102. 103-112. 113-119. 120-122.

fuisse memoratur, non illico divulgavit, in ecthesi de operationibus Christi silentium sibi indixit, *Honorium* minus laudavit, & ecthesin suam duobus annis post, quam *Honorius* vivis excessisset, publicavit, nec *Severino*, *Honorii* successori, a quo ecthesin confirmari volebat, *Honorii* auctoritatem obiecit.
Pag. 123-128. *Cap. XVI* ex ecthesi atque typo argumenta elicit, quibus literarum, *Honorio* adscriptarum, suppositionem detegi posse existimat. Ecthesis demum post mortem *Honorii* fuit edita, quod argumento ipsi est, in *Honorii* literis ea tum non fuisse scri-
129-133. pta, quae in ecthesi *Sergius* scripserat. Idem ex typo, quo vetabantur omnes, unam, vel duas in Christo voluntates, unam vel duas operationes, dicere. Hinc argumentatur: quare *Martinus*, in concilio Lateranensi, ubi typum condemnavit, literas *Honorii* ne quidem nominavit? quare Monothelitae, qui condemnationem typi aegre ferebant, exprobrarint, ipsum praeter & contra ius parcere *Honorio*? quare imperator Constans, cum a *Martino* flagitaret, typo ut subscriberet, ad
133-135. literas *Honorii* non provocaverit? *Cap. XVII* ex *Ioannis IV* & S. *Maximi*, martyris, defensione adstruitur, literas controversas adulteratas fuisse. Pyrrhus, literis *Honorii*, ad stabiliendam haeresin abusus erat; sed *Ioannes*, de reticentia unius, vel duarum in Christo operationum, nihil habet, id tantum adfirmat, unam in Christo, ratione humanae naturae, voluntatem dixisse. Concludit, ex his patere, tum temporis epistolas *Honorii*, quales in concilio praelectae, nondum exstitisse, sed alteram post adulteratam, alteram totam confictam fuisse. S. *Maximus* literas, ad *Sergium* scriptas, a falsis Monothelitarum interpretationibus vindicavit, quod facere non potuis-
136-140. set, si literae iam tum exstitissent. *Cap. XVIII* ostenditur, pontifices, *Honorium* excipientes, *Severinum*, *Ioannem IV*, *Theodorum*, & *Martinum I*, ecthesin damnavisse, non literas *Honorii*, quod facere debuissent, si in illis deprehensa fuissent, quae in iis deprehenduntur, quales in concilio sunt exhibitae. Defensor Gallicanae declarationis, *Lib. XII cap. 25* quare literas *Honorii* non notaverint, has protulerat rationes: quia pontificatum praeclare gesserit, in pace ecclesiae decesserit,

rit, neque aliquid malo animo fecerit, ne, si damnaretur, Monothelitæ illo patrono gauderent; denique, quod literæ hæ ad orientales scriptæ, occidentalibus vix cognitæ fuissent: quibus opponit ea, quæ sententiæ, quam defendendam sumsit, favere videbantur. *Cap. XIX* inquiritur in tempus interpolationis, eiusque forte auctores. Non multo ante concilium sextum illam institutam fuisse, iudicat; auctores nominat *Macarium*, præsulem Antiochenum, qui istiusmodi fraudibus se infamem reddiderit, itemque *Theodorum*, qui se patriarchatu Constantinopolitano abdicaverat. *Cap. XX* illa indicantur, quæ literis *Honorii* fuerint immissa, quæ scil. de reticentia unius aut duarum in Christo operationum in illis habeantur, quæque ad eiusdem operationes quoquo modo pertineant. Huc quoque refert locutiones minus cautas, quibus doctrina de duabus in Christo operationibus notatur: esse *vocem novam*, *vocis novæ inductum vocabulum*, & quæ huius generis sunt alia. Hoc ita se habere, probat testimonio *Ioannis*, abbatis cuiusdam, viri spectatæ fidei & doctrinæ, quo in scribendis literis illis usus fuerit *Honorius*, quique pro illo apologiam paraverit. Porro commentitium id habet, quod in secunda epistola in concilio fuit lectum, ac si Sophronio, ne duas in Christo operationes diceret, scripserit, Sophroniique legatis id persuadere voluerit. *Honorius* unam in Christo voluntatem nominando, id de naturæ humanæ voluntate voluit intellectum, & ut ab illo carnis voluntatem corruptam removeret. Ab hæresi progreditur ad negligentiam, cuius ab aliis accusatur; dicunt, non satis vigilasse, ut Monothelismus supprimeretur: a qua igitur culpa ipsum immunem præstare satagit *cap. XXII.* Initio *Sergius* sententiam suam dissimulavit, ambiguisque verbis proposuit, sed post, ubi ex latebris suis est protractus, *Honorius* nihil intermisit, quod ad hæresin supprimendam facere potuerat. Contra defensorem declarationis Gallicanæ, adseverantem, *Honorium* in concilio aliquoties fuisse damnatum, & id quidem propterea, quoniam epistolæ ipsius longe lateque essent sparsæ, atque Monothelitis miro studio iactatæ, ita ut pontificii nominis auctoritate multi

Pag. 141-146.

147-150.

151-155.

156-160.

161-164.

feducerentur, difputat *Cap. XXIII.* Regerit, epiftolam, quæ loco fecundo fuerit recitata, tum demum fuiffe fabricatam, priorem fub idem tempus adulteratam, ut hinc tales, quales repræfentatæ in concilio, ante illam ætatem non potuerint di-
Pag. 164 - vulgari. Prior, ex fententia erudit. Autoris, a *Macario* in con-
167. cilio fuit producta, pofterior a *Georgio* chartophylace, qui, quod vero fimile ipfi videtur, fraudis fuit confcius, ex palatio patriarchali prolata. Tales igitur cum offerentur, ad damnationem properarunt, qui, fi diligenter rem expendiffent,
167 - 170. fraudem facile olfacere potuiffent. *Cap. XXIV* demonftrare adlaborat, *Honorium* ab epifcopis *inconfulte, temere, atque fi dicendum eft magis aperte, iniquiffime damnatum effe.* Sed cum obiici fibi poffe prævideret: effe tamen concilium hoc magna in exiftimatione, ita ut doctrinam in illo ftabilitam ecclefia catholica libentiffime amplectatur: diftinguit, inter concilium eiusdemque iudicium, & iudicium epifcoporum in illo. Illuftrat hoc exemplo, a concilio Conftantinopolitano I oecumenico defumto: huius fententiam, tamquam univerfalis concilii, fuam facit ecclefia Romana, canones, ut epifcoporum, reiicit. Et alia huius generis exempla fubiicit. Ea vero tanquam concilii decreta habenda effe monet, *quæ in caufa, propter quam coactum fuit, &, confentiente apoftolica fede, fuerint conftituta; quæ vero præter apoftolicæ fedis præcepta prodierint, ea non fynodi, fed epifcoporum tantum iudicia habenda effe.* Hæc ubi ad præfens adcommodat negotium, adfeverat, ut pontifex anathemati fubiiceretur, ex fententia
171 - 177. fedis Romanæ proficifci minus potuiffe. Sed his obftare videtur, Leonem II, monothelitarum damnationem confirmando, *Honorium* etiam damnaffe, & hoc perinde effe ac fi a concilio factum fuiffet. Ad hoc probandum, ad Anaftafium bibliothecarium provocatur. At enim, contrarium ex ipfo Anaftafio *Cap. XXV* evincere conatur Nofter, illum in fcriniis pontificiis nil quidquam reperiiffe, quo *Honorii* damnatio, a *Leone II* facta, probari potuerit. Dici etiam poffe, pontificem doctrinam in concilio propugnatam quidem adprobaffe, fed
178 - 182 non damnationem ab epifcopis factam. Verum, quod *Cap. XXVI*

XXVI agitur, *Leo II*, in literis ad Conſtantinum, *Honorii* condemnationem ratam habet. Sed & illas ab homine Græco, quem *nebulonem* nominat, interpolatas eſſe, queritur. Idem
Cap. XXVII iudicat de epiſtolis eiusdem ad *Ervigium* regem, Pag. 183-
& Hiſpaniæ Epiſcopos, quibus condemnationem *Honorii* ſi- 187.
gnificet, vel confictas omnino, vel interpolatas fuiſſe. Per- 188-195.
git *Cap. XXVIII* oſtendendo, ne quidem ullum ſequentium pontificum condemnationis ſententiam adprobaſſe. Contrarium adfirmaverat *Gallicanæ declarationis defenſor*, pontifices omnes *Honorii* condemnationem ſuo comprobaſſe adſenſu, cum tamen ſolum nominet *Hadrianum II*, de quo nihilominus ex *Anaſtaſio* pateat, condemnationem non probaſſe. Fatetur quidem, *Honorium* fuiſſe damnatum, ſed ab orientis epiſcopis, non a *VI* Synodo, ac proinde damnationem illam, nec
probat, nec ſuſcipit. Sed regerit defenſor, in *libro diurno* 196-200.
Honorii damnationem expreſſe legi. *Garnerius*, difficultatem ita expediri poſſe notaverat, verba illa inſititia fuiſſe: Noſter vero in ea eſt ſententia, formulam illam ab epiſcopo, vel patriarcha quodam orientali, ad Romanum pontificem miſſam,
non ab Romano pontifice emiſſam eſſe. *Cap. XXIX* ob- 200-203.
iectionem defenſoris, concilia omnia *Honorii* damnationem ſuſcepiſſe, diſcutit. Non quidem diffitetur, in diverſis ſynodis orientalibus damnationem iſtam repetitam fuiſſe; ſed notat, Græcos, quæ in ſexti concilii actis legiſſent, transſcripſiſſe, & *Honorii* damnationem narrando duntaxat, non probando, memoraſſe. Et ſi quidem condemnatio illa in quibusdam conciliis fuerit repetita, non tamen in omnibus, quod ma-
gnum mendacium eſſe pronuntiat. Tandem *Cap. XXX*, eo- 204-208.
que ultimo, totus in eo eſt, ut doceat, ex iis, quæ de *Honorio* diſputentur, minus ſequi, creditum fuiſſe tum, Romanos pontifices, cum de fidei dogmatibus aliquid definiunt, errare
poſſe. Si forte ſint futuri, qui demonſtrationibus his al- 209-214.
bum non adiiciant calculum, id Clar. Auctori vitio non eſt dandum, qui certe omnes doctrinæ ſuæ opes excuſſit, omnes ingenii neruos intendit, omnemque ſagacitatem ſuam acuit, ut argumentum, quod tractandum ſumſerat, ſi non ad

liquidum perduceret, saltem colore aliquo incrustaret; sed rei ipsi, quae ita est comparata, ut demonstrationem, ne quidem probabilem, admittat. Qui cum illis conferre voluerit, quae prolixius disputavit *Io. Forbesius instruct. historico-theol. Lib. V p. n. 206. 259* itemque doctissimus quondam Theologus Vitembergensis, *Martinus Chladenius*, pec. dissert. de *Monothelismo Honorii papae in concil. oecum.* VI *damnati*, ipso opere comperiet, non omnia nova esse, quae nova dicuntur, nec tantum illis pondus inesse, quantum vult deprehendisse doctissimus Auctor videri.

IO. BAPTISTAE BURSERII DE ANTHELMINTICA argenti vivi facultate, ad PETRUM BALANTERIUM Epistola.

Faventiae, typis Benedicti, Impressoris Episcopalis, 1753, 4. Plag. 6.

Ea est subinde rerum in eruditione occurrentium versabilis facies, ut, quae olim a viris, magna auctoritate pollentibus, pro certis atque indubitatis semel traditae fuerunt, tamdiu inter veritates expeditas suum obtineant locum penes posteros, donec aliquis easdem, vel de novo, successu inaequali, experiens, vel accuratius pensitans, cautius dubitare, hinc alium plane in modum, & priori saepe prorsus contrarium, iudicare incipiat. Sic quoque comparatum est cum Mercurio crudo, qui duobus abhinc circiter seculis, tanquam anthelminthicum laudari cepit, licet medici de eius effectu in vermes edendo valde dissentiant, & tam diversas foveant opiniones, ut alii lumbricos per argentum vivum necari, alii vero eosdem, cum morbis forte affecti sunt, sanitati omnino restitui, nec tam deleri illos hydrargyro, quam potius obfirmari, existiment. Nam Clariss. *Burserius*, nactus frequentem occasionem, in helminthiasi affectis sua instituendi experimenta, effe-

effectum huius adeo decantati contra vermes remedii non eundem deprehendit, ac ab aliis erat perhibitus, & precario assumtus, qui aliarum causarum interventui tribuendus erat, si tamen subsecutus esset. Per sexennium, in plus quam centenis ægrotantibus, quibus certo inerant vermes, suas noster cum mercurio plerumque currente, raro aliis rebus remixto, instituit observationes, & quidem sub diversis morbi, ætatis, constitutionis, temporisque conditionibus; fatetur vero, se nihil fere deprehendisse, quod non antea in iis perspexerit, quibus nullus datus fuerat mercurius. Etiamsi enim lumbrici post Mercurium prodirent, illos tamen fortasse clysmatibus & alvum lenientibus foras pulsos fuisse, neque Mercurium hunc præstitisse effectum, potuit credi inprimis, cum aliorum hunc in finem instituta experimenta, mercurii effectus reddiderint dubios. Quamvis enim mercurius vivus ad uncias plures nonnunquam adhibitus fuit, multorum tamen dierum intervallo lumbrici sani atque vegeti, per os, vel per anum demum sunt educti, nec nisi tunc expulsi fuerunt, cum feces corruptæ, biliosæ, fœtidissimæque simul exirent, quæ solæ sua acredine vermes necare potuerunt. Extra corpus quoque in hydrargyrum immissi, ad horas aliquot vivi & alacres satis manserunt, neque prius quam intervallo X ad XXIV horarum periere. Proinde difficile est credere, mercurio vivo vim quandam inesse anthelminthicam, cum neque acris, neque acidus, neque corrodens, neque halituosus sit, ut solo attactu aut effluviis suis vermes lædere queat; cum præterea non constet perspicue, an per os, an per cutem ingrediendo, mercurius dicta animalcula interficiat, siquidem ne atomus quidem, nec auri contactu, nec lentis opticæ ope, nec incisione anatomica, nec chemica analysi, aliisque demum subsidiis, ab Auctore Clar. unquam deprehendi de illo potuerit. Interim tamen motum intestinorum peristalticum adaugendo, vel contenta eorundem, & reliquos corporis suc-

cos

cos mutando, vim ſuam fortaſſe exerit lumbricis nocivam, quod *Burſerius* noſter in ſuſpenſo relinquit, aliisque diiudicandum commendat. Sollicita cum cura ſuas, quas fecit, obſervationes ſemper inſtituit, omnibusque ambagibus vitatis, ad rem tantummodo facientia adnotavit ubique, qui propterea ab æquis obſervationum æſtimatoribus laude omnino dignus erit cenſendus, tanto magis quidem, cum ipſi propoſitum ſit, plura aliquando, magisque abſoluta, quæ hiſce pondus addant, aut contrarium doceant, experimenta proponere.

POLONIA LITTERATA NOSTRI TEMPOris, Auctore IO. DAN. IANOZKI, Bibliothecæ Zaluſcianæ Secretario.

Pars I.

Vratislaviæ, apud Io. Iac. Korn, 1750, 8 mai.
Plag. 9.

Auctor, ante biennium, a publicatione huius libelli, ad ſacra pontificia deflexit, deditque, ab omni eo tempore, id ſibi negotii, ut rem litterariam Polonorum, ex voto & præſcripto Illuſtriſſimi Mecænatis ſui, magni Referendarii, ornaret, provideretque, ne, quem litterarum meliorum amorem Reipublicæ inſpiravit tanti Viri exemplum, iterum intercidat. Hoc igitur opere illos commendat, qui in Eruditorum numero haberi iure meritoque
Pag. 7. poſſint. Nos oratores quosdam Polonos & Poetas recentiores ex hac opella ſeligemus. Sunt inter illos: *Ioannes Bielski*, Societatis Ieſu, noſtro iudice, priſcæ vir eloquentiæ, & ingenii fœcundioris ornatiorisque, fama clariſſimus: cuius ſcripta latina ſunt pro inſtitutione grammatica *Emmanuelis Alvari*, oratio habita Caliſſii, ibidemque typis nitidiſſimis impreſſa A. 1746, 4, & pro ſcholis publicis, ſtudiorumque in illis ratione, oratio habita Posnaniæ,

naniæ, ibidemque ſplendidius excuſa 1747, 8; Polonica Pag. 8.
ſunt, duplex tragœdia ſacra, altera, Seiſadinus Armuſiæ rex, Caliſſii A. 1747, 8 mai. altera Titus Iaponenſis, Posnan. A. 1748, 8 mai. Feminis, in tragœdiis ſuis locum concedit nullum, ſcriptor iſte Tragicus. *Raymundus Czaſzynski*, ordinis prædicatorum, ſanctioris doctrinæ lector, con- 16.
cionator eccleſiæ collegiatæ Lovicienſis primarius, edidit 17.
conciones vernaculas Varſaviæ 1754, fol. 5 Alph. *Antonius Ioannes Czeczewicz*, regiæ maieſtatis ſecretarius apoſtolicus, & civitatis Varſavienſis notarius, patrio ſermone vulgavit ſacrorum epigrammatum volumen, Supraslii, 1742, 4. *Czornowski*, Caſtellani Viſſogrodenſis filius, cubicularius regius, ſubiicit prelo Tragœdiam Oedipum e Gallico, quo *Petrus Cornelius*, Gallorum Sophocles, compoſuit, ſermone vernaculo venuſtius expreſſam, in 4, *Io.* 18.
Oſtrowski Daneykowicz, theſaurarius tractus Pinſcenſis, ſecretarius regius, oratorum Polonorum exempla, ſuadæ Polonæ latinæque titulo, II Voll. in fol. protulit; alterum 1745, 15 Alph. Polonico ſermone ſcriptas, alterum 1747, 16½ Alph. latinas orationes complectitur. Adiuncta ſunt lectiora Latinæ poeſis exempla, inter quæ principem locum meretur divinum illud epos, quo *Vincentius Uſtricius*, *Ioannis Magni*, Poloniarum regis invictiſſimi, laudes celebravit. *Fabian Dochtorowicz*, Soc. Ieſ. præpoſitus 19.
domus profeſſæ, & rector collegii Varſavienſis, orationes ſacras Polonas publicavit, Varſ. 1748, 4, quas in comitiis generalibus Grodnenſibus habuit. *Matthias Flaſzynski*, Archi- 21.
diaconus Cemenecenſium, & decanus Opatovienſis, Poeta fœcundiſſimus, prelo paratas habet vitas ſanctorum, elegiaco carmine latino ſcriptas, Voll. IV in 4, *Steph. Garczynski*, palatinus Caliſſienſis, eques aquilæ albæ, orat. vernaculam in comitiis anni 1748 Varſaviæ habitam, in folio plag. 2, publicavit. *Staniſl. de Golanka Golanski*, I. U. D. Protonotarius apoſto- 22.
licus, e codice, quem *Virgil. Gleiſſenbergius*, abbas Oliſſacenſis, cum ipſo communicaverat, edidit poema epicum, ſub titulo:

Boleslaus II, R. P. S. Stanislai episcopi & martyris Cracoviensis occisor, sua exemplari pœnitentia, quam Ossiaci, in Ca-
Pag. 30. *rinthia, egit, in Poloniam redux,* Cracoviae 1735, 4, opus immanibus scatens erroribus historicis & litterariis, ab auctore Polonarum rerum ignarissimo commissis. *Mansuetus Grabowski,* ordinis minorum observant. Bernardinorum per Poloniam
34. maiorem minister provincialis, edidit orationes vernaculas de laudibus sanctorum, pro festis solemnioribus, 1738, 4, & orationes vernaculas de laudibus sanctorum, pro integro anno, Posnaniae, 1739 fol. *Faustinus Grodzicki,* Soc. Ies. edidit *theatrum eloquentiae, illustrium personarum apparatu, ex antiquissimis & probatissimis rhetoribus, oratoribus, & archirhetoribus, instructum: seu diss.* de *magna arte rhetoricae per dialogis-*
26. *mum proposita,* Leopoli 1745, 8, 1 Alph. 15 plag. *Raphael Hempel,* Soc. Ies. vir latinae linguae, tum in orando, tum in fingendis poematis, admodum potens, edidit Clodoaldum, Daniae principem, tragœdiam, feriis actam bacchanalibus, a perillustri lycei Varsav. Soc. Ies. iuventute, Varsav. 1784, 4, & Darium, tragœdiam, actam in gymnasio Pultopolitano, Soc. Ies. Varsav. 1749, 4; addidit orationem de bibliotheca Zalusciana publica, litterarum in Polonia culturam plurimum iuvante, in 4. *Io. de Hylzen,* castellani Livoniae, plures exstant
29. oratt. Polonae in comitiis recitatae, in *Suada Polona & Latina*
31. *Tom. I* passim. *Io.* Comes *Iablonowski,* praefectus *Czechrynensis,* eques aurei velleris, edidit historiam feminarum trium illustrium, *Esther, Iudith,* & *Susanna,* versibus Polonis delica-
32. tissimis scriptam, Leopoli 1747, 4, *Stanisl. Iaworski,* Soc. Ies. Kochanovium, Poetarum Polonorum principem, haud infeliciter imitatus, sacram sine rhythmis tragaediam, *Ionathanem,* publicavit Calissii 1746, 4, plag. 10. *Nic. Car. Iuniewicz,* ordinis S. Pauli primi eremitae, provinciae Polonae a secretis, praeclarus & egregius Poeta, varia scripsit carmina iucunditatis leporumque plena, propter nimiam vero, quam censendis seculi
33. moribus adhibuit, libertatem, antistitum ordinis sui auctoritate suppressa. Contra, *Salomonis* proverbia, quae versibus Polonis

nis expreſſit, magno ſunt in pretio. Lucem viderunt Czen-
ſtochoviæ 1731, 8, *Franc. Ant. Kobielski* Luceorienſis &
Breſlenſis antiſtes, reginæ cancellarius, eques aquilæ albæ,
edidit panegyricum Auguſto ſecundo dictum, Cracoviæ
1734, 4. Sermones ſacros ſolennes 1735, 4, conciones Polo-
nas ad Iudæos, in eorum magna celebritate habitas, Leo-
poli 1746, 4. *Staniſl. Hier.* a S. *Laurentio Kolarski*, cle- Pag. 34.
ricorum regularium pauperum matris Dei, ſcholarum pia- 35.
rum per Poloniam præpoſitus provincialis, laudabiliter la-
tine publicavit elegiarum LL. III quibus acceſſit decas ly-
rica, Varſav. 1724, 12, nec minus de emendandis eloquen-
tiæ vitiis Librum I Varſav. 1741, 8, plag. 20, carmen epicum 36.
de sereniſſimi *Stanislai I* regis, Lotharingiæ & Bari ducis,
virtutibus, mira elegantia & ſingulari artificio conſpicuum, 38.
Lutetiæ Pariſ. 1747, 4, *Eliſabetha Kowalska*, celebratiſſima
Poloniæ poetria, cuius inter carmina manuſcripta ſunt
hiſtoria *Davidis*, magni apud Hebræos regis & prophetæ,
vita S. *Mariæ Magdalenæ*, vita S. *Mariæ* Aegyptiacæ, en-
comium bibliothecæ Zaluſcianæ, de quatuor anni tempo-
ribus carmen, cet. *Franc. Kruſzewski*, Soc. Ieſ. ex ipſius 40.
Sarbievii, lyricorum recentium facile principis, codice ma-
nuſcripto, publicam in lucem emiſit Odas VII, quæ lyrico-
rum in libris non habentur, Vilnæ 1747, 12. *Ignatius Laz-
niewski*, Soc. Ieſ. edidit volumen concionum de per-
peſſionibus *Domini*, lingua Polona habitarum, Varſav. 1742,
4, *Staniſl. Leſczynski*, rex, & dux Lothar. in Polonos nu- 41.
meros elegantiſſime tranſtulit, ac ſplendidiſſime iuſſit ex-
cudi S. *Aurelii Auguſtini* Hipponenſium antiſtitis ſolilo-
quia, meditationes, & manuale, Nanceii 1745, 8. *Ant. Li-* 42.
piewicz, ordinis minorum obſervant. Bernardinorum, con-
cionator eſt Cracovienſis, cuius proſtant conciones Poloni- 43.
cæ, Cracoviæ 1745, 4, impreſſæ. *Fortunatus Loſiewski*, or-
dinis minorum conventualium S. *Franciſci* concionator 44.
Varſavienſis, publici iuris fecit conciones vernaculas, de ſa-
cræ cœnæ myſteriis, Varſav. 1729, 4, Cracov. 1736, 4, con-

Pag. 45. ciones vern. de quinque ſenſibus humanis, Cracov. 1735, 4. ſimiles de adventu Domini, ibid. 1736, 4. *Ant. Bened.* comes in Wisnicz & Iaroslaw *Lubomirski*, eques ordinis S. *Andreæ*, præfectus Caſimirienſis & Lipinſcenſis, habuit orationes in comitiis, *Tom. I Suada Polon. & Lat.* inſertas.
46. Ibidem utroque Tomo leguntur, *Io. de Malachowice* comitis *Malachowski*, ſupremi regni Polon. cancellarii, ordinis aquilæ albæ equitis, Orationes. *Adam. Malczewski*, Soc. Ieſ. contra *Stanisl. Konarſcium* edidit ſpecimina ligatæ & ſolutæ eloquentiæ, Poſnaniæ 1747, 8, & de vera eloquentia diſceptationem, eiusdemque analyſin, e *Cicerone* illuſtratam,
47. ibid. 1748, 4. *Stanisl. Mamczynski*, I. U. D. cet. inter alia publicavit panegyricos vernaculos lectiores, diis Poloniæ præſidibus dictos, Poſnan. 1748, 4. *Mich. Kniaz Maſſalski*, caſtellani Vilnenſis, ducis exercitus Lituani cam-
48. peſtris, oratt. exſtant in *Suada Pol. & Lat. Tom. I*; ut *Tom. II* filii eius, *Ignatii Maſſalski*, magni ducatus Lituaniæ notarii, or. de *Ioſepho* comite *Sapieha*, epiſcopatus Vilnenſis coadiutore, omni eloquentiæ & verborum exquiſitiſſi-
49 ſeq. morum apparatu conſpicua. *Lud. Miske*, S. Th. D. exſtant conciones permultæ vernaculæ, partim calamo deſcriptæ, partim integris foliis impreſſæ. *Gaſp. Modlibowski*, caſtellani
50. Medirecenſis, oratt. variæ Polon. leguntur in *Suada Tom. I. Leonis Morawski*, canonici metropolitani Gneſnenſis, plures circumferuntur orat. vernaculæ, graves & magnificæ, quarum principem locum tenere videtur, quæ in exſequiis *Theodori Po-*
52. *tocii* primatis dicta eſt. *Antonia Niemirzyczowa* publicari fecit
53. carmina Polonica terſiſſima 1743, 4, *Caſim. Nieſiolowski*, Caſtellani Smolenſcenſis, exſtant epigrammata vernacula, multaque alia varii generis opuſcula, coniunctim edita Pinſci, 1743. 4. Innotuit & filius illius, *Adamus Nieſiolowski*, carminibus vernaculis, ibid. 1741, 4, recuſis, 1746, 4. *Ioſeph. Mich. Nogawski*, concionator Tarlovienſis, uſus ubivis ingenio, quam animo, meliore, publicavit feſta ſanctorum, carminibus elegiacis latinis celebrata, Cracov. 1724, 8, hiſto-

historiam vitæ & insignium in ecclesiam & humanitatis studia meritorum *Gregorii Gorczycki*, carmine elegiaco, ibid. 1736, 8, de arte concionandi, Varsav. 1731, 8, Polonice, conciones de Pag 54.
laudibus divinæ virginis, Cracov. 1733, 4, Pastorem ecclesiæ bonum, ibid. 1734, 4, & threnorum libellum, ibid. 1739, 8,
Augustinus a S. *Stanislao Orlowski*, scholarum piarum sacerdos 55.
professus, collegii nobilium privati Varsaviensis præfectus, emittet brevi Zayram Voltarii, poetæ inter Gallos sine exemplo maximi, tragœdiam, Polonis versibus expressam. *Alexius Ozga*, scholarum piarum secretarius, Vir ad omnem humani- 56.
tatem natura & arte factus, eruditioneque potens, varias edidit oratt. ad Poloniæ principes habitas, & præter alia poemata, sperare nos iubet Alziram Voltarii, versibus Polonis. *Car.* 58.
Posadowski sancti *Damasi*, de *Christi* servatoris cognomentis carmen illustratum dedit Varsav. 1736, 8, *Florentini Potkans-* 61.
ki, scholarum piarum a ministeriis secretioribus, exstant: epist. Gallica de *Zalusciorum* in rem Polonam litterariam meritis, in *Nouvelle Bibl. Germanique Tom. I, P. I, n. 9. pag. 172-181;* conciones elegantes Polono sermone, Varsav. 1744, 4 & carmina Latina Polonaque ad eminentissimos patriæ viros.
Mich. Casimiri, ducis in Olyka & Nieswiz *Radziwill*, pa- 66.
latini Vilnensis, oratt. vernaculæ leguntur *Tom. I Suadæ* Pol. 67.
& Lat. *Iosephi Reinaldi*, scholarum piarum, concionatoris Cracoviensis, conciones Polonæ, Varsaviæ 1745, 4. *Guil. Robertsoni*, archidiaconi Posnaniensis, sermones sacri Cracov. 1724, auctiores Posnaniæ 1744, 4, lingua Polona. 68.
Lucas a sancto *Francisco Rosocki*, scholarum piarum, rector Vilnensis, edidit conciones de passione *Domini*, Varsav. 1731. 4. polonice. *Ioseph. Rychlowski* præter alia plu- 70.
rima venustissima, carmen scripsit heroicum sub titulo: *concordia, pax & amor, inter armatæ Europæ discordias, terris restituta, per augustissimum Hymenæum, inter serenissimos Maximilianum*, electorem Bavariæ, & *Mariam*, regiam Polon. electoralem Saxoniæ principem; nec non inter serenissimos, *Fridericum*, regium Pol. electoralem Saxoniæ,

Antoniam, imperatoriam & electoralem Bavariæ principes, Dresdæ celebratum, anno 1747, menſe Iunio, Dresdæ, 4, in quo *Ant. Poninſcium*, Poetam, inter Polonos, noſtro tempore principem, mira diligentia ac ſtudio eſt æmulatus. Idem, *Andream Zaluſcium*, antiſtitem Cracovienſem, & Seve-
Pag. 71. riæ ducem, carmine ſeculari celebravit. *Venceslaus Rzewuski*, Palatinus Podoliæ, *Auguſti II* virtutes & res geſtas, carmine Polono, nitoris & maieſtatis pleniſſimo, concelebravit Varſav. 1733, fol. *Mich. Wiſniowieckium*, palatinum Vilnenſem, oratione funebri Polona laudavit, in *Suada*
72. *Tom. I* legenda. Ibidem *Tom. II* & in *Konarſcii* libello de *emendandis eloquentiæ vitiis*, tanquam exempla latini ſtili, reperiuntur *Clementis XII*, P. R. epiſt. ad *Wencesl. Rzewuski* 1739 ſcripta, & ad illam Palatini reſponſio. Ibidem *Tom. I*
74. legas *Io. Fr.* S. R. I. comitis in *Koden Sapieha*, cancellarii magni ducatus Lituaniæ, oratt. ut *Tom. II P. II* eiusdem epp. Latinæ ad viros ævi noſtri principes. Nec minus utroque tomo leguntur orr. *Ioſephi Stanislai*, comitis in Dam-
74. browna *Sapieha*, Diocæſarienſium antiſtitis ſacri. *Mich.* vero comes in Bychow *Sapieha*, Podlachiæ palatinus, plures Gallorum tragœdias, maxime *Zayram Voltarii*, verſibus
76. Polonis interpretatus eſt. *Mich. Sieyrowsky*, S. Th. D. Prior conventus Cracovienſis, edidit panegyricos latinos bene multos, illos quidem ingenioſiſſimos, ſed admodum impolitos & plane rudes, iamque dat prelo bibliothecam præſtantiorum Po-
77. loniæ concionatorum, in fol. *Petr. Skoczynski*, concionator Poſnanienſis primarius, orat. ſeculari vernacula, *Io. Cantio*, quondam profeſſori Cracovienſi dicata, inclaruit, qua illius antiquiſſimæ ſcholæ primordia fataque percenſentur, Poſnan. 1745, fol. 1 Alph. 7 plag. *Io. Skorski* Soc. Ieſ. prodiit Lechus, heroicum carmen, regni aurei & liberi primordia, vetuſtatem, fortunamque variam decantans, Libris XII, Leopoli 1745, 8, plag. 22.
78. *Laur.* a S. *Roſalia Szydlowski*, prorectoris collegii Varſavien-
79. ſis, exſtant conciones Polonæ, de paſſione *Domini*, auſpicio *Ioſ. Andr.* comitis *Zaluſcii* publicatæ Varſav. 1748, 4 mai. *Ioſephus Szysz-*

Szyszkowski, camerarius castri Neocorcinensis, produxit elegiarum, in varia materia, tam sacra, quam profana Libros II, Pag. 80.
Cracoviæ 1744, 8, *Gordianus Wanssowski*, S. Th. D. edidit conciones Polonas morales, Cracov. 1743, 4. *Adamo Wasilewski*, notario Palatinatus Volyniæ, debetur vita *Servatoris*, e virorum divinorum relationibus, carmine Polono tersissimo concinnata, Varsav. 1746, in fol. Alph. 5, plag. 3. vir doctissimus, *Ant.* a S. Samuele *Wisniewski*, scholar. piar. edidit pa- 82.
negyricos quam plurimos, summis Poloniæ Mecænatibus, com- 83.
muni ordinis sui nomine dictos, in fol. *Io. Franc.* a S. *Ioseph Wlocki*, concionator Cracoviensis, evulgavit concionum de Christi passione *Vol. I* Vilnæ 1729, 4, Vol. II Cracoviæ, 1736,
4, Vol. III ibid. 1740, 4, itemque sermones quam pluri- 84.
mos solemnibus singulis diebus habitos, unum in volumen redactos, Cracov. 1741 in fol. *Dominicus Wollowicz*, magni ducatus Lituaniæ referendarius, protulit carmen Polonum, exemplar heroicæ Poesis longe perfectissimum, *Mariæ Iosephæ*, reginæ, dicatum, in fol. *Iac. Wolski*, ordinis S. Antonii Patavini reformatorum, conciones edidit de passione Domini, Posnaniæ 85.
1731, 4, Voll. II Polonice. *Stan. Wolscius*, R. P. *Benigni Buchowski*, Benedictini Tinecensis, carmina postuma, in lucem emisit Cracoviæ 1734, 12. *Io. Stan. Kostka Woykowski* dedit conciones de sanctis, quibus additæ sunt aliæ, de adventu *Christi*, & passione *Domini*. Varsav. 1723, fol. item 86.
conciones pro diebus dominicis, quibus multæ quoque adiectæ sunt, diebus extra ordinem dominicis & festis habitæ, Calissii 1733 fol. *Sam.* a S. Floriano *Wysocki*, 87.
provinciæ Polonæ consultor, vir arte dicendi potens, oratorem Polonum edidit, illustri iuventuti, scholas pias frequentanti, ad exemplar propositum Varsav. 1740, 4, Alph. 4 plag. 16; conciones vernaculas, selectiores, coram illustrissimis tribunalis thesauri Radomiensis iudicibus habitas, Varsav. 1742, 4, conciones vernac. de sanctis, diversis in ecclesiis regni principalibus habitas, Varsav. 1747, fol. conciones dominicas, de passione Christi maiestatica, sexcentasque alias oratt. sacras.

Pag. 88. ſacras. *Nic. Ignatius Wyzycki*, archiepiſcopus Leopolienſis, ſacras duas edidit oratt. alteram S. *Stanislao*, alteram S. *Tereſiæ* dicatam, Cracov. 1725 fol. Polonice. *Io. Zaba*, palatinus Minſcenſis, *Herm. Hugonis* pia deſideria, eodem carminis genere, Polonice verſa dedit, ex officina Supras-
90. lienſium 1744, 8. *Angela Zaleska*, filia Caſtellani Viſnenſis, edet faſciculum carminum omnis generis elegantiorum, a nobiliſſimis Poloniæ Poetis lingua vernacula conditorum, cuius ad calcem accedent *Io. Baptiſtæ Santolii*, canonici regularis, hymni ſacri, ab ipſa in Polonos numeros translati, 8. *Tereſia Zaluska* celebritatem eſt conſecuta vernaculis
92. orationibus, ad illuſtriſſimos regni tribunalis iudices, in
94. *Suadæ Tom. I* exhibitis. *Andr. Stanisl. Koſtka Zaluski* leguntur oratt. plures vernaculæ. *Iac. Zaluski*, *Lud. Bourdalouei* oratt. ſacras Gallicas Polona verſione donavit. *Io.*
101. *Andr. Zaluski* legitur oratio funebris, in exſequiis *Iac. Ludovici Sobieski*, regii Poloniæ & magni ducatus Lituaniæ principis, in 4, omnium eius orationum princeps; quam excipiunt oratt. in laudem mortui principis *Mich. Wisniowiecki*, Palatini Vilnenſis, 4, & in obitum *Io. Alex. Lipski*, Romani cœtus purpurati, declamatio, rel. En igitur oratores & Poetas Polonos, cum ederetur liber, adhuc viventes, quorum indicem gratum lectoribus noſtris futurum, non dubitamus. Ex his, quam gratam rem, Poloniæ ſuæ, orbique litterato, facturus ſit *Ianozkyus*, ſi, quo tramite cepit, perrexerit, facile intelligitur. Neque eſt dubium, patrocinante Illuſtriſſimo *Zaluskio*, litterarum Statore beneficentiſſimo, operam *Ianozkii*, etiam in poſterum, ad nutriendum eruditionis omnigenæ in Polonis amorem atque ſtudium, apprime valituram.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLIV.

Pars II.

NOVUS THESAURUS IURIS CIVILIS ET CANONici, continens varia & rarissima optimorum Interpretum, inprimis Hispanorum & Gallorum, opera, tam edita antehac, quam inedita, in quibus utrumque ius emendatur, explicatur, atque ex humanioribus litteris, antiquitatibus, & veteris ævi monumentis, illustratur. Ex collectione & Museo GERARDI MEERMANN, ICti & reip. Roterodamensis Syndici.

Tomus VI.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1753, fol.
Alph. 9 plag. 9.

Superiorum Thesauri huius Tomorum dignitas, atque ubertas doctrinæ, facit, ut & huius Tomi, quamvis ab initio non promissi, magna expectatio esse debeat. Quæ quomodo sustineatur, iam nobis docendum est, recensendis libris atque scriptoribus, eo comprehensis.

Primum locum, merito, doctrinæ atque elegantiæ causa, tenent *Iosephi Fernandez de Retes* libri ac scripta. Quæ quidem *Iosephus Finestresius*, ICtus inter Hispanos hoc tempore clarissimus, cum edere, propter raritatem, uno volumi-

ne comprehensa, voluisset, sed redemtorem non invenisset, ad *Meermannum* V. C. detulit; iurisprudentiæ bono. Retesius quidem, e Rami disciplina profectus, doctrina & eruditione præceptori nullo modo cessit. Vitam ac scripta, Cel. *Maiansius*, propria commentatione persecutus est, præfixa hisce scriptis a *Meermanno*.

I) *Retesii Epitaphia illustrata, sive solennis publica Relectio* (ad L. 6. C. de relig. & sumt. fun.) *habita in Salmanticensium Gymnasio*, ponuntur, edita illa primum Salmanticæ 1640,
Pag. 13. 4. Qua in Relectione, *Retesius*, cum primo in universum de epitaphiis, ex antiquitate, disseruisset, eorumque partes peregisset, deinde quæstionem hanc tractat præcipue, utrum ex epitaphiis, de voluntate defuncti, duci argumentum possit, si v. c. in epitaphio poni iussit, ut apud veteres sæpenumero factum scimus, *ut monumentum heredes vel familiam sequeretur, sepulcrum esset filiis, filiabus, libertis, libertabusque suis:* id quod ex sententia veterum ICtorum Auctor affirmat: eamque in rem L. 6. C. laud. docte interpretatur, & ab omni repugnantiæ vitio liberat. Postremæ huius Relectionis parti adiectæ sunt, *Retesii & Ruderici Cari*, docti Hispani, mutuæ epistolæ, super eodem hoc, de Epitaphiis veteribus & eorum siglis, loco.

28. II) Eiusdem Auctoris *Opusculorum libri quatuor, quorum primus totus est varius miscellaneusque, & ex nova plerumque observatione; secundus de contractibus incertis & actionibus, quæ ex illis competunt, & de pactis in continenti adiectis; tertius Commentarius ad librum singularem Quæstionum publice tractatarum Scævolæ; quartus & ultimus notas uberiores continet ad notas* Claudii, *præfixas libris Responsorum & digestorum eiusdem* Scævolæ. Exierunt hi quatuor Opusculorum libri *Salmanticæ* A. 1650 fol. quos secuti sunt ibidem A. 1658 fol. alii quatuor opusculorum libri, qui in hoc Thesauro illis subiiciuntur. Primus horum Opusculorum liber varias observationes, in sua capita descriptas, complectitur, easque maximam partem bonæ frugis plenas. *Capite* quidem *septimo L. 3 §. 1. D. de capite min.* explicatur, non inelegan-

leganter, quamvis magis probemus interpretationem *Conradi*, *Parerg. I, 2.* *Capite 18*, & tribus proximis, de *venditionibus imaginariis*, & *contractu fiducia*, diligenter agitur. Liber secundus, in quatuor Sectiones tribuitur, & de actione praescriptis verbis exponit. Prima quidem Sectione contractus innominati, & actiones praescriptis verbis declarantur; secunda, *condictio causa data causa non secuta*, quae *ob causam datorum* dicitur. In quo quidem A. existimat, *causam datam* in hac condictione nihil esse aliud, nisi causam contractui adiectam: quod nobis quidem non satis adcurate dictum videtur; quanquam res denique eodem redit. *Causa data* hic potius est res propter causam data. Nam *causa* significat omnia ea, quae propter aliquam causam fiunt: unde etiam pro conditione, partibus, aliisque dicitur. Sectio tertia occupata est in condictionibus, quae tum intenduntur, cum poenituit eum, qui ex causa aliqua dedit. Quarta autem in *pactis in continenti adiectis* explicandis versatur.

Pag. 89.

157.

Liber tertius habet *commentarios, in Scaevolae librum singularem* quaestionum publice tractatarum: explicanturque novem eius libri fragmenta in Pandecten illata. Quartus autem uberiores notas, in *Claudii notas ad Scaevolae libros Digestorum* & *Responsorum*, complectitur. Adiectus iis est index in omnes hos quatuor Libros opusculorum. Sequuntur eiusdem Retesii *libri Opusculorum quatuor posteriores*. Ac *liber quintus* quidem *de peculio castrensi* tractat. In quo quidem, quod *Ulpianus* in *L. 9 §. 3 D. de iur. dot.* dicit, *recepticia quae Galli peculium adpellant*, in eo A. existimat, pro *Galli*, legendum esse *alii;* propterea quod vocabulum, *peculium*, nullo modo ex lingua Gallica ad Romanos venerit. Recte hoc quidem, quod dicit, ipsum vocabulum non e Gallica lingua venisse in sermonem latinum: sed tamen illud falsum, quod *Galli* mutat in *alii:* repugnat id toti contexto. Nobis quidem videtur, non quidem ipsum vocabulum, sed vis ac potestas ea, ut significet *recepticia* mulieris, a Gallis cisalpinis, latine loquentibus, ad Romanos pervenisse: adeoque nihil mutandum.

196.

239.

Pag. 274. Liber *fextus* opufculorum perfequitur *Ius postliminii Iuris Gentium & Quiritium*, & Legem *Corneliam*, *de confirmandis teftamentis eorum, qui in captivitate deceſſerint:* quam quidem Legem A. cum plerisque aliis, a Sulla latam putat: nulla fane idonea de caufa.

308. *Septimus* liber variis difputatiunculis conftat, veluti de contractu

390. emtionis venditionis, de numo, ac pecunia. *Octavus* autem mifcellaneas, &, uti infcriptio tradit, plane novas habet obfervationes, triginta capitibus; breves illas omnes, nec admodum magni pretii.

462. Poft hæc pofita eft eiusdem Retefii *ad Leges, Edicta, Principumque conftitutiones, ex quibus prohibita, ufucapio eft, felectio fucciſiva. Accedit, ad Leges, Atiniam, Plautiam, Iuliamque*, de *Vi & Repetundarum, Academica feriata Selectio eiusdem. Salmant. 1643, 4.* Primum de vetita per *Legem Scriboniam* ufucapione fervitutum, ac de præfcriptione, five longi temporis ufu fervitutum, tandem permiſſo agitur; lex autem *Scribonia* ad annum Tiberii fecundum refertur. Deinde de ufucapione prædii dotalis, Lege Iulia, de fundo dotali, prohibita: porro de oratione D. Severi, qua prædia pupillorum & adolefcentium, alienari vetitum, exponit. Ceterum autem, hanc orationem, ad ufucapionem prædiorum pupillarium non pertinuiſſe, docet, quippe contra quam reftitutio in integrum locum habeat. Poft ea Edicta, de *alienatione iudicii mutandi caufa facta*, & *de litigiofis*, ac Iuftiniani novæ conftitutiones de alienatione ac præfcriptione bonorum adventitiorum, illuftrantur: tandem *Lex Mamilia* de prohibita finium ufucapione, fimulque difficilis *L. 5. C. fin. reg.* explicatur. Quæ quidem omnia bene atque docte traduntur. Ceterum tamen nihil habent, quod non iam in aliis bonis commentariis, & iuris civilis interpretibus, invenias. De præfcriptione quidem fervitutum, Ianus *a Cofta*, Prælectionibus in Tom. I. huius Thef. pofitis, & *Ev. Otto*, fingulari Differtatione, uberrime egerunt. In *felectione feriata* Leges, *Atinia*, *Plautia*, & *Iulia*, eodem modo illuftrantur. Lex *Iulia* ab A. tribuitur I. Cæfari Dictatori; perperam. Non enim Cæfar de

de vi Legem tulit, sed *de vi & maiestate*, Cic. Phil. I, 9: estque adeo *de rebus vi possessis, non usucapiendis*, caput Legis *Iuliæ, de vi*, Augusti. Obiter A. *L. 57 D. mand.* interpretatur: cuius lectionem vulgarem ab omni vindicat emendatione ita, ut existimet, verba: *Publiciana non utiliter acturum*, ita esse explicanda, quasi Papinianus dixerit, *Publiciana acturum, non autem utiliter vindicaturum*, hoc est, Publicianam, non autem utilem rei vindicationem, instituturum: quod, quam sit a verbis alienum, facile intelligitur. Quare A. sententiam probare nullo modo possumus; adeoque nobis quidem particula negans, cum viris doctis, eiicienda videtur.

Proximus Retesii Commentarius hac inscriptione est: *Ad titulos de bonorum possessione contra tabulas, de legatis præstandis, & de inofficioso testamento, scholastica Adversaria, pro eorum publicis propugnationibus ex more Academico congesta, nondum digesta aut expolita. Salmant.* 1663, 4. Cuius quidem Commentarii argumentum satis ex ipsa inscriptione intelligitur, quod Autor satis diligenter pertractavit: nos quidem brevitatis causa percensere non possumus. Hoc unum non possumus, quin moneamus, Auctorem de indicio centumvirali agentem, statuere, interdum ex eo lectos *septem* iudices, qui litem aliquam causamque disceptarent: idque esse *iudicium septemvirale*, cuius in *L.* 7, *28*, & *31*, D. *de inoff. test.* mentio fiat; quod tamen falsum: etenim reponendum est, *iudicium centumvirale*, vid. *Cuiacii* Obs. *I. F. Gronov. Obs. IV, 11.* Neque rectius censet, *Recuperatores*, non de centumvirali iudicio sumtos fuisse: Centumviros autem non de facto, sed de iure tantum cognovisse. Pag. 489.

Secundum illum Comment. locata est eiusd. Retesii *Prælectio sesquihoralis ad L. Claudius Seleucus 13*, de his quibus ut indign. *quam pro obtinenda primaria cathedra habuit in amplissimo gymnasio Salmanticensi*, edita illa a discipulo eius *Io. de Archegagas & Cassas*, sub finem *Extemporanearum Commentationum ad textus forte oblatos pro petitionibus cathedrarum*, Salmanticæ 1666. Extemporalis est, neque adeo 545.

 præ-

præſtans admodum. Ceterum tamen diligenter caput illud laudatum illuſtrat.

Pag. 557. Sequitur eiusdem de *Donationibus Academica Relectio, quam ex veſpertino ſuggeſtu clariſſimis cariſſimisque ſuis exceptoribus dictavit A. D. 1663, nunc vero auctam triploque maiorem, publicis formis, iisdem ſtudioſis ſectatoribusque ſuis dicat, dedicat, qui eos maioribus donis auctos mactosque exoptat & precatur, votis ad invidiam felicibus, Ioſ. Fernandez de Retes.* Ita habet libri inſcriptio. Editus eſt Salmant. 1666, 4. Locus de donationibus uberrime illuſtratur, neque tamen ubique ſatis adcurate; v. c. quod dicit Lege Cincia permiſſum fuiſſe, usque ad CC. ſolidos donare.

662. Eiusdem pretii eſt, qui ſequitur, *Liber ſingularis de Donationibus inter virum & uxorem,* qui Salmanticæ, non adiecto anno, prodiit. Atque hic eſt ultimus Reteſii commentarius. Nam Cl. Editor huic Tomo tantum editos inſeri voluit, reliquos autem, antehac nondum vulgatos, Tomo ſeptimo reſervavit.

706. Iam Reteſianis ſubiunguntur *Petr. Martreſii ad* L. veteribus 39, de Pactis, *& eiusdem in aliquot ICtorum locos notæ:* libellus non ſane contemnendus, nihil tamen tradens, quod non iam ex aliis melius, aut æque bene, conſtet hodie. Ceterum prodiit *Pariſ.* A. 1551.

735. Proximum locum tenet *Gabrielis de Gaſt Diſceptatio de Actione arbitraria ad* L. Centum Capuæ 8. D. de eo quod cert. loc. *Aurel.* 1576, 4, edita: quam ſequuntur eiusdem *Commentarii in duos tit. Codicis* de impub. & aliis ſubſtitutionibus, & de ſententiis, quæ pro eo quod intereſt proferuntur, *ibidem* A. 1578, 4. vulgati. Uterque liber poſtea uno volumine A. 1596, 4. Lugduni repetitus eſt. In priori quidem Auctor novam de actione arbitraria tuetur ſententiam; ſed *Meermannus* eum a *Matthæo Magno,* eiusdem argumenti interprete, ſuperari iudicat. In altero autem laudatorum titulorum Codicis, omnia capita, ſumma doctrina atque elegantia illuſtrat, ita, ut omnes eorundem titulorum Commentatores vicisſe videatur.

Hos

Hos excipiunt *Nic. Catharini Observationum atque Coniecturarum Libri quatuor*, sigillatim *Biturig.* deinceps A. 1660, & 62 in 12 editi, eiusdemque *Gratianus recensitus*, qui *ibidem* A. 1686, 4 prodiit. In libris Observationum atque Coniecturarum, multa loca iuris Civilis, cum ex ingenio, tum e Basilicis, tentat; non ubique tamen satis feliciter: adgressus saepe loca, omni vitio vacua, tantum ut ingenii sui specimen proderet. *Gratianus* autem *recensitus*, uti nomen libro est, si comparetur cum aliis eiusdem generis virorum doctorum libris, plane nullius est praestantiae.

Sequuntur *Foppii ab Aezema Dissertationum ex iure civili libri duo*, editi Helmstadii 1607, 4. Quibus quidem Autor multa ingenii et eruditionis documenta edidit: nunc errores, in capitibus iuris civilis explicandis, a ICtis commissos, docens, nunc interpretationes, vel emendationes proponens, non insubtiles.

His subiectae sunt *Henr. Ernstii breviores Adnotationes in librum primum Digestorum, unacum explanatione* L. Princeps 31. D. de legibus, *Sorae* 1646, 4. Multae in his emendationes locorum ex primo digestorum libro inveniuntur, sumtae illae partim ex Cod. Ernstiano, partim ex Cod. Schefeldiano. Cl. Meermanni consilium fuit, hisce adnotationibus adiicere praecipuas emendationes, & varias Lectiones, ex cod. MSt. praestanti, quem ipse possidet: sed angustiis temporis, & occupationibus impeditus est. Ipse codex Meermanni egregius est, nitide circa Sec. XII, ut Meermannus iudicat, scriptus in 4. Primum Nic. Colladonius, Advocatus Bituricensis, qui postea religionis ac sacrorum causa se Genevam contulit, A. 1535 sibi comparaverat. Ad Meermannum autem A. 1747 ibidem a librariis, Cramero et Philiberto, lege emtionis, pervenit. Eum Cod. iam Duarenus, Comm. ad L. Iuris Gentium §. adeo autem D. de pactis, *pervetustum* adpellavit: nec minus Pacius & Gothofredus eum laudant. Quibus omnibus facile intelligitur, egregias eius lectiones esse oportere, magnamque gratiam habiturum apud eruditos fuisse, si essent in hoc Tomo editae.

Hunc

Pag. 863. Hunc Tomum claudit *Guil. Ottonis Reitzii Epistola ad Meermannum, de Theodoro Hermopolita eiusque scriptis.* Occasionem huius epistolæ scribendæ dedit *Synopsis et Ecloga Codicis Iustinianei Erotematica*, quæ ei ICto tribuitur; cuius exemplum Meermanno a L. B. a Swieten missum erat, descriptum e Cod. bibliothecæ Cæsareæ. Hanc Synopsin Meermannus decreverat huic Thesauro, addita interpretatione latina, inserere, eamque ob caussam Cl. Reitzio tradiderat. Qui, perlectam, penitusque cognitam, indignam iudicabat, quæ huic Thesauro inferretur, suppositam quippe, & ab impostore ex veri Hermopolitæ scriptis compilatam; inde natæ Clar. Reizio observationes permultæ, non vulgares, de Theodoro Hermopolita eiusque scriptis: quas ille in hac epistola, adiecto indice capitum huius Synopseos, & ἐπιμέτρῳ, ad Meermannum perscripsit: hic autem merito dignas indicavit, quas cum eruditis communicaret.

Atque hæc sunt, quæ nobis de hoc Thesauri Meermanniani Tomo dicenda visa sunt. Ceterum, in omnibus hic superioribus Tomis similis est.

COGITATORUM SUORUM DE S. EUCHARISTIA sinceræ fidei evangelicæ puritati omnino congruentium dilucidatio apologetica, eruditorum Theologorum Medicorumque omnium æquæ inquisitioni submissa, a BALTHASARE LUDOVICO TRALLES, Vratislaviensi.

Vratislaviæ, sumptibus Caroli Godofredi Meyeri, 1753, 8. Plag. 5.

Pag. 107. D. *Balthas. Ludov. Tralles*, in historia choleræ atrocissimæ optat, ut de præsentia corporis & sanguinis Christi, dignum satis, atque vere ultra rudem illum Capernaiticum evectum, conceptum foverent nostrates, quem nimis animis illiteratorum, & forte literatorum haud paucorum, insidere dolet. Ideoque existimat, eodem iure, quo nos quidem contra Romanensium transsubstantiationem, ad sensuum perceptio-

ptiones provocare solemus, reformatos idem sibi concedendum postulare posse, quod concedi nobis a Pontificiis postulamus. Cum autem Theologi nostrates doceant, cum pane Pag. 108.
corpus Christi invisibile, modoque supernaturali, præberi communicantibus, se quidem medicum statuere dicit: carnem illam musculosam Christi, quam gessit ambulans in terris, quæ 109.
perpetua nutritione indigebat, nostræque naturali cum omnibus suis fibris similis; sanguinem illum, quem cordis & arteriarum virtute in orbem pulsum elaboravit vi viscerum, ex assumtis alimentis, ut noster elaboratur, *quique effusus, dum pro nobis mortem oppeteret, computrivit tandem sine dubio, ut noster putredini obnoxius*, illam igitur carnem fibrosam, illum sanguinem rubrum, neutiquam adesse in Eucharistia, *ille enim oculis tum usurpari poterat, & a nobis nunc usurpari deberet*. Quare, remota *materiali* & *physica præsentia* corporis & sanguinis Christi, supernaturalem manducationem & bibitionem rectius asserendam esse docet, *vi cuius nil materia corporeæ & sanguineæ inhæreat pani & vino*, sed eodem 111.
potius tempore, quo utimur pane & vino benedicto, impetrata per mortem Iesu Christi certitudine remissionis peccatorum, communis iterum intercedat unio & Christi & nostri, modo incomprehensibili & inexplicabili. Pauxillum autem panis & vini, Christi omnipræsentis vehiculum quasi velle statuere, nimis abiectum, nimis humanum foret, & divinitati redemtoris repugnaret. Totam ergo præsentiam realem 112.
corporis & sanguinis Christi, vel prout explicat mentem suam, mortis & meriti illius, collocat in ea, quam dixit, cum 113.
Christo unione. Addit tamen, nullam vim inferri paginis sacris, si Christum omnipræsentem & omnia implentem, *adesse Eucharistiæ corpore simplici, quale fuit eius a morte resuscitatum, glorificatoque*, statuamus. Nullam autem prorsus mentionem sanguinis facit.

Uberius suam ea de re sententiam exposuit in dilucidatione apologetica cogitatorum suorum de S. Eucharistia, sinceræ fidei evangelicæ puritati omnino congruentium, eodem A. 1753 edita; ubi, præmissa disquisitione de rationis usu in religione,

gione, & de propoſitionibus quibusdam fundamentalibus §.
Pag. 36. 6. 7. nec non de ſenſuum in religione uſu §. 9. ſtatuit, opus fuiſſe ad ſubeundam mortem mediatoriam, ut Chriſtus indueret corpus humanum naturale, *& ex ſua natura mortale.* Eam ob cauſam, quoad corpus ſuum, quod aſſumſerat, totum ſe ſubieciſſe naturæ legibus, licet earum cum patre auctor
38. eſſet. *Saniſſimus interim erat*, ait, *nulli morbo ſubiectus.*

Suppoſita itaque, quam §. 10. concedit, naturarum unione perſonali & communione, in eiusmodi caſibus, quando de corpore Chriſti ſolo, & eius actionibus ſolis, ex invictis principiis anatomicis & phyſiologicis philoſophantur medici, nihil intereſſe putat, ad unionem λογȣ cum homine provocare, *namque σαρξ λογȣ nihilominus fuit caro mere humana, αιμα λογȣ non fuit ſanguis divinus,* divinitas non fuit carnea & corporea, abſentia peccati ſpectat ad ſolam animam, non ad machinam corporis, ſatisque certum eſt, corpus illud, quod mori poteſt, non poſſe eſſe aliud, quam ſimpliciter hu-
40. manum. Excipit quidem ex his miracula Chriſti, actiones mediatorias, actusque omnes, qui ad munus eius regium, propheticum, & ſacerdotale proprie ſpectant, quique ad Theologiam ſolam pertinent; nec tamen ad hanc claſſem referendam eſſe putavit S. Euchariſtiæ inſtitutionem, ideoque §. 11
45. operoſe probare contendit, ſanguinem Chriſti fuiſſe putredini obnoxium. Fuit enim, inquit, quoad corpus, verus & ſimplex homo, & ad mortem usque, ſine exceptione, omnia de eius corpore prædicari poſſunt, quæ prædicare licet de corporibus omnibus naturalibus hominum. Si vero Chriſtus fuit homo, nobis in omnibus ſimilis, an gaviſus fuit corpore alterius mixtionis? Nonne ergo Chriſtus, eadem ac nos œconomia vitali uſus, geſſit in vaſis ſuis ſanguinem, continuo corruptioni pu-
47. tredinoſæ obnoxium? Imminens hæc putredo, ſanguinis circulatorio motu inducta, ſed & eliminatione particularum putredini proximarum, & admiſſione novi chili, per ipſum hunc motum præpedita, involvere neceſſario debuit neceſſitatem inchoandae verae putredinis in ſanguine, ſi contrariae conditiones illis, quibus ſolis avertebatur, obtinuerint. Nempe, pror-

prorſus eadem ratione, qua ſanguis noſter naturalis, non motus per vaſa, ſed quieſcens, ſtagnans, & extra ea effuſus, cito vera putredine corrumpitur, id idem de Servatoris noſtri ſanguine humano, effuſo ante mortem quacunque ratione, valere debet neceſſario, donec probetur contrarium. Per miraculum quidem, concedit, cruorem illum e corpore ſervatoris, per ſudorem in monte olivarum, atque per vulnera a flagellis & ſpinis elapſum, omnino potuiſſe defendi a putredine. Non vero, reſpondet, propterea nobis licere pro lubitu miracula fingere, atque de rebus, naturale corpus Chriſti concernentibus, ſtatuere, quæ legibus naturalibus adverſentur, S. Scriptura tacente. Interea tamen corpus Chriſti ſepulchro conditum, cum omni ſanguine, qui in vaſis ſupererat, per verum miraculum incorruptum perſtitiſſe docet, nulliqüe putredini obnoxium tertio die reſurrexiſſe, §. 12. Chriſtum autem, ſanguinem ſuum naturalem & animalem, quem effuderat hinc inde homo patiens, dum reſurgeret, iterum collegiſſe, adſumſiſſe iterum, ſecumque omnem in cœlum transtuliſſe, negat, tacente Scriptura, nec conſentiente, quando reſurrecturum corpus ſpirituale affirmat. Pag. 59, 60.

Poſita itaque putredine ſanguinis Chriſti, quo iam deſtituitur corpus eius ſpirituale & glorificatum, §. 13. tranſitus ſit ad Evchariſtiam, in qua idem illud corpus Chriſti naturale, quod in terra habuit, vere non adeſſe, ex eo probare vult, *quod non incurrit in ſenſus, quibus iudicii de abſentia & præſentia corporum naturalium libertas æque eſt relinquenda.* Idem 62.
§. 14. ex inſtitutione S. cœnæ adſtruit, quod ante & poſt eam corpus Chriſti naturale illæſum fuerit atque integrum, ſanguis nondum effuſus, adeoque corpus naturale, nec edi, nec ſanguis naturalis bibendo ſumi potuerit; quod ipſum multo 64.
minus poſt mortem Chriſti ad hunc diem usque fieri poſſit.
Ex hoc ambigue infert: *Si ergo præſens eſt Chriſtus pani* 66.
cœnæ, quod lubens agnoſco, adeſt ipſi prorſus alio modo quam naturali, aut corpore, ſimpliciori glorificato, quo nunc gaudet, vel quali in cœlis inter electos verſatur. Exploſa itaque §. 15. præſentia corporis extenſi & diviſibilis, 67.

 quam

quam nemo nostratium docuit unquam, incomprehensibilem & supernaturalem eius §. 16. adstruit præsentiam, quæ excludit naturalem, adeoque omnes conceptus physicos de corpore & sanguine Christi. Nec Baumgartenii admittendam esse putat adsertionem nuper defensam: Corpus Christi naturale omnino adesse in S. cœna, sed non naturaliter; quod æque contradictorium sit, ac ignis non igneus, lapis non lapideus, lignum non ligneum. Quare melius omnino &
Pag. 73. convenientius asseram ego, inquit: *S. cœnæ adesse Christum, & supernaturalem Deum, & supernaturalem hominem, qualis nunc est, & mansurus est in æternum, in regno gloriæ.*

Reliqua quæ adduntur, omnia eo redeunt, ut operosa exaggeratione adstruat, Christum non naturali suo atque physico corpore, sed cœlesti & glorioso adesse, ita, ut de novo eidem intime uniamur, spemque vitæ æternæ adipiscamur. Neque ullo naturali vinculo opus est, inquit; *sufficit, illo tempore, quo utimur pane & vino benedicto, novo fœdere intimiusque uniri regressam, pœnitentem, atque ad meliorem frugem red-*
91. *euntem redemtori suo animam fidelem.* In his omnibus autem, cum nulla prorsus mentio fiat sanguinis, sed Christi saltem, corpore cœlesti præsentis in Eucharistia: tota auctoris huius sententia, ea esse videtur, quod Christus omnipræsens adsit quidem in S. Synaxi corpore suo glorioso, nec tamen corpus suum ipsum, nec sanguinem putredine absumtum, comedendum bibendumque nobis exhibeat, sed supernaturali saltem ratione mentibus uniatur communicantium, qui symbola illa & signa corporis sui & sanguinis, externa vera fide amplectuntur. Idque more reformatorum dicit præsentiam corporis & sanguinis Christi, de quo sic pronuntiat:
92. modum, quo Christus cum suo corpore & sanguine adest pani & vino, determinare nunquam annitar, vana enim & inanis hæc fuerit opera; *potius modorum myriades, quibus præsens sit per Dei sapientiam, esse possibiles concedo.* Publice porro profitetur: Corpus Christi in Eucharistia præsens saltem non adesse, quatenus sensibus est perceptibile, *nec tamen sensus nostros sufficere cognitioni essentiæ veræ & realitatis*

tatis corporum, quorum quasdam saltem dotes per observationes sensuum discimus, reliquas, quae ipsis non minus propria esse possunt, ignoramus omnes; prima rerum principia nos latent omnia, quibus ipse sibi, suisque praemissis, aperte satis repugnare videtur.

Ceterum, suae sententiae iudices sedere cupit Theologos summos, Moshemium, Baumgartenium, Burgium, nec eos tamen solos, sed medicos simul praestantissimos, Hallerum, Buchnerum, Hebenstreitium, Gunzium, Ludewigium, aliosque sagaciores, qui totam facile controversiam dirimere poterunt, dummodo πρωτον ψευδος fuerit destructum, Sociniana illa sententia, de necessaria sanguinis Christi putredine. Dolemus eruditi viri vices, non tam censuram merentis, quam misericordiam, quod induci se dubiis, mente ob morbum debili, passus fuerit, quibus solvendis, uti nec reliquis sacrae religionis mysteriis animo comprehendendis, ratio sola satis haud potest esse, sola fide, sacris paginis habenda, eiusmodi nodos extricatura. Neque tamen ultra rationis mensuram ponitur theorema: *Corporum elementarium, quale illud Salvatoris nostri, quotidie sese nobis communicantis, est, rationes sunt infinitae, parvis rebus, quales nos, & planeta noster terra, respectu immensorum mundi spatiorum, sumus, facile insinuandae.* Quis dubitat, ignis solaris effluxus, luminisque radios, & magneticorum fluminum vortices, unumquodque corpus analogon quotidie pervadere, atque illi, sine fomitis sui iactura, communicari. Quis dubitat, aetherem, quo longe subtilius quid Servatoris sanguis effusus est, putredini obnoxium haud esse, siquidem *se sanctum suum putrescere haud passurum*, divinus Pater Filio Redemtori promiserat. Pag. 92.

FLORIANI DALHAM, CLERICI REGULARIS E Scholis piis, & in Academia Sabaudico-Liechtensteiniana Philos. Profess. Institutiones physicae, in usum nobilissimorum suorum audit. adornatae, quibus ceu subsidium praemittuntur Institutiones Mathematicae. Tomus I. Instit.

 Ma-

Mathem. nempe Arithmeticam, Geometriam, & Trigonometriam complectens.

Viennæ Austriæ, typis Ioann. Thomæ Tratner, Univ. Typographi, 1752, 4.
Alph. 2, Tab. æn. 14.

Tomus II. Primam Physicæ Partem, de corporibus & Elementis, eorumque proprietatibus, complectens.

Viennæ Austriæ, 1753.
Alph. 2 plag. 7, Tab. 24.

Quanto fervore physices studium a Romano-catholicis in Germania tractetur, plura iam specimina producere nobis licuit; nullique alii loco cedit celeberrima universitas Viennensis, præcipue post literarum faciem ibi, cura *Augustissimæ Reginæ Imperatricis*, in melius mutatam. De quo cum liber etiam, quem sub manibus habemus, luculentum exhibeat testimonium, dicendum de illo existimamus, breviter quidem, ut de institutionibus elementa doctrinæ complexis, tantum tamen, quantum ad ordinem & contenta libri percipienda, intelligendumque aliquo modo exinde, literarum harum, in eo loco ubi cathedram ornat Cl. Autor, statum sufficiat.

Prolegomena, de historia, divisione, usu matheseos, sequitur Arithmetica, perspicue, rationibusque ad discentium captum accommodatis, explicata. Calculus literalis simul docetur, laudabili omnino instituto, quoniam ei adsueti felicius multo in omnibus progrediuntur; subiunguntur etiam problemata quædam faciliora algebraica, ab æquationibus simplicibus pendentia, bacillorum Neperianorum praxis illustratur, potentiarum denique & fractionum decimalium calculus docetur. Geometria, tum theoretice, tum practice explicatur, non omissis demonstrationibus talibus, quales tironibus conveniunt. Archimedea vero methodus, limites investi-

vestigandi, intra quos ratio peripheriæ circularis ad diametrum continetur, fusius explicatur, & bono quidem, si nostrum quid valet iudicium, consilio, quoniam sic discentibus eæ notiones instillantur, quas recentiores methodi, si recte quis eas intelligere velit, cognitas supponunt. De sectionibus conicis breviter agitur, & absque demonstrationibus; vocabula tamen ad eas pertinentia, & descriptiones curvarum, explicantur. Trigonometriæ traduntur, rectilinea primo, explicatis aliquibus, unde tabularum constructionem intelligere tirones quodammodo queant, illisque sic felicius uti; sphæricæ pars ea, quæ de rectangulis agit, saltem docetur, exhibitis proportionibus, quibus analyses absolvuntur; sed sine demonstrationibus, & usus, additis variis exemplis, illustratur. Quæ omnia ita comparata sunt, ut prosint tironibus, maiorem animi intentionem plerumque formidantibus, & praxin fere solam quærentibus, aliquos eorum allectura, ut his rite perceptis, ad solidiorem harum rerum altiorumque cognitionem adspirent, reliquis ita tamen inservitura, ut ingeniolum in his exerceant, & physicis intelligendis præparentur.

Physicæ igitur dissertationes duæ præmittuntur. Altera de natura physicæ generatim agit, regulasque illustres philosophandi Newtonianas, explicat & adoptat; altera, doctrinæ de rerum natura apud varias gentes statum, inde ab antiquissimis temporibus recenset. Hic, ab Hebræorum physiologia exorsus, *Moyses*, ait, *primus omnium gentium scriptor, primam Hebræorum de mundi exortu philosophandi rationem sacris in libris tradidit, ut præcipue ac velut unice Deum omnipotentem mundi opificem perduelli genti inculcet, primam vero elementorum seu materiæ habitudinem subtiliter exponere omnino insuper habeat, ac prætermittat —— unde factum est, ut de rebus physicis, prout in puros sensus incurrant, non vero iuxta exactas ad philosophiam leges, discurrat Moyses* —— Taxat igitur eos, qui *physicam* aliquam *Moysaicam* ex primis geneseos capitibus exsculpunt, aut argumenta exinde, variis adsertis, ad rerum naturam pertinentibus, suffulciendis extorquent. Aristotelis tria illa principia, ***materiam, formam,***

pri-

privationem, notiones abſtractas eſſe ait, & metaphyſicas, atque ab intellectu noſtro produci, ideoque eſſe poſteriores rebus ipſis, a quibus ſeparantur, ut a Deo opifice, in prima rerum productione, ea principia adhiberi non potuerint. *Leubnitii* (ita nomen ſcribit, toties legendum, ut errare in eo vix liceat,) *Syſtema monadologicum peringenioſum, ſed non ſatis pium ac religioſum appellat, quoniam quadruplicis illæ ordinis monades, eiusdem naturæ eſſe, & gradu ſaltem differre, dicantur:* quaſi impii eſſemus Chriſtiani omnes, qui divinum præceptorem ſequuti, *Deum animamque noſtram*, *Spiritus* pronuntiamus, adeoque eiusdem aliquo modo naturæ adſerimus; facile aliis verbis veram ſententiam explicaturi, ſi naturæ, aut graduum vocabula, quempiam offendant. Sed tota hæc de monadibus diſceptatio, ad eam doctrinam, quæ de corporum phænomenis agit, plane non pertinet, vellemusque, toties admonitos phyſicos, ſilere aliquando de ſententiis, ab Auctore ſuo a phyſiologia plane ſeiunctis.

Iam ad phyſicam ipſam progreſſus noſter, prima ſectione de corporibus in univerſum, atque de attributis corporum generalibus agit, ſecunda de particularibus. Ubique recentiores duces, eosque optimos, ſequitur. Aliqua ſaltem ſpeciminis loco delibare liceat. Minimorum corporum, & per conſequens etiam maiorum compoſitorum, intimam eſſentiam atque naturam, hodiedum nobis ignotam profitetur. Exiſtentiam corporum negari a Leibnitianis contendit, cum monades conſtituere non poſſint; ſed nihil hic profert, cui non iam diu reſponſum ſit. Vacuum exiſtere adfirmat, quia motus exſiſtat, horrorem vero vacui ridet; generalia mechanices principia, prout a Newtono docentur, recenſet; ad ſpeciales etiam motus conditiones progreditur, & virium quidem menſuram Carteſianam probat; de centralibus quoque viribus, de hydroſtatica & hydraulica, de colliſione corporum agit, primæ Sectioni finem imponens, tractatu de ſympathia & antipathia, magia quoque naturali, ad phyſicas cauſas revocatis.

Secun-

Secunda vero Sectione de igne, aere, aqua, terra, optica & perspectiva, coloribus, sono, saporibus, & valoribus, calore & frigore, duritie & fluiditate, denique de electricis agit, concinno ordine, & perspicue atque solide, ut tironibus convenit, larga ubique addita experimentorum farragine, tum curiosorum, tum talium, quæ in vita communi, artibusque variis, utiles esse physicas doctrinas ostendant; ut satis fecisse scopo suo egregie iudicandus sit Auctor, auditoribusque suis librum utilem exhibuisse.

VIES DES ANCIENS ORATEURS GRECS.

hoc est,

VITÆ ANTIQUORUM ORATORUM GRÆCORUM, cum observationibus quibusdam de eloquentia eorum, notitia scriptorum, ab iis confectorum, & versione orationum quarundam, quas composuere. ISOCRATES. Tom. I DIO CHRYSOSTOMUS, Tom. II.

Parisiis, apud Nyon, filium, & Robustel, 1752, 12 mai. Alph. 1 plag. 12.

Cum ab aliquo inde tempore, veterum scripta paucos invenire lectores, auctor, nobis incognitus, haud iniuria conqueratur, atque linguarum veterum studium non amplius, ut olim, in Francogallis honori duci; paucosque oppido esse, qui intelligant, quantis ita commodis ipsis carendum sit, idem indignetur: enitendum eruditis hominibus iudicat, ut, tamquam in illustri monumento, antiquorum merita proponantur, & ad intuendum, & ad imitandum. Quæ honesta causa ipsum etiam impulit, ut de vita eorum, scriptis, & gloria exponeret, si fortasse posset cuiquam lectorum suorum iniicere desiderium, integros illos perlegendi, quorum non, nisi particulam quandam, hic exhiberet. Constituit nempe apud animum suum, Vir eruditus, *oratorum veterum Græcorum,*

rum, non omnium quidem illorum, ſed celeberrimorum, vel ingenii excellentia, vel operum, quæ reliquerunt, multitudine, vitas perſequi, nulla temporis ratione habita; ſed ut animo ſe ingerant. Tamdiu autem ſe huic rei operam daturum pollicetur, quamdiu ſe lectoribus ſuis non ingratum facturum intelligat. Unum excipit Demoſthenem, a cuius vita ſibi propterea temperandum exiſtimat, quod *Tourellius, Maucroix, Olivetus*que, in ea enarranda, ſcriptisque illius pro merito laudandis, multi iam fuiſſent. Cuius conſilii, velut formam quamdam deſignationemque, hos primos duos operis tomos habemus. In *priori* de *Iſocrate* agit. De quo etſi veterum complures expoſuerunt, in quibus Plutarchus, Dionyſius Halic., Philoſtratus, Suidas, Photius, facile principes ſunt, ut eos taceamus, qui, velut aliud agendo, vitam eius attigerunt, ut Cicero, Lucianus, Harpocration, Tzetzes, aliique: tamen, plures magnorum eorum hominum errores vel deprehendere, vel emendare, ipſa Iſocratis ſcripta eum docuerunt, in quos errores, recentiores plerique, temere illos ſecuti, inciderunt. Deinde vero ipſam huius viri eloquentiam, ab obiectis clariſſimi cuiusdam ævi noſtri ſcriptoris defendit, qui *alter* Tomi prioris *locus* eſt. *Tum* ſcripta eius accurate percenſuit, ac tempus, quo quodque illorum conſcriptum eſt, quantum fieri potuit, definire ſtuduit; quod ab aliis omiſſum vulgo eſſe animadverterat. *Porro*, ut, qui tum Athenarum ſtatus fuerit, cum ſcriberet Iſocrates, aut quæ eſſent res, ab Athenienſibus præclare geſtæ, quas ſæpius ille laudarat, lucide appareret, *diſſertationem, de hiſtoria Attica*, confecit, quantum quidem eius ad intelligendum oratorem ſuum pertineret. *Tandem*, ut de eloquentia eius lectores exiſtimare poſſent, ex unoquoque genere, in quo elaboraverat, ſpecimen aliquod, tamquam ciendi guſtus cauſa, gallice exhibet; ut, ex orationibus *ad morum culturam hortantibus*, eam, quæ Nicocles dicitur; ex *civilibus*, πανηγυρικὸν; ex *elogiis*, εὐαγόραν; ex *iudicialibus* eam, quæ eſt pro Nicia; quarum orationum omnium elegantiam, etſi maxime ſtuduiſſet, tamen ſe, ut interpretem, conſequi potuiſſe, modeſte diffidit. Paucas huius clariſſimi

ſimi viri orationes ante ſe, in ſermonem Gallicum, e Græco converſas fuiſſe, conqueritur. Qua in re Italos prævertiſſe Gallos docet, quorum verſiones, cum a Fabricio noſtro prætermiſſas meminimus, non ingratum erit, eas hic repetere. Oratio ad Demonicum Italice prodiit per *Criſolfum* Venet. 1548. ea, quæ eſt ad Nicoclem, & Nicocles, per *Lucium Paulum de Padua* ibid. 1552. & omnes eius orationes per *Petrum Carrarium* ibid. 1555. in 8. *vid. La notice de Livres Italiens publiée par Haym.* Gallice, *Ludov. le Roy*, orationes ad Demonicum & Nicoclem, eamque, quæ eſt de pace, Pariſ. 1560; *Giry* elogium Helenæ octoginta annis poſt; *Ryerus* elogium Buſiris; *Regnier Desmarais* iterum eam, quæ ad Demonicum eſt, Pariſ. 1700. tandemque eandem, cum ea, quæ eſt ad Nicoclem, *Renatus Morellus de Breteuil* 1702. edidiſſe feruntur. Hæc ſunt fere, quæ lectores ſuos in præfatione, Tomo priori præmiſſa, monendos duxit. Reſtat, ut ex opere ipſo nunc afferamus, quæ videantur operæ pretium facere. Atque hic primo *vita Iſocratis*, ut diximus, ſe nobis Pag. 1-34.
offert, cuius enarrationem cum nemo hic a nobis magnopere expectet, ea repetiiſſe ſatis erit, quæ in illa, præter reliqua, videbuntur eſſe inſignia ad memoriam. Patrem eius, Theodorum, qui muſica inſtrumenta, quæ per ſervos ſuos perficienda curabat, vendidit, vitioſa quadam ῥήσει, quæ Plutarchum olim occupabat, pro ſacerdote quondam (ἀρχιέρεω, 1.
cum legendum eſſet ἐρεχθεῖ) habitum eſſe, tradit. Ad ſcholas rhetoricas habendas eum non inopia ſolum, quod patriæ poſſeſſiones bello Peloponeſiaco vaſtatæ erant, impuliſſe di- 9.
citur; ſed muneris etiam publici deſperatio: quia vocis exilitate, & timiditate, ab habendis concionibus deterrebatur. Cum ad oratoriam inſtitutionem admitteret neminem, niſi qui mille drachmas ſolveret, avaritiæ crimen ita depellit ab eo, ut cives ſuos gratis eum docuiſſe, auctore Plutarcho, do- 12.
ceat, omnemque illam narrationem de Demoſthene, ducentas tantum drachmas eidem offerenti, ad fabulas reiiciat. Ubi Plutarchus eundem in Chio, inſula, imperii formam 13.
mutaſſe, civitatemque ad rempublicam Athenienſem confor-

masse, tradit, id inde fieri putat, quod ille non satis veterum
quorundam dicta intellexisse videtur, qui, ut respublica
Atheniensis multos sæpe colonos alias in terras misisset, ita
quotannis Isocratem oratorum novas quasi colonias quaqua-
Pag. 18. vorsum deduxisse, tradant. De infensissimo Isocratis inimico,
Aristotele, ita iudicat, ut non Stagiritam, sed Siculum quendam
rhetorem, eiusdem nominis, intelligendum esse existimet.
Cuius suæ sententiæ rationes sequentes potissimum affert.
Auctore Diogene Laertio, Aristoteles in Macedoniam se
contulit, cum quadraginta tres annnos natus iam esset; neque
inde, nisi post annum octavum, Athenas rediit, atque
ibi scholas rhetoricas aperuit. Quo tempore cum mortuus
iam esset Isocrates, ipsi probabile non fit, philosophum illum,
invidia erga hunc commotum, rhetoricen docuisse.
26. Proditionis & coniurationis, cum Philippo, adversus patriam,
suspicionem ita diluit, ut, eum Philippi simulatione deceptum
esse, non obscure ferat; idque inde probet, quod, accepta
clade apud Chæroneam, inedia vitam finire decreverit, cum
iam ad annum nonagesimum nonum, prospera fortuna, pervenisset.
Sed hæc ex vita eius repetiisse sufficiant. Venimus
ad *alterum* prioris Tomi *locum*, qui *observationes in eloquen-*
35-62. *tiam eius* continet. Ubi contra veteres recentioresque, qui
eam carpserint, ita eius causam agit, ut primo ex ipsa temporum,
in quæ incidit illius ætas, ratione, quippe quibus
fastigium summum consecuta erat eloquentia; deinde ex
summorum hominum testimoniis, & æqualium illorum, ut
Platonis, Demosthenisque, & recentiorum, ut Dionysii
Halic., Ciceronis, Quintiliani, aliorum, eiusdem præstantiam
demonstret; neque tamen idcirco eadem ratione de ea,
qua de facundia Demosthenis, ob diversum utriusque χαρα-
48. κτῆρα, iudicari oportere moneat. Quærit tamen, utrius
opera sint seculi nostri genio maxime accommodata? Atque,
cum atroces invectivæ, actio vehemens, acris elocutio, ac figuræ
nimis audaces, mollibus Gallorum moribus repugnent,
ea vero in Demosthene maxime reperiantur; cum Isocratis
contra oratio, amnis instar, leniter placideque fluentis, sit:
hanc

hanc ævo noſtro Gallorumque moribus magis, quam illius, convenire pronuntiat. Ut igitur magna cum conſenſione laudarunt omnis ævi homines doctiſſimi: ita nec defuerunt, qui mirifice carperent. In quibus *Plutarchus*, *de gloria Athen.* & *Fenelonius in dialogis de eloqu. pag.* 17, 31, 154, maxime elucent. Hic, quæ crimini det, hæc ſunt: Declamatorem eum eſſe ait, cuius cura in concinnandis & vinciendis verbis conſiſtat, qui floridam quidem, ſed effeminatam orationem affectet, periodosque incredibili labore componat, ut delectet aures, neque ad culturam morum conferat eloquentiam, quod elogio eius in Helenam probat. Sed primo auctor contra monet, ex hoc male de Iſocratis eloquentia iudicari, cum ab eo ſtili tantum exercendi cauſa ſcriptum ſit; deinde *Giſberti* vindicias Iſocratis, cetera eidem obiecta, ſatis diluiſſe docet. (*dans les Iugemens des Savans ſur les Maitres de l'Eloquence II Part. pag.* 550.) Tandem, ne quod dubium ſit reliquum, lectores ad ipſius orationem de ἀντιδόσεως ablegat, aliosque orationum eius locos, in quibus Sophiſtis abuſum eloquentiæ exprobret. Interim non negat, exordia eius modo res communes continere, quæ aliis omnibus orationibus convenire etiam poſſint; modo alienas a re propoſita, ut in Panathenaico; quod inde factum putat, quia publice orationes numquam habuiſſet; neque diffitetur, nunc frigidum ipſum languidumque apparere, nunc ſingulare, neſcio quod, habere; nunc artem minus, quam deceat, celare. quod tamen non magis ei fraudi eſſe debere iudicat, quam nævos, quos quidam deprehendere ſibi viſi ſint, Homero vel Demoſtheni. *Quint.* XII, 10. Sequitur *tertius locus*, qui eſt de operibus Iſocratis, quæ quidem ad noſtram pervenerunt memoriam. Quorum primo argumentum perſequitur; tempus, quo quodque eorum ſcriptum ſit, inveſtigat, ac plures veterum errores, qui expoſuerunt de illis, notat. Singula hic repetere neceſſe non eſt: annos autem, quibus orationem quamque conſcripſerit, indicare, tanto minus lectoribus noſtris ingratum fore iudicamus, quanto magis vulgo eos præteriri, neque eruditos facile ad eam curam ſe demittere, novimus. Παραίνεσιν igitur ad

Pag. 54. 61. 63-125. 64.

Demonicum, filium Hipponici, soceri Alcibiadis, CCCCIV annos ante C. N. scripsisse dicitur: quia circa illud tempus Alcibiades mortuus, familia vero eius inimicorum iniuriis exponi cœpta esse videatur: tricesimo tertio circiter ipsius Isocratis anno. Eam, quæ est ad Nicoclem, Cypri regem, CCCLXXIV annos circiter ante C. N. confecisse putat, sexagesimo secundo ætatis suæ anno: quoniam circa idem tempus Nicocles ad regiam pervenit dignitatem. Quæ Nicocles vocatur, pro qua XX talenta dicitur accepisse, paulo post il-
Pag. 72. lam scripta perhibetur. Qua occasione simul contra *Muretum* var. lect. I. c. 1. & *Henr. Steph.* in diatr. in Isocr. ad calc. ed. 1593. disputat, qui alium auctorem istarum orationum esse voluerunt, eorumque argumenta docte refellit.
76. Sequitur πανηγυρικὸς, opus phidiacum, ac decem, vel, ut alii volunt, quindecim annorum studio vix confectum. Sed cum hanc orationem ante pacem Antalcidæ, quæ dicitur, hoc est ante annum ante C. N. CCCLXXXVII. non inchoasse videatur; ipse vero in oratione sua testetur, tum annum agi sextum belli Persarum contra Evagoram, quod, ut in laudatione funebri indicat, eidem Evagoræ dicta, decem annos duravit: tardius sane, quam anno trecentesimo nonagesimo altero ante C. N. illud coortum esse non potest. Sextus igitur eius annus erit CCCLXXXVI. ante C. N. Unde intelligi posse auctor iudicat, Isocratem vix anno ante, quam foras daret, de panegyrico elaborando cogitare potuisse. Quibus rationibus diligenter subductis, ea removet, quæ dici
79. contra possint, atque arcis Thebanæ expugnationem, bellumque Lacedæmoniorum contra Olynthum, in eundem annum incidere contendit, quanquam vulgo ad annum CCCLXXXIII. a. C. N. referatur. Interim, plusculos eidem limando poliendoque annos tributos esse non negat: quod omni tamen reprehensione carere, merito suo existimat. Unde simul apparere putat, eum tum annum egisse vitæ suæ circiter quinquagesimum, non LXXXIV. ut *Lucian.* de macrob. tradit, cum panathenaico panegyricum confundens.
84. *Oratio ad Philippum* ante C. N. anno CCCXLVII, nonagesimo ætatis eius, scripta perhibetur: *Archidamus* vero circiter

anno

anno CCCLXX ante C. N.; *Areopagiticus* in annum CCCLXVIII. confertur ante C. N. sexagesimum vero octavum ætatis ipsius. *Orationem de pace* intra CCCLVI & Pag. 89.
CCCLVIII ante C. N. confectam esse coniicit: *Evagoram* 93.
anno circiter CCCLXXIV ante C. N. adscribi debere iudicat:
Encomium Helenæ & *Busiris*, circiter sex annos ab interitu So- 94.
cratis, hoc est quadragesimo secundo Isocratis, conscriptum 95.
esse putatur: *Panathenaicum* anno LXXXIV. ab se scribi cœ- 101.
ptum, interiecto autem trium annorum spatio demum absolutum esse, ipse Isocrates, in exordio ac fine eius, commemorat. Orationem *adversus Sophistas* quando habuerit, mi- 107.
nus definit; eam, quæ est pro Platæensibus, circa annum CCCLXXI. conscriptam putat: quæ autem est περὶ τῆς ἀντι- 111.
δόσεως, anno vitæ ipsius octogesimo secundo; *de bigis equo-* 113.
rum non ante LX ætatis annum, hoc est CCCLXXXIX, ante C. N. confectam existimat: τραπεζιτικὸν vero circa fi- 116.
nem anni CCCL. ante C. N. De reliquis in genere monet, eas vel paulo ante, quam scholam rhetoricam aperuisset, vel paulo post esse elaboratas. De epistolis non est, quod plura dicamus. Liceat modo tabulam nobis hic exhibere, in qua, secundum annorum seriem, Isocratis scripta, uno velut obtutu conspicienda, oculis subiiciuntur.

	Anni ante C. N.	*anni ætatis Isocr.*
Contra Callimachum, Aegineticus, Contra Lochitam, Pro Nicia, Contra Sophistas,	paucis annis post bellum Peloponesiacum, quod anno ante C. N. CCCCIV. finitum est, adeoque prima Isocratis ætate, ac fortasse decem annorum intervallo, quod inter orationem ad Demonicum & elogium Helenæ effluxit, scriptæ videntur:	
ad Demonicum circiter	CCCCIII.	XXXIII.
Elogium Helenæ / — — Busiris circiter	CCCXCIII.	XLIII.
Panegyricus circiter	CCCLXXXVI.	L.
Pro filio Alcibiadis circiter	CCCLXXXIII.	LIII.
Evagoras circiter	CCCLXXIV.	LXII.

Anni

	Anni ante C. N.		*anni ætatis Isocr.*
ad Nicoclem circiter	CCCLXXIII.		LXIV.
Nicocles circiter	CCCLXXII.		LXIV.
Epiſtola ad Dionyſ. patrem circ.	CCCLXXI.		LXV.
Pro Platæenſibus,	eodem	circiter	anno.
Archidamus circiter	CCCLXX.		LXVI.
Areopagiticus circiter	CCCLXVIII.		LXVIII.
Epiſtola ad Iaſonis liberos, circ.	CCCLXVII.		LXIX.
de pace circiter	CCCLVII.		LXXIX.
Epiſtol. ad Timotheum, intra	CCCLVII – CCCXXXVII.		
περὶ ἀντιδόσεως,	CCCLV.		LXXXII.
τραπεζιτικός,	CCCL.		LXXXVI.
ad Philippum,	CCCXLVI.		XC.
tres ad Philippum epiſtolæ,	circa	idem	tempus.
Epiſt. ad Alexandrum,	CCCXLV.		XCI.
Panathenaicus abſolutus	CCCXXXIX.		XCVII.
Epiſtola ad magiſtratum Mytil.	eodem		tempore.
Quarta ad Philipp. epiſtola	CCCXXXVIII.		XCVIII.

Pag. 126 - 196. *Quartus locus* eſt de rebus Athenienſium geſtis, quantum quidem earum ad intelligendum Iſocratem pertinet. Sed de iis fuſe hic exponere neceſſe non eſt, cum nihil, ut in re, tot hominum eruditorum ſtudio illuſtrata maximo, invenerimus, quod, lectores noſtros monere, operæ pretium eſſet.

196 - 367. Iam deinceps ipſæ Iſocratis orationes in Gallicum ſermonem e Græco verſæ ſequuntur, ita quidem, ut facile appareat, proficiſci hanc interpretationem a viro, qui utriusque linguæ facultatem, Græcæ pariter ac Latinæ, habeat. Hæc de *priori Tomo* monuiſſe ſufficiant, in quo recenſendo ſi paulo copioſiores videamur fuiſſe, lectores noſtros id rerum iucunditati facile donaturos, non tam ſperamus, quam confidimus.

Reſtat, ut de *altero Tomo*, in quo exponitur de vita *Dionis Chryſoſtomi*, paucis videamus, de cuius neglectu, viri clariſſimi, *Dufaurius*, *Grotius*, *Bæclerus*, ſuperiori iam ſeculo, quo fervere adhuc litterarum Græcarum amor videbatur, graviter conque-

questi sunt. Codices manuscripti huius scriptoris tam rari sunt, ut in Galliæ bibliothecis, extra regiam, nullus extet; Romæ, in vaticana, quatuor tantum orationes περὶ Βασιλείας: in regia gallica plures quidem, sed non admodum vetusti. In Medicea vero Florentina, præter alia, codex Sec. XIII. scriptus, & octoginta orationes complexus, adiunctis aliquot ineditis scriptis, de vita eius & operibus, servatur; quam prima quoque Dionis editio, seu illius potius particulæ cuiusdam, exornat, nempe *orationis de Homero*, quæ in membrana Florentiæ 1498. machinis exscripta est, atque latuisse Fabricium videtur. *Gregorius Tifernas* primus fuisse creditur, qui quatuor Dionis orationes, *de regno*, in latinum sermonem e Græco verteret, iussu Nicolai V. P. M. sed latent illæ adhuc ineditæ in bibliothecæ vaticanæ pluteis. Præfationem huius latinæ interpretationis, secum a Quirino, Cardinale amplissimo, communicatam, auctor exhibet in fine operis. Hæc ex præfatione repetere placuit; quæ alia insuper continet, scitu non iniucunda. Operis ipsius conformatio hæc est. *Primo* vita Dionis, ex ipsius illustrata scriptis; *deinde* observationes de eloquentia eius & philosophia, gustuque in variis eruditionis generibus, comparent; *tum* scripta simul illius percensentur, a quibus seiungendas ait epistolas, quæ in bibliothecæ regiæ tabulis tribuantur *Dioni, Sophistæ Antiocheno*, ac scriptæ tantum ibidem serventur. Tandem specimina quædam operum eius, ex Græca lingua in Gallicam versa, exhibet; & quidem e *philologico* genere, orationem de Ilio non capto; e *philosophico*, orationes de vita rustica & inopiæ fontibus; e *civili* denique, primam de regno. *Vitam eius* a nullo peculiari opera expositam, multisque adhuc tenebris involutam esse, non immerito Editor conqueritur. Pag. 1-46.
Natalem eius diem, coniectura non improbabili nixus, in annum XXX. P. C. N. confert. Avus eius, multis magnisque meritis erga Prusiensem civitatem conspicuus, mausoleis ludisque funebribus, a civibus non ingratis, post mortem cultus, Pasicratem, Dionis patrem, filium vel ge-

nerum potius, ut auctori videtur, reliquit, qui summis quidem magistratibus in patria sua functus, sed parum diligens peterfamilias fuisse dicitur. Eloquentia aetatis suae minus contentus, ad Demosthenis ac Platonis imitationem se dedit, philosophiae gnaviter incubuit, magisque etiam peregrinationibus, in Aegyptum aliasque terras institutis, animum excoluit, sibi autem, habitis orationibus, ingentem famam conciliavit. Redux in patriam factus, ita in civium pervenit invidiam, propter divitiarum suspicionem, ut parum abesset, quin cum omni domo concremaretur. Quo periculo depulso, ad populum orationem 46. (p. 519.) habuit. Tum, incertum quo casu, primis Domitiani imperatoris annis, Romam delatus, in odium huius incurrit, ac primo, exilium sponte eligens, inde Delphos, oraculum consulturus, profectus est, & deinde, admonitu eius, nomine habituque dissimulato, usque ad annum P. C. N. 94, vitam vagam miseramque exul egit, unico Platonis dialogo, unaque Demosthenis oratione, comitatus. In Getis tamen, quorum etiam res gestas litteris consignavit, plurimum temporis vixit. Interfecto Domitiano, cum fremere militem sentiret, Nervae, amico veteri, officium praestiturus, orationem ad praesidiarios habuit, eosque ad obse-
Pag. 26. quium eius traduxit. Immo auctor propius abesse putat a verisimilitudine, Dionem, Domitianae caedis conscium, & ab ipso Nerva ad illud officium subornatum fuisse: partim, quia huius electio non ab impetu quodam multitudinis, sed a certa ratione profecta, deliberatoque consilio suscepta, videatur; partim, quod Dio, cum reliquis philosophis exulibus, atque in his cum Nigrino maxime, litterarum habuisset perpetuum commercium, quos conspirationis illius fuisse conscios, unius Apollonii Thyanei exemplo satis apparere iudicat. Sed probabilem tantum haec omnia coniecturam facere, ipse probe intelligit. Redux Romam factus, gravi morbo est implicitus, quo usque ad excessum Nervae laboravit. Cives vero, cum eius videndi flagrarent desiderio, ipse, venia ab imperatore, non Nerva, ut Fabricius contendit, sed Traiano,
im-

impetrata, Prusiam repetiit, exornandæque huius patriæ suæ consilia iniit, qua ipse tamen re in multorum pervenit invidiam, qui eum apud Imperatorem etiam deferrent. *Plin.* X. epist. 86. Neque enim alium esse Dionem, de quo Plinius agat, quam Chrysostomum illum, contra Tillemontium, idoneis evincit rationibus. Neque tamen hæc civium quorundam improbitate deterritus, patriæ ab Imperatore ius impetrabat, senatum centum virorum legendi. Cum vero neque hoc merito posset invidorum effugere aculeos ac reprehensiones, Romam remigravit, eodemque res suas transportavit, ubi mirifice floruit Traiani gratia, & vel extremo huius imperio, vel primis Adriani annis, decessit. Χαρακτὴρ eius, vt Græci loquuntur, eleganter admodum ab auctore describitur. Statua quædam Corinthi posita ei fuit, orat. 38. Hæc de vita eius, cuius non admodum multa est apud scriptores memoria, dixisse sufficiat: de *contemplatione eloquentiæ illius, philosophiæ, gustusque in vario eruditionis genere*, nunc videamus. Iuvenem eum Sophistarum de gente fuisse, non negat: adultiorem vero, cum bona mente in gratiam rediisse, Synesio auctore, confirmat. Idcirco iuvenilium operum iacturam vehementer dolendam esse negat: cum maturioris iudicii fructus ad nostram pervenerint ætatem. Demosthenis ac Platonis admirator summus fuit; in hoc tamen raro sublimitatem; in illo vehementiam imitatus dicitur. Hyperidem exprimere potissimum studuit; qua re id consecutus est, ut, quicquid Longinus de illo dicit, (Sect. 28) in hunc nostrum pulcre conveniat. Philosophum se esse, moribus magis, quam sermone, vel externo corporis habitu, demonstrabat. In nullius sectæ verba iurans, ex eorum genere fuit, qui, quicquid ubique sibi videbatur verissimum esse, illud amplecterentur maxime. Neque tamen Potamoni, sub Augusto claro, condendæ philosophiæ eclecticæ exemplum perhibere, per temporum rationem, potuit, ut Casaubono *diatr. in Dion. pag. 6.* suspicari venit in mentem. Scribendæ historiæ non imperitum eum fuisse, satis ex historia Getarum, quam confecerat, apparet. Poetas

[Margin: Pag. 38. — 44 seq. — 47-71. — 52. — 56. — 57. — 60.]

etiam amabat, atque in his Hesiodum, Theognidem, & Ho-
Pag. 61. merum maxime. In reliquis literarum generibus quo fuerit
gustu, ex eo poterit libello intelligi, quo rationem studiorum
62. amico cuidam, ætate iam provectiori, præscribit. Cui ex
poetis Menandrum, Euripidem, & Homerum legendos; ex
oratoribus Lycurgum, Aeschinem, & Hyperidem imitandos;
ex historicis Thucydidem inprimis exprimendum, non ne-
glecto tamen Herodoto, Theopompo, & Ephoro; ex reliquiis
scriptoribus Xenophontem, vasto ingenio suo complexum
omnia, totum imbibendum, rationibus idoneis, ab amici
72. conditione sumtis, commendat. De ipsis Dionis Chrysosto-
mi operibus ita exponit Auctor, ut primo persequatur ea, quæ
temporis iniuria interciderunt; deinde illa, varias in classes
distributa, quæ nostram ad memoriam pervenerunt. Ex
74. numero scriptorum Dionis eximendos putat VIII libros *de
Alexandri virtutibus*; pro *Homero adversus Platonem* Lib. IV.
Herculis & *Platonis encomium*; & *an mundus interire possit?*
Etsi enim Suidas hæc scripta Dioni tribuit: tamen, cum *primo*
solus ille sit, qui ea ad oratorem nostrum referenda putet;
deinde Suidas ne omnia quidem Dionis opera noverit, quip-
pe qui LXXX illa scripta, quorum sine controversia auctor
& est & esse putatur, ignoraverit; *porro* aliis etiam in re-
bus diligentiæ non optimæ specimina dederit: dubium non
78. esse indicat, quin alterius ea sint Dionis. Quod vero Casau-
bonus Suidam, *Getica* Dioni Cassio adscribentem, errore
liberat, ac Dionem nostrum, præter Βορυσθενιτικὸν λόγον,
nihil de rebus Getarum scripsisse iudicat, id iniuste eum fa-
cere putat, propterea, quod argumentum huius orationis, si
cum iis rebus conferatur, quas ex *Geticis* Philostratus affert,
plane diversum est. Accedit, quod Iornandes, qui *Geti-
cam* Dionis *historiam* legit, (vid. *cap. ei. 3. 4.*) eam ab ori-
gine gentis procedere testatur, atque ipse huius antiquissimas
res gestas ex eo maxime desumit. Utrum *laudaverit Esse-
83. nos?* dubitat, ac Synesium ad eam orationem, quæ est *de fe-
licitate*, respexisse putat, neque Dionis orationem 31, ut

Fabricius indicavit, illud probare exiſtimat. Poſt hæc *ſcri-* Pag. 86.
pta perceuſet, quæ *ad noſtram pervenerunt* ætatem. Indi-
gnatur primo, confuſe illa vulgo edi, cum deſcribi commo-
de in ea poſſent, quæ ad *philologiam, philoſophiam, & pruden-*
tiam civilem pertineant. De ſingulis pluribus diſputat, quæ
repetere hic neceſſe non eſt. Subiungit vero *obſervationes* 162.
in orationem de Ilio non capto, atque expoſitis, quæ ad ornan-
dam illam ſententiam dici poterant, tandem, quod conſtans
fama ſit, Troiam eſſe a Græcis captam, neque illa, niſi in rebus
quibusdam, quæ circumſtent, diſcrepet; quod Aegyptii quoque
ac Perſæ ita memoriæ prodiderint; atque Homerus ipſe 400
tantum annos poſt excidium Troiæ vixerit; præterea vero
tantæ civitatis everſionem ſcire probe potuerit, neque licentia 177.
nimia in fingendo utatur; ratio etiam, annos ab excidio Tro-
iæ computandi, accedat: Dionis orationem, merum ingenii lu- 377.
ſum videri, pronuntiat. Quibus eleganter diſputatis, tanquam gu-
ſtus cauſa, orationes, ſupra commemoratas, e Græco in Gallicum
verſas ſermonem, exhibet, de quibus non minus præclare,
quam ſupra, de Iſocratis, ſentimus. Ad extremum, ſupple-
menta quædam, ad vitam Dionis, & notitiam operum eius per-
tinentia, laudat, quæ *Lamius*, V. C. e bibliotheca Medicea, 374.
(in cuius pluteo LIX codex XXII bombycinus extat) ſecum
communicavit. Codex, Dionis ſcripta LXXX. complexus,
fuit quondam Franc. Philelphi, poſtea Petri Laur. de Medices,
& ad Sec. XIII. pertinet. *Primum* eſt Ἀρέθα ἀρχιεπισκό- 375.
που, & brevi conſtat Dionis encomio, ideo, ut videtur, 378.
conſcripto, uti operibus eius præmitteretur. Orationes *de*
Regno, in gratiam Veſpaſiani, ſed falſo, confectæ putantur. 381.
Alterum eſt *vita Dionis*, Pruſæenſis, ex Photio ad verbum
deſumta. *Tertium* ſubiicitur integrum, cuius index eſt:
Περὶ Δίωνος καὶ τῶν κατ' αὐτὸν λόγος. In quo de
nomine eius *Chryſoſtomi* traditur, illud ipſi non κατὰ τὸν
λόγον, ſed διὰ σύμπτωμα, ἐπὶ τὸ εὐσχημονέστερον με-
ταποιούμενον, tributum eſſe; nempe τῇ ἀπὸ τοῦ στόμα-
τος ἀποφορᾷ οὐ πάνυ εὐτυχεῖ. Quod ipſius Dionis ver-

ſibus aliquot, admodum lepidis, fit teſtatum. * Nempe, cum *ζόσομος* dicendus eſſet, vocatus eſt *εὐφήμως, χρυσόσομος*. Agmen claudit *Gregorii Tifernatis* ad Nicolaum V. P. M. præfatio, interpretationi latinæ, ab ſe confectæ, præmiſſa. Male de ſapore civium auctoris noſtri iudicandum foret, niſi quovis modo eum ad operis tam præclari continuationem excitarent, quam vehementer nos quidem optamus.

Pag. 386.

DE GLADIIS VETERUM, INPRIMIS DANOrum, ſchediaſma, Autore TYCHONE ROTHE.

Havniæ, impenſis viduæ Rothen, 1752, 8.
Plag. 7.

Vitis excellentium aliquot virorum, ab ſe conſcriptis, auctor iam innotuit eruditis hominibus. Nunc de gladiis veterum exponendum putat, propterea, quod, ſi a *Salano*, Sueco, qui de *gladio Scythico* commentatus eſt, cuius tamen diſſertationis ſe habuiſſe copiam negat, diſceſſeris, nemo admodum reperitur, cuius, in tractando hoc argumento, eluxerit ingenium.

* *Eos, quia & pauci ſunt, nec adhuc editi, ſubiicere hic liceat integros:*

Δίων ἀνέπνει, φασὶν, οὐ μάλα ἡδύτι.
Τοῦτον λέγω Δίωνα, οὗ πολὺς λόγος.
Καὶ τοῦτ᾽ ἐκερτόμησε τῶν τις ἀσικῶν,
Τὸνδ᾽, ὡς ἰδεῖν γυναῖκα τὴν αὐτοῦ, φράσαι,
Τί τοῦτο; σὺ γὰρ ἔφρασάς μοι τὴν νόσον.
Καὶ τὴν σὺν ὅρκῳ, τοῦτο πάντων ἀῤῥενῶν,
Εἰπεῖν, τὸ σύμπτωμα ᾠόμην, οὐ σοῦ μόνον
Τοσούτων ἀνδρῶν καὶ φιλῶν ἀπόσατιν.
Ὁ γὰρ λόγος δίδαγμα τοῦ σεμνοῦ τρόπου.

nium. Ne quis vero, indice adductus in errorem, credat, de omnium populorum antiquorum gladiis hic exponi, in præfatione ipse monet, de gladiis Romanorum aliorumque ferme nihil hic inveniri; id enim negotii tantum sibi datum existimasse, ut de gentium, septentrionem versus remotarum, gladiis hic ageret. Hæc sunt, quæ lectores in præfatione monendos duxit. Libellus ipse, præter prooemium, *octo* complectitur *capita*. In prooemio, maiorum suorum vitam perpetuum fuisse bellum, idoneis auctoribus confirmat, in eaque re causas incredibilis virtutis, qua illi se iactabant, inveniri putat. Hinc factum esse iudicat, ut fortissimus quisque, tam in aulis regum, quam in convictu familiari, haberetur princeps; nihilque veteres, vel publicæ, vel privatæ rei, nisi armati, agerent. Usos autem eos esse clavis, gladio, vel securi, galea ferrea, clypeo, thorace ferrea, aut lorica, & arcu, cum triginta sagittis, dicit. De gladio igitur, tanquam præcipuo armorum genere, agere constituit. Ac *primo* quidem *capite* de *nominibus gladiorum* exponit, quæ sunt: *Sucrd*, quod ab Ebraico שֶׁרֶח ducitur; *Gcir*, quod ensem, sensim in mucronem desinentem, ut gladius erat Odini, significare putat, interdum hastam etiam; ab eodemque nomine *Germanos*, quippe quod ipsi a Danis Suecisque ducerent originem, si dis placet, dici existimat; quasi essent viri, gestantes gladium, seu bellicosi: ab eodem fonte Italorum Gallorumque *guerre*, hoc est, bellum, manasse credit. Adeo facile amor patriæ, cuius est incredibilis dulcedo, persuadere aliquid hominibus potest! Porro *Makir*, a Græco *μάχαιρα*, (non *μάκαιρα*), item *Hiör*, & *Ragn*, dici gladios observat. Alia eorum nomina, quæ speciem tantum aliquam designent, esse ait: *Sax*, a *sage*, i. e. secare, gladium significans longum & latum, a quo *Saxones* nomen duxisse quidam putant; & *Scalmer*. Celebres vero inprimis fuisse gladios *Vermundi*, cuius ensis *Screp* dictus est; *Rolvonis*; *Krage*, qui vocabatur *Scofnung*; *Olonis* cuiusdam, nominatus *Logbti*; *Haldani* duos, quorum alter *Liufingi*, alter *Hvittingi* appellabatur; *Fofneri*, vocatum *Hrotte*; *Regini*, quem *Refell* nominabant, aliosque plu-

Pag. 1-7. 7-22. 11. 12.

Pag. 22 - 30. plures, quos repetere hic nihil attinet. *Cap. II* de *materia gladiorum* exponit, gladiosque e *lapide*, *aere*, & *ferro* factos esse apud maiores suos, docet. Interdum tamen gladiorum materiam ei similem fuisse perhibet, ex qua hodie fiunt campanae; neque minus inauratos se gladios reperisse testatur.
30 - 40. *Cap. III formam gladiorum* persequitur, aliosque latiores, alios longiores, alios breviores, alios ancipites, alios una tantum acie praeditos fuisse, bonis auctoribus probat, qualesque
41 - 51. singulae eorum partes fuerint, copiose tradit. *Caput IV* de *vagina, cingulo, ut & more gestandi gladios*, agit. Ex humeris veteres suspendisse gladios, & loro quidem coriaceo, per annulum transmisso, vel baltheo, monstrat; ad dextrum latus, an sinistrum? nihil definit, quamquam illud indicet vero
51 - 65. similius. Sequitur *Cap. V*, quo de *praerogativis & excellentia quorundam gladiorum prae aliis* agit. Alios enim insigni duritie, ut regis *Vermundi Screp, Haquini, Tirfingus Suafurlamii, Regini*, aliorumque multorum gladii fuisse; alios semper, sanguine humano immisso, vagina debuisse nudari; alios, e vagina ductos, sicut ignem flammamque fulsisse; alios, a nannis maxime fabrefactos, ab omni incantatione liberos fuis-
63. se; & quae alia, maxime ad examen eorum, & lydium quasi lapidem, ad quem revocabantur, pertinentia, tradit. *Capite VI* de *magia circa gladios versante*, seu incantationibus potius gladiorum, exponit. Aliorum enim acies hebetabantur; in-
73 - 93. terdum corpora adversus ictus indurabantur; nonnunquam loricae, galeae, & alia arma, vim propellentia, eam duritiem artibus magicis acquirebant, ut ferro penetrari non possent. Singula uberius exponit, exemplisque illustrat. *Septimo Capite, quanti gladios aestimaverint veteres*, docet, quippe quos
78 - 93. divino afficerent honore, perinde ut Scythae, eosque nec vigilantes, nec dormientes, nec viventes, nec morientes, a se dimitterent, regibusque, quibus honorem vellent habere maximum, offerrent. *Ultimo Capite de vario gladiorum usu* agit, quippe quos in pugnis publicis, singularibusque certaminibus, in tribuendis beneficiis, quae *feuda* vulgo appellant, in adigendis in principum verba civibus, regibus creandis, victimis

mis humanis mactandis, aliisque rebus, adhibuisse monstrat. Gladios etiam, loco dotis, afferebant sponsæ; iisdem aera ter ferientes, victoriam sibi conciliabant; ad capita mortuorum eos ponebant; interdum sub humeris demortui collocabant, & si qua sunt alia, his consimilia. Utrum vero arma & gladii, qui in collibus inveniuntur, vera fuerint viventium arma, an simulacra tantum eorum, quibus usi sint vivi? non satis inter eruditos convenire docet. Qui posterius amplectuntur, primo ideo se ita sentire aiunt, quod fusa sint arma, non cusa; deinde minora esse hæc arma contendunt, quam ut efficere iis aliquid tanti homines potuerint. Contra utramque, scite nonnulla monet auctor, qui, ut antiquitatis patriæ satis gnarus esse videtur, ita haud dubie magis delectaret lectores suos, si linguæ, qua utitur, facultatem haberet, neque orationem adhibuisset, seculo, quo heroes, de quorum gladiis exponit, vivebant, apprime dignam. Pag. 90.

PROGRES DES ALLEMANDS DANS LES Sciences, &c.

hoc est,

PROGRESSUS GERMANORUM IN DISCIPLINIS, literis elegantioribus, & ingenuis artibus, præcipue in poesi & eloquentia.

Amstelodami, apud Franciscum Changuionem, 1750, 12. plag. 17.

Ex quo *Io. Antonius Campanus*, Pauli III. P. M. ad Fridericum III. Imperatorem Legatus, cœpit, non terræ tantum nostræ detrahere, qua *nihil fœtidius* indicabat, *ita adspectu omnia iniucunda, tactu refuga, olfactu gravia, ipsi videbantur*, Lib. VI. ep. 46. 54. etc. sed etiam ingeniis nostrorum hominum ipsis, quorum tamen proventum ea iam ætas satis amplum tulerat, sic, ut vel ipsi principes Italorum, nostros *Purbachios*, nostros *Mulleros*, *Regiomontanos*, alios, præmiis magnis propositis arcesserent, modis omnibus obtrectare: nun-

quam defuerunt inter exteros, Gallos potissimum, qui nomini Germanico facerent convicium, nationemque nobilissimam ad barbaras gentes referrent. Habuit superior ætas suos *Doletos*, ac patrum memoria suos *Bouhoursios* & *Peraltios*, non acerbos magis, quam iniquos ingenii Germanici hostes. Quos, etsi res ipsa satis refellit, atque luculenta exterorum, & doctiorum & æquiorum, testimonia, pro ingenii Germanici elegantia præstantiaque dicta, mendacii invidiæque arguunt, tot denique opera immortalia, primum a nostris hominibus excogitata, pæne obruunt: tamen, cum vel ignavia, vel linguæ nostræ ignoratione, vel aliis caussis, hodieque passim abripi homines peregrinos, ad obtrectationem gentis, quæ liberaliter ipsos amplectatur prolixeque foveat, videamus; bene de patria mereri putandi sunt, qui eius se patronos profitentur. In quibus, etsi satis multis illis, veteribus recentioribusque, tamen iure suo eminere existimandus est *Bielefeldius*, eques Brandenburgicus, academiarumque illius terræ curator, eius, de quo agimus, libri auctor. Qui enim cum ea lingua caussam patriæ agat, quam obtrectatores eius facile intelligant, tanto facilius opinionem inveteratam animis eorum eripere poterit. Apparet libellus Academiæ Berolinensis nomine, descriptus in XIII Capita, quorum unum quodque varios locos habet. Non ingratum nos lectoribus nostris facturos speramus, argumenta singulorum attingentes. Pag. 7-28. *Cap. I* habet observationes quasdam, universe ad rei propositæ rationem necessitatemque spectantes. Aequum nempe existimat, cum Academia Berolinensis quasi in media Germania condita, ac *Fridericus*, Borussorum Rex, Princeps sit Germanicus: ostendere, quid contulerint Germani ad proferendos rei publicæ literariæ fines, eosque a criminibus defendere, quibus eos & alii, & nuper admodum *du Bos, in epistola ad gratias*, & alias, accusarunt. Plurimos Germanorum libros ideo in *Francogallorum* notitiam minus pervenire ait, quia ipsi sermonem nostrum minus intelligant, versionesque bonæ librorum in eorum linguam perquam adhuc raræ sint. Immo carmina ne ita quidem transferri posse, ut nihil leporis nativi amittant, atque hoc vel ex versione Odæ III. Horatii,

ratii, a *Dacierio*, *Sanadono*, & *Tarterono* facta, sic satis apparere docet. De sermone Germanorum ita iudicat, ut eum consuetudine, libros latine scribendi, deinde tumore quodam, ab Italis sumto, cuius maxime dicuntur fabulæ Milesiæ, ut *Hercules*, *Arminius*, *Octavia*, *Banisa*, aliæ, plenæ esse, tum maculoso illo orationis genere, quo, quicquid peregrinorum vocabulorum erat, eo ille contaminabatur, impeditum putet, quo minus citius effloresceret; præsertim cum iam nihil accuratius in eo genere reperiri posset, Germanica Lutheri sacrorum librorum versione. Interim eum suo nitori primum restituisse *Gottschedium*, nostrum, aut certe operam ei rei dedisse, perhibet, aliisque viam ostendisse, qua nunc *societates Germanicæ*, quas vocant, *Lipsiensis*, *Jenensis*, *Gryphiswaldensis*, *Regiomontana*, aliæque plures, incedant. Quas duo maxime rogat, primo ne proscribant vocabula, multorum usu seculorum auctoritatem nacta, aliis in eorum locum substitutis; deinde ut, conjunctis studiis, grammaticam atque *dictionarium* aliquod conficiant, quod velut norma quædam sermonis sit, omnium Germaniæ populorum communis. Atque hac in re multos sibi Auctor habet consentientes. Etsi enim tulit ætas nostra varios eruditos, qui Grammaticam institutionem germanice conscriberent: tamen, cum ea sint privatorum opera, quamvis eximia, sperandum vix erit, ut lites, de ὀρθογραφία potissimum, hoc modo componi possint, cum quisque suo velit abundare sensu. Ad crimen illud quod attinet, quo Germanis *pedantismi* dicam scribunt, & orationis generis, in quo *nihil* sit *sani coloris*: primo, mirandum non esse recte censet, si, cum apud exteros homines summi loci, ac purpurati adeo, scribant, inter Germanos autem ea cura hominibus fere demandetur, qui ad erudiendam iuuentutem se contulerint, horum scripta non eam facilitatem habeant ac nativum leporem, qui seculo nostro tam vehementer arridet: deinde, nimis fere liberales esse homines, in tribuendo *pedanei scriptoris* nomine, monet, quippe quod iis sæpe imponatur, qui, cum diligenter accurateque rem tractent, orationis cultui non admodum studeant, absque quibus hominibus si esset, plures etiam forent,

ſuperficiaria ventoſaque ſcientia ſua ſe iactantes. *Corrupti* autem *guſtus* crimen, quod exprobratur Germanis, ita diluit, ut primo doceat, de *guſtu* diſputandum non eſſe, quod, quid ille ſit, pauci intelligant; deinde, ſi *ea dos mentis, facultate iudicandi nata*, eſſe dicatur, *qua, uſu confirmata, quid in quaque re elegans, reliquisque eius partibus ſit conſentiens, homo ſentiat*, eum non minus iis convenire iudicet, qui ad philoſophicas ſubtilitates ſe conferant, quam iis, qui verbo-
Pag. 29-58. rum aucupentur lenocinia. Quam ſententiam idoneis rationibus confirmat. *Cap. II* quatuor habet locos; quorum *primus* eſt *de ſcriptoribus Germanicis in diſciplinis ſuperioribus, alter de hiſtoricis, tertius de criticis, quartus de iis, quorum induſtria in artibus liberalibus fuit conſpicua.* Per ſuperiores diſciplinas intelligit theologiam, iurisprudentiam, medicinam, & philoſophiam, quarum excolendarum cauſa triginta ſunt per Germaniam univerſitates litterariæ, & innumeræ ſcholæ ac gymnaſia aperta. Quæ vero quod iacuerunt ſeculis barbaris, ideo factum putat, quod dominatio epiſcopi Romani, & ſervitus, in multis Germaniæ regionibus uſitata, bella denique, privatorumque latrocinia, earum flori officerent. Renaſcentibus autem per Europam reliquam diſciplinis, nec Germania earum expers manſit, cogitandi potiſſimum libertate a Luthero reſtituta. Quam vero non pœnitendos ceperit induſtriæ ſuæ ſtudiorumque fructus, ex eorum, putat, multitudine optime intelligi, quorum magna fuiſſet, & adhuc eſſet, inter doctos exiſtimatio. Quos cum conſequi omnes nequeat, aliquos, iudicat, laudaſſe ſatis eſſe, eosque veterum optimo cuique comparandos. In philoſophia igitur, monet, *Leibnitium, Thomaſium, Puſendorfium, Wolfium*, præcipua laude ferri; in theologia magnum eſſe nomen, ſi quis vere & ſine præiudicatis opinionibus ſententiam velit dicere, *Lutheri, Arnoldi, Speneri, Mosbemii, Reinbeckii*, apud Lutheranos; *Eckii, Tanneri, Papeprochii, Brolweri*, apud Romano-catholicos; *Calvini, Cocceii, Lampii, Mellii, Sackii*, apud Reformatos. Quod ita dictum ab auctore accipimus, ut non minoris eos faciendos putet, quos præterierit, ut e noſtris, *Chemni-*

Chemnitium, Calovium, Carpzovium, Olearium, Buddeum, Lœſcherum, Baumgartenium, Walchium, aliosque innumeros. In iurisprudentia civili eluxiſſe dicuntur *Carpzovii, Coccei, Stryckii, Heineccii, Bœhmeri*; in iure publico excelluiſſe *Gundlingii, Maſcovii, Pfeffingeri, Ludwigii, Schmauſii*. Hic denuo eſſe omiſſos, non ſecundos iis, quos laudavit, quis dubitet? In artis ſalutaris ſtudio magna extiterunt, ipſo indice, merita *Stablii, Hofmanni, Halleri, Iunckeri*, & *Bœrhavii*, omnium fere regionum civis. Sed hic etiam commemorandi erant his pares, neque ulli poſtponendos, ſi tuliſſet ratio, quam inierat auctor. In hiſtoria, veteribus multo inferiores eſſe recentiores, idem exiſtimat; interim, magna cum laude ad eam ſcribendam ſe contuliſſe prædicat, *Pufendorfium, Maſcovium, Habnium, Bunavium*. Sacram hiſtoriam ab ullius usquam gentis ſcriptore recte tradi poſſe, deſperat: optimis tamen in eo genere libris comparandam eſſe *Arnoldi hiſtoriam eccleſiæ & hæreſium* putat. Elegantiorum litterarum ſcientia præſtantes fuiſſe cenſet, *Leibnitium, Ludwigium, Fabricium, Geſnerum, Baumgartenium*. Atque hic nollemus, alios præteriiſſet, quorum non minor eſt, partim etiam maior, in eo eruditionis genere, apud exteros, exiſtimatio. In mathematicis recenſet *Copernicum, Keplerum, Leibnitium, Tſchirnhauſium, Eulerum, magna nomina*, ſed quibus profecto addi debebant *Hermanni, Hambergeri, Heinſii, Segneri*, aliorum. Phyſicam doctrinam excultam eſſe a *Gerickio, Wincklero, Lieberkubnio, Waizio, Pottio, Marggrafio*, aliis, tradit; ad quam amplificandam, peregrinatores noſtros, *Keysleros, Kæmpferos, Olearios*, contuliſſe plurimum, docet. Quibus, velut incenſos, quosdam per lancem ſaturam adiicit, ut *Hubnerum* in genealogia, *Liſcovium* in ſcribendis ſatiris. Pauca ſunt, quæ de verſionibus ſcriptorum exterorum in ſermonem noſtrum addit: deinde ad eos venit, qui artes honeſtas maxime tractarunt, ut *pictoriam*, quæ plurimum debere *Alberto Durero, Holbeinio, Cranachio, Klœckuero, Dennero, Knellero*; *ſculptoriam*, in qua nullus noſtrorum hominum ad inſignem aliquam laudem perveniſſe, dicitur; *architectonicam*, in qua magni fuiſſe opera *Goldmanni*,

ni, *Sturmii*, *Schluteri*, *Botti*, aliorum, fertur; in militari præcipue floruiſſe dicuntur *Sturmius*, *Rimplerus*, *Scheiterus*; in *muſica Hendelius*, *Haſſeus*, *Graunius*, *Telemannus*. Nos *Bachium* addimus. Qui opera velit Germanorum, ætatem latura, pernoſce-
Pag. 30 - 59. re, eum ad *Acta noſtra* ablegat. Certe opera ſemper a nobis data eſt, ne cuiusquam merita laterent. *Cap. III* de *rebus novis*, *a Germanis inventis*, exponit, e quibus gentis cuiusdam ingenium maxime intelligi poſſe, ex vero exiſtimat. Atque hic Europam, vere prædicat, noſtris hominibus debere, *pulveris pyrii*, *πυροτεχνίας*, *typographiæ*, *artis imagines incidendi æri*, *antliæ pneumaticæ*, *rerum ad opticam & diopticam pertinentium*, ut & ad *chemiam*, *vaſorum murrhinorum* (*porcellaine de Saxe*), *phoſphori*, *electricitatis*, *ignis artificialis*, *ipſius adeo Americæ* per *Martin. Behaimb*, *pyxidis nauticæ*, *ſpeculi cauſtici*, *veri ſyſtematis mundi*, *logarithmotechniæ*, *chartarum geographicarum*, quas accuratius certe diligentiusque perfecerint, *mechanicorum automatorum*, *horologiorum portatilium*, inventionem. Quarum rerum excogitationem cum *Swiftius ſtupidiſſimæ nationi* adſcribit, aut *εἴρωνα* eum fuiſſe credamus, aut ipſum mortalium omnium fuiſſe ſtupidiſſimum neceſſe eſt, vid. *conte du tonneau* Tom. II p. 135. Quæ enim res poterit ingenii humani ſpecimen dici, ſi rerum novarum inventio non poteſt?
60 - 108. *Cap. IV* de *poetis antiquis*, *qui Opitium ætate anteceſſerint*, agit:
109 - 162. *Cap. X* de *Opitio* exponit, quo muſam patriam altius aſcendere potuiſſe negat, cuius etiam *Veſuvium*, &, *de amoris potentia*, carmen, ut & *ſuſpiria ad Servatoris crucem*, in ſermonem Gallicum tranſtulit, ut, qualis ille, quantusque fuerit poeta,
163 - 191. exteri intelligerent. *Cap. V de Canitzio* agit, cuius ingenii amœnitatem iuſtis laudibus proſequitur, atque *Satiram de poeſi*, & notiſſimam illam inter nos, *odam*, *in Dorida ſuam*, ut ver-
192 - 233. bo fidem faceret, ſubiicit. *Cap. VII de Hallero* exponit, in cuius verſibus vim quandam ſingularem reperiri teſtatur, idque ut planum faciat, odam eius *in gloriam*, carmen *de virtutum humanarum falſitate*, odæque *in Dorida* ſtrophas quasdam, Gallice verſas, exhibet. Sed de his nunc facile erit exteris iudicium ferre, cum non in Gallicum modo ſermonem translata bis

bis eius carmina prodierint, ſed eius etiam ſpecimina in ipſo *Mercurio Gallico* extare meminimus. *Cap. VIII. Hagedornium* commendat, cuius *carmina ethica*, *fabulas* & *apologos*, inprimis laudat, atque in his eum *Lamotto*, quam *Fontænio*, dicit ſimiliorem eſſe, ſuam hanc ſententiam variis eius carminibus, Gallice verſis, probans. *Cap. IX. Gellerti* noſtratis merita perſequitur, quem *Fontænium Germanicum* appellare nullus dubitat; dolet vero, verſionem Gallicam Argentinenſem fabularum illius, duriuſculam videri. De cuius igitur ingenio ut recte iudicare poſſint exteri, aliquot eius fabulas, Gallice verſas, adiecit. *Cap. X* de *Gleimio* agit, Germanorum Anacreonte, cuius item aliquot odas, ut & odam *Derſchavii, in victoriam Fridbergenſem*, in ſuum ſermonem vertit, idem facturus *Gunthero*, *Pietſchio*, *Richey*, *Kreytz*, *Brockeſio*, *Bothmero*, *Drollingero*, *Neukirchio*, *Trillero*, aliis, ſi per alias occupationes licuiſſet. *Cap. XI.* de *theatro Germanico* exponit, atque ex *Michaelis Sachſii chronico imperatorum* p. 253 oſtendit, anno 1497. *Reuchlinum* primam comœdiam, in *Ioannis de Dalberg*, epiſcopi Vormatienſis, honorem docuiſſe, (quam *von der Hardt* ſeparatim denuo edere meminimus), qua nihil in eo genere antiquius Galliam proferre poſſe recte monet. Interim ſcenam noſtram nævis adhuc pluribus laborare, quam Gallicam, Italicam aut Anglicam, (de qua ultima tamen, qui aliter ſentiant, ſunt admodum multi), non diſſimulat: cuius rei caufas, partim in fabularum bonarum penuria, partim ſcurrilitate alicuius ex hiſtrionum grege, (*Iean Sauciſſe*, Hans Wurſt,) cuius videndi deſiderium homines infimæ caveæ alliciat, partim in theatri, eleganter conſtructi, inopia, partim in defectu principis, qui protegat illam, ac liberalitate ſua foveat, reperiſſe ſibi videtur. Interim Germanos fabularum genus quoddam ſibi proprium habere ait, quod *Paſtorale* audiat, a *Roſtio* primum ſcribi cœptum. Tragœdiæ noſtræ quales ſint, e *Behrmanni Timoleonte* docet, cuius verſionem Gallicam ſimul exhibet. *Cap. XII.* de *eloquentia Germanorum* agit, quam, quod eius colendæ vel rara, vel nulla ſit occaſio, exterorum eloquentiæ comparandam eſſe negat.

Pag. 234-248.
251-258.
259-277.
278-358.
359-406.

Ipſa

Ipſa religionis emendatæ capita, inquit, multo ſunt ſimpliciora, quam ut ornamenta eloquentiæ facile capiant; cum pontificiis miracula, eorumque effectores, ac panegyrici ſermones, in divorum honorem habendi, amplam ſuppeditent materiam, orationes omnibus diſtinguendi luminibus; *proteſtantes*, quos dicunt, vel ſacros interpretandi libros, vel morum præcepta quædam tractandi facultatem, ſibi ſolam reliquam habere, iudicat. Atque hic auctorem ingenioſiſſimum, vellemus, paulo æquius cenſuiſſe, vel de materia dicendi, quæ noſtris hominibus datur, vel de ipſa eorundem eloquentia. Nam primo, quod putat, religionem emendatam, eloquentiæ lumina, velut fucum quendam averſari, magnopere, nobis quidem, errare in hoc videtur. Cum enim eloquentia, velut materiam, attributas ſibi habeat res omnes, populari intelligentiæ ſubiectas; religionis autem noſtræ capita ea ſint, quæ non ad intelligendum modo, ſed etiam ad delectandum commovendumque, accommodate tractari poſſint: quis ea dicat impedire concionatores noſtros ſacros, diſertos eſſe, & ad veterum accedere oratorum laudem? Utrum, qui veterum eloquentiæ laude floruerunt, miraculis tantum auditorum mentes præſtrinxerunt, aut deſcriptionibus, ad poeſin accedentibus, delinivერunt, panegyricosque aptarunt ad popularem delectationem? an hæc omnia potius cadentis demum eloquentiæ, & in declamationibus controverſiisque iſtis iam degenerantis, fuiſſe putemus? Deinde, uſu aliter evenire ſcimus. Quodſi enim Galli, ſacris emendatis addicti, *Saurinum*, *Chatelainium*, aliosque plures, habuere, nulli pontificiorum concionatorum ſacrorum poſtponendos, ut de Anglis taceam: quid eſt, quod Germanis obſtare exiſtimes, quo minus, de religione vera puriorique dicentes, eloquentes eſſe poſſint? Nunquam ſane eos, *Moshemiorum*, *Ieruſalemorum*, *Schmidtiorum*, *Tellerorum*, *Stemmlerorum*, aliorumque multorum, pœnitebit, hominum citra controverſiam eloquentiſſimorum; qui plura etiam facultatis dicendi ſpecimina daturi eſſent, ſi, aut coram principibus, eruditisque eorum amicis, verba tantum facerent, ut Romanenſes fere

fere, aut non tam eloquentiæ oſtentationem, quam perennem auditorum felicitatem, propoſitam ſibi haberent. Interim nec aliis oratoribus tam ſterile fuit ſolum Germanicum, ut non tuliſſet, quos cuivis facile opponas. Quis ex iis, qui latinas habuerunt orationes, ignorat *Spanhemios, Heinſios, Buchneros, Gravios, Schurzfleiſchios, Bergeros, Schwarzios*, alios, viros ad veterum laudem accedentes? In patrio ſermone, quod extra roſtra ſacra habendarum orationum rara eſt occaſio, ſpiſſa quidem volumina, earum plena, nondum proſtant: interim plures habemus, & iunctim editas, ut *Gottſchedii* noſtri, & ſeparatim; ea certe multo meliores magisque probabiles, quam auctori, ſpeciminis loco, exhibere placuit, floridiorem quippe tumidioremque, quam ætatis aureæ videtur ratio ferre. *Cap. XIII epilogum totius operis* complectitur, quo pleroſque homines eruditos, quos laudaverat, in terris Brandenburgicis vixiſſe teſtatur. Quorum laudem etſi imminutam nolumus, tamen ſperamus, fore, ut ſi quando ſupplementa ſcribat auctor operi, magnorum hominum, qui aliis in regionibus vixerint, nomina minus reticeat, ut, quod vetus poeta dicit, *ſua cuique ſint nomina*. Interim boni civis munere præclare is functus eſt, patriæ ſe, eiusque gloriæ, patronum profeſſus ſtrenuum diligentemque. Pag. 407 ad finem.

ΝΩΕ ΑΓΥΜΝΟΣ,

ſive

ULTIMA FATA NOACHI EX GENES. IX, 20 - 27. ita tradita, ut Chami vitium, cum Canaanis ortu, variaque ad multorum ſanctiorum literarum oraculorum, & mythologiæ, pleniorem cognitionem facientia, eruantur, a IAC. IO. HAHN.

Erfordiæ, sumtibus Auctoris, & in officina Iungnicolii, 1750, 8.

Plag. 12.

Usu sæpius venire intelligimus, ut etiam in rebus, luce meridiana clarioribus, iisque historice descriptis, ita præconceptis opinionibus decipiantur interpretes, ut, neglecto scopo, verbisque scriptoris sacri non recte expensis, non semel a recto aberrent tramite. Idem clarissimo auctori videtur, circa ultima Noachi fata, contigisse interpretibus, ut obscuritatis notam illis inurant, & contra rationem multi obscurum, dubium, incertumque malint amplecti, quam verum; cum tamen, si rerum circumstantium tenorem, veterum habitum, tentoria, verborumque usitatiorem significationem, aliaque momenta diligentius scrutari voluissent, vel sine Mercurio ipsis errare non licuisset. Fictæ huius obscuritatis caussas auctor noster deprehendit in Laconismo Mosaico, in modesto huius scriptoris divini stilo, & in neglecta consideratione verborum Hebraicorum, ubi id etiam utplurimum ignoratur, quod Mosaici plerumque sit instituti, prius rei gestæ collocare occasionem, & deinceps rem plenius deducere. In *tres Partes*, Auctor, suum libellum distinguit, quarum prior esoterica tractat argumenta interpretationis, ab Auctore investigatæ; secunda exoterica, e testimoniis scriptorum sacrorum & profanorum allata, argumenta sistit. Ultima denique pars erit porismatica. Ante omnia monet, in sua commentatione id esse obPag. 8. servandum, quod aliis etiam iam placuerit, Mosen ea ut plurimum narrare, quæ aliquem nexum cum Dei populo, eiusque religione Messiana, haberent, ex quibus odium, æmulationem, unius præ alio felicitatem, vitæ genus, semina impietatis, numinis denique cultum puriorem, intelligere possimus. Tra-
9. dere hinc, hoc in loco nostro, Moses Auctori videtur, e scopo scilicet specialissimo, ortum Cananæorum satis impurum, ut posteri Israelis scirent, cur Deus eis ius dederit, Cananæos exstirpandi. Ne fingat quidpiam, ex rerum ordine, & formali ratio-

ratione, in ultimis fatis Noachi inceſtum Chami eſſe enarra- Pag. 10.
tum, confirmat Auctor. Defenditur etiam Noachus, & quidem recte, ab ebrioſitate ipſi obiecta, cum ex verbis Moſaicis aliud
nihil elici potuerit, quam quod Noachus ad ſatietatem biberit, 12.
quantum temperantiæ modus permitteret, immo ad lætitiam usque animi. Vox Ebraica hic occurrens, ſe in hac ſignificatione comprobatam ſiſtit, v. g. *Geneſ. XLIII, 34.* Quid vero tum dicendum eſt, quando Noachus ſe retexiſſe dicitur, quod poſt convivalem lætitiam Noachi Moſes enarrat? Sed multæ res circumſtantes, hanc plane diſſuadent retectionem turpioris fuiſſe notæ. Vis vocabuli Ebraici, in ſenſu reciproco, & ad nos relato, & honeſte, & minus honeſte
uſurpatur. In noſtro loco certiſſimum eſſe ſibi Noſter per- 20.
ſuadet, honeſtam veſtium depoſitionem & exuitionem, nobis in quotidiana vita uſitatam, intelligendam eſſe potius, quam turpem retectionem; loco & tempore cœnæ, ſub crepuſcu-
lum inſtitutæ, hoc ſuadentibus. Hinc Noachus exemplum præ 21.
ſe fert ſenis ſobrii, qui, vini generoſioris ſentiens naturam, uſu ipſius largiori abſtinuit, & veſtes depoſiturus exiit de convivio, atque ſomno ſe dedit. Honeſtiorem vocabuli גלה notionem *Ruth. III, 7. 2 Sam. VI, 20,* invenire licet. Confirmatur hoc etiam ex narratione Moſaica, ubi dicitur, in medio tabernaculi factam fuiſſe hanc veſtium depoſitionem. Et hoc quidem honeſti eſt viri; in latebris & penetralibus
ædium, non in plateis, veſtes exuere. Moſes pergit enarrare 26.
facinus Chami, ſequentem in modum: *Et videbat Chamus nuditatem patris ſui.* Notiſſimum eſt, apud Hebræos ראה notare fruitionem alicuius rei, & in re venerea id vocabu-
lum ſæpe etiam uſurpari. Tota vero dicendi ratio ex *Levit.* 28.
XVIII, 8, 9, illuſtrari poteſt, ubi Moſes matrem, uxorem parentis, *nuditatem patris* nominat. Uxor, quæ non eſt mater, etiam audit patris nuditas. Ex his infertur, Chamum cum uxore Noachi habuiſſe rem, qua, omnibus honeſtatis vinculis perruptis, rationisque imperio excuſſo, graviſſimum perpetravit facinus. Quid, quæſumus, hoc ſignificaret, quod Spi-

 ritus

ritus ſanctus hanc in Moſaica enarratione addat notam: *&*
Pag. 37. *hic eſt pater Canaanis*, niſi res ita ſeſe haberet. Quan-
do vero Moſes enarrat, Chamum perpetratum ſcelus fra-
tribus manifeſtaſſe, ita ſe noſter expedit: Deum Noa-
cho novam poſt diluvium promiſiſſe ſobolis felicita-
tem; iam vero Noachum, ſenio confectum, hac ſpe deie-
ctum creditum fuiſſe: ne igitur falleret promiſſio divina,
Chamum cum fratribus quaſi communicantem, poſt in-
38. ceſtum quidem commiſſum, dixiſſe: quid aliud nunc re-
linquitur, quam id, ut ſpem ipſe ſobolis novam im-
pleam, & cum thoro paterno me committam. Uxor
enim Noachi fuerat forſan ἄτεκνος, & hac ratione ſobo-
les ex Noacho, ſenio iam confecto, non videbatur ſpe-
41. randa. Quod Chami factum, etſi ab omni honeſtate
longe remotiſſimum ſit pronuntiandum, tantum tamen
abeſt, ut a vero abhorreat, ut potius turpiora facinora
42. in paginis ſacris relata legamus. Sed quid de reliquis,
ubi Moſis verba ita ſe habent: *Sem & Iaphet ſumſe-
runt veſtimentum, & humeris ſuis imponentes, greſſu-
que retrogrado accedentes, nuditatem Patris ſui texerunt,
& vultibus eorum averſis, nuditatem patris ſui non vi-
derunt.* Hic Auctor verba Moſaica ita explicat: Cham,
turpi amore expertus eſt uxorem Noachi, fratres reme-
dium adhibent malo non conveniens, tegumentum nem-
pe. Non arguunt impudicam, ſed tegunt, oculis vultu-
44. que averſis. Hoc ulterius Auctor ex ritibus matrimo-
nialibus illuſtrat, addens: *Hi duumviri pietatis, Semus
& Iaphetus ſcilicet, veſtimento Noachi oſtenſo maritum
indicant, eique uxorem vindicant, arguuntque adeo im-
pium Chamum, hac iniectione paterna veſtis, turpiſſimi
inceſtus, imo eam nuptam produnt; nefarie igitur fuiſſe
ſollicitatam, &, cum averſo vultu & inceſſu inſolito
hoc faciant, indignationem doloremque ſingularem vultu
praeferunt, ut ne honeſte quidem feminam, tam indigna
vel paſſam, vel ſibi fieri permittentem, vellent adſpicere.*
Si

Si hoc fratrum factum ita interpretamur, Chami fratres animo admodum leni erga Noachi uxorem, tanti sceleris ream, facileque iniuriæ, patri illatæ, condonantes, sistuntur. Fecit igitur Chamus aliquid, quod iram patris provocaret. Ex hac illicita consuetudine natus est Canaan, qui per Noachum indignus iudicatur, ut excellentia promissionis in eum conferatur, & reliquis emineat; &, ut Semi posteri certius sciant, hæc non esse vana ex pelvi tonitrua, Dei sapientia, olim hoc facto ipso dabit effectum, ubi in tam abiectum statum redigentur eius posteri, ut loco excellentiæ, servitutis iugum, primo Semi, deinde ab huius posteris expulsi, etiam Iapheti sint subituri. Non tamen execrabilis habitus est Canaan in se spectatus, quasi, nullo respectu habito ad eius animi indolem, omnium calamitatum & miseriarum labyrintho sit immergendus, seu, quod ex parentis vitio, nulla sua culpa miser sit futurus: sed Noachus, spiritu diviniori instinctus, acutissime in remotiora tempora oculos intendit mentis, ubi Cananæi, pessimis moribus usi, vindictam divinam in se provocabant. Spe ergo sua excidit Chamus, ubi magna arroganter adfectando, sensu carnali, divini arbitrii circulos, & ipse, & posteri, eunt turbatum. Nam ut intelligamus, promissionis æmulationem potissimum inter Chamum fratresque, pomum quasi Eridos fuisse, excluso Canaane, cui Chamus hunc honorem quidem non invidisset; hinc Noachum statim caput illud, singulari Dei favore nobile, designasse, Semumque, communem doctorem, & inter maiores Christi summum, promissis ornasse amplissimis: *Benedictus Iehova, Deus Semi.* Quid de Canaane in gloriam hanc genito fiet? *Sit servus ipsis.* Sed pergamus ad reliqua. *Pars altera*, argumenta huius explicationis, noviter allatæ, sistit exoterica, ubi *Caput primum*, de exotericis ex literis sacris argumentis agit. Dignissimum hic memoratu oraculum ex *Ezech.* *XVI.*

Pag. 45. 48. 49. 50. 52. 54. 60. 67. 68.

XVI. affertur, ubi, si propheta ad hunc Canaanis ortum & fata non respexisset, nihil fere recti haberemus, quod in illius vaticinii veram expositionem afferri posset. Facile hic lectores ex iis, quæ iam dicta
Pag. 72. sunt, Auctoris mentem coniicient. *Caput secundum* re-
80. censet argumenta externa, ex historicis Mythologis desumta, quæ quidem omnia in se parum habent roboris, & ad rem præsentem nihil fere faciunt. Hinc iis recensendis facile supersedere possumus; quod de *tertia* etiam *parte* licet; quia porismata, in locum Mosaicum nostrum accommodata, unusquisque formare sibi haud difficulter poterit. Ceterum non diffitendum est, nonnulla in hac hypothesi, facilitate quadam se probare, alia tamen nimis contorta & straminea videri, atque adeo expectare limam.

NOVA LITERARIA.

In *Caietani Albizinii*, typographi Florentini, officina, integris foliis imprimitur THESAURUS DIPTYCHORUM ANTIQUORUM, Opus, iam dudum, a celeberrimis Viris, non expetitum modo, sed etiam, ut tandem ei aliquis manum admoveret, vehementer laudatum. Hanc in se laudem derivaturus, ANTONIUS FRANCISCUS GORIUS, Vir Clar. Basilicæ baptisterii Florentini Præpositus, & in patria Academia Historiarum Professor, permoveri se passus est, ut, qui tot haberet eruditionis suæ certissimos testes, etiam istius literarii fœtus pater esset atque auctor. Omnem eius οἰκονομίαν peculiari Programmate Albizinius expressit, cuius hæc summa capita sunt:

Totum Opus, in plures Partes accurate dispertitum, exhibe-

bibebit Tabulas æri incisas centum, *& fortasse etiam plures. In his ad archetyporum fidem diligenter expressa erunt* diptycha *omnia ex ebore antiqua, tum edita, tum inedita perplura, numquam ad hoc tempus nota, atque patefacta, chronologico ordine distributa ac prolata; commentariis, atque observationibus Clarissimorum Virorum luculenter illustrata: quibus vel integræ, vel auctarii loco, adnotationes & animadversiones eiusdem* Gorii, *accedent. Totum Opus præstantissimi Viri R. P. Alexandri Wilthemii Soc. Iesu presb. (qui de his editis primus omnium optime cum Clar. Sirmondo meritus est,) in Diptycha quatuor celeberrima, nempe* Leodiense, Bituricense, Compendiense, *alterumque Astyrii* Leodiense, *(quod Opus plane rarissimum est, & in paucissimis publicis toto orbe Bibliothecis, in nullis vero huius Urbis, exstat,) splendidiore cultu excusum proferetur; nonnullis corollarii loco adiectis editoris observationibus. Principem locum habebunt* DIPTYCHA CONSULARIA Litterata; *ea nimirum, quæ consulum nomina, dignitates, & munera inscripta præferunt; exhibentque ab iisdem editos amphitheatrales ludos, venationes, largitiones, pompas; atque adeo ex omni vetustate immensam eruditionis segetem continent: quæ Diptycha aliquando ex consularibus ecclesiastica facta sunt, inscriptis Episcoporum, & piorum largitorum nominibus venerandis; vel etiam canonis missæ parte, cum nominibus sanctorum, quæ recitantur.* DIPTYCHA Anepigraphica, *titulo scilicet & litteris carentia; quæ tamen a consulibus in pompis & consularibus processibus dono data fuere; vel quod exterius litteræ in his olim non incisæ, vel auro pictæ iam fugerunt, nec ad nos pervenere, proferentur. Tertio* DIPTYCHA Hieroiconica, *Sanctorum imaginibus ornata; in sacris mysteriis, vel ad Altaris Ecclesiæ ornamentum, ostensionem, & publicam exosculationem, adhibita; atque ea etiam, quæ sacris Evangeliorum Codicibus pretiosis or-*

nan-

nandis cooperiundisque addita fuere, in lucem prodibunt. Quarto DIPTYCHA minora *ſacra portatilia, pro fidelium domeſtico cultu, ſequentur. Quinto* DIPTYCHA erotica, *ſeu amatoria, nuptialia, ſoterica, eucbariſtica, encolpica, votiva omnis generis, ex ebore antiquo, publico litterati orbis bono, multis notis, & obſervationibus explicata, atque illuſtrata, depromentur. His ſexto ſuccedent* DIPTYCHA DEFUNCTORUM; *nimirum ſelecta vetuſtiora Eccleſiarum Necrologia. Propter ingentes ſumtus pauca Volumina nunc excuduntur. Ea de cauſa, bene factum videri debet, de hac editione, antiquitatis eruditæ cultores moneri hoc prævio programmate, ut id interim ſciant. Subſcriptiones, præſertim in Italia, quampauciſſimi non curant, quinimo valde averſantur: quod plerique promiſſam fidem non ſervent, vel aliorum detrimento, votis non bene, aut parum, avaritiæ cauſa, reſpondeant: a quo more Albizinius ſemper ſe profitetur abhorruiſſe; quin potius ſubſcribentibus plus dediſſe, quam accepiſſet; ut litteratorum hominum, qui adiutrices ei manus præbuerint, commodis liberaliter inſerviret. Si quis igitur ſubſcribere huic Operi voluerit, rem præbitori pergratam, & tertiam pretii partem lucri, faciet, pro quolibet Volumine, (nam duo Volumina hanc ſupellectilem abſolvent); dummodo quamprimum nomen ſuum, & patriam, & titulos ſignificet, & in anteceſſum ſolvat Iulios ſive Paulos XXX. in ſymbolam: pro exemplari vero in regia maxima charta Iulios ſive Paulos XL.* Qui, quantum cognoſcendæ antiquitati, luminis adfundant diptycha, intelligunt, quis autem eſt, qui, lectis eam in rem Wilthemii & Buonarottæ, doctiſſimorum Virorum, commentariis, non intelligat? eos omnes credimus, Gorio, V. Cl. propter ſuſceptam iſtius operis, profecto ætatem laturi, curam, bene nobiſcum precari oportere.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Iulii Anno MDCCLIV.

TRAITE' DES PIERRES GRAVE'ES PAR P. I. Mariette, à Paris de l'Imprimerie de l'Auteur, 1750.

id eſt,

DE GEMMIS, SIVE LAPILLIS SCALPTIS COMmentarius P. I. Mareti. Tomis duobus. Tomus alter ferme totus ſignorum lineis e ſcriptura lamnarum ahenearum expreſſis, numero amplius CCL, illuſtratur.

Pariſiis, ex officina ſcripturæ librariæ ipſius, 1750, fol. Alph. 5. plag. 10.

Eſt ſane hoc opus inprimis honeſtum non argumentis tantum & inſtituto utilitateque in litterarum ſtudia præſente, verum etiam oratione bene morata, & chartis atramentisque optimis nitidum, tum titulis felicatis, reliquisque ſignorum lineis, quas de lamnis aheneis docte ſulcatis bibit charta, adeo mundum atque elegans, ut vix aliquid eo in genere poſſit fieri pulchrius. Et lineas quidem ſingulari cum cura intellegentiaque vetuſtatis eruditæ, duxit, clarus inter regios ea in urbe operibus ac fama ſculptor marmorarius, Buccaronus (*Bouchardon*) nomine; ſtilum inge-

niumque ordinando ſcribendoque libro omni adhibuit vir nobiliſſimarum artium intellegentia, comitateque morum, & ſcriptis aliis, ut Croſatiæ Catalogo Dactyliothecæ, iuxta celebris, cuius nomen latinis litteris prodere non eſt. Suis ſibi litteris vulgaribus *Mariette* ſcribitur.

Operi toti ſine dubio in pleriſque recte intellegendis reddendisque adſuit & præfuit conſilium, acumen, auctoritas, manus illuſtriſſimi Calliæ Comitis, qua licuerit videlicet emollire meliorum litterarum affinitate quadam dura gloſſarum vocabula: ſive aliquis contemta verbi aſperitudine, edere mavelit Cailum (*de Caylus*), cuius ingenium intellegentia talium operum ſingulari, miraque facultate imitandi, olim claruit: nuper Reliquiarum antiquitatis eruditæ apparatu publicando, (*Recueil d'Antiquités*) tanquam editione muſei ſui, apud intellegentes artium merito celebratum eſt. Fatetur autem is, quem laudabamus modo, Petrus Maretus (*Mariette*), eam benignam illius copiam ſibi præſto fuiſſe: eaque eſt modeſtia, ut putet ſibi, ab eruditione omni litteriſque rarioribus haud ſatis parato, ſuſcipiendam ſcriptionem aliter non fuiſſe. Si nobis etiam in principio licuerit deſiderare nonnihil, quod ad ſummam operis tam pulcri attineat, primum vellemus Muſam præſidem earum artium ſublimium adeo tenellam, ac totam Græcanicam, neque ſuetam aut patientem citari ullis, niſi Latinis, gentium externarum vocibus, oratione vulgari πάνδημον, ac velut barbare braccatam, ne reddi. Quo enim pertinet vulgum iſta ſcire, quæ ne curat quidem, ne dum ut cupiat uti ſcientia ſibi, quocunque ſermone dixeris, negata? quo pertinet excludi eruditos ab eo opere legendo, trans mare, trans Rhenum, trans Alpes qui colunt homines, qui Francogallice vel neſciunt, vel parum recte, quod pleriſque accidit, ſciunt? Nam quod Italorum ingenia cœperunt olim, mox vivida Gallorum ſedulitas occupavit, tradere vulgaribus litteris eruditionis antiquariæ decreta quædam recondita, cuius rei ducem hi Gulielmum Caulium fere habent, inutile fortaſſe bonis factum, ignavis promtum falſa litterarum, quas non adſequuntur, ſimulatione; tam iſtud ianuam deſidiæ ac fraudibus perſonatæ

natæ facultatis aperuit, quam quod Græcorum ingenia omnia latine ac vernacula cuique oratione verſa prodierunt. Quid, quod nunquam dici ſat bene de his artibus, de rebus antiquorum tam ſepultis, de ſubtili operum iudicio, de manibus artificum illorum, ſed nos iſtud ſæpe legendo ſcribendoque experti ſumus, vulgari ulla oratione, ſcribique ſat recte & commode, vel melioribus Hetruſcis literis, poteſt. Non alia certe re artes hæ pulcherrimæ inde a memoria tritavorum noſtrorum, ſi recte calculum ponas, detrimenta paſſæ adeo magna, ut ferme interiiſſe hodie earum honor ſpeciesque videatur, niſi quoniam compendio diſciplinæ ac litterarum, a quibus litteris veterum abduci illæ non poſſunt, ad humilitatem fortunæ ingeniorumque feſtinantium omnia egeſtate, abhorrentiumque a litteratura, detractæ de ſede ſua viluerunt. Fuerant Mantinea quidem Raphaelque Sanctius a litteris latinis aliisque veterum minime alieni. Vincius, Pyrrhus Ligorius, Vicus, aliique ex Italis pictores, aut ſtatuarii, ut Gauricus, has ipſas impenſe docti. E noſtris Lambertus, Hubertusque Golzius, pictores, litteris latinis prorſus, omnique eruditione antiquaria, elegantiſſime exculti. Quorum exempla laudanda Pe. Coquus, Cornertus, Venius deinde, aliique in Belgis ſecuti, litteras didicerant. Pe. Paulus Rubenius ultimus fere inter illos enituit latine doctus. Nam Diquii ingenium ignea quædam vis & feſtinatio, ne illa diſceret: Iordani naturam imitatione præſentium corporum ſingularem, ruſticitas quædam morata eſt. Durerus noſter hactenus conſcientiæ latinæ orationis admotus fuerat, ut legere monumenta ingeniorum eis litteris conſignata poſſet. Cuius rei teſtis eſt, inter libros eius, qui iſta commentatur, codex Gaurici operis latine editi, quod, ut lectum ab ſe, iudicio Durerus ſuo inſcripſit. Cronacius, ut Saxones quoque earum litterarum artiumque munditias adiiſſe putes, ſic litteras attigerat, ut illas, hominesque doctos, valde adamaret ac ſectaretur. Latine enim ſciſſe ita, ut commode legeret ſcriberetque, non videtur.

Deinde aliquo item pacto eximio in opere deſiderandum eſt, quod nimis luculentum chartis amplis, munditie linearum, re-

liquo cultu, ut Musei regii quoddam specimen exhibetur. Tale enim dum reddiderunt, detrahunt munificentiæ editionis, quidquid addunt splendori. Beneficium quidem certe magno redimendum, sumtuque ac damnis pensandum, liberale satis, atque absolutum ideo, non putabis. Præsertim hac tempestate, dum sensim se, neque animadversus, insinuat artium litterarumque omnium contemtus ac superba irrisio, perituraque brevi ingeniorum librorumque pretia, iacturis impendentibus, suadent modum aliquem machinarum scripturæ luculentæ, chartis lectioribus, felicatis titulis, & corollis, aliis eiusmodi rebus, adhibendum esse. Hæc ad summam. In partibus egregii scripti non ea pervulgata fere sollicitamus, quæ ipse quoque auctor prodit super gemmarum natura, super scalpturæ apud veteres honore, super usu anulorum, super aliis eiusmodi, quæ alii ante eum fortasse plenius meliusque. Et poterat profecto singulare illius studium diligentiaque non parum adiuvari ingeniorum huius urbis opibus, si Lipsiæ nostræ proventum ad litteras recentem, si Musei Richterii Dactyliothecam, si Christii de gemmis expositiones in eo opere diversas, tum qua natura lapillos & litteræ veterum nobilitant, tum qua signandi aut gestandi in auro usus, & scalptura vetus commendat: si librum eius denique de Murrinis hic editum, quæ nullo negotio potuit omnia, legisset. Tanto magis autem conveniens erat, ea facile conquirenda tractavisse, quo sæpius in easdem sententias, partim novas ac singulares, operis instituto venit, quas ille, qui Richteriam Dactyliothecam scripsit, multos annos in hac urbe easdem, sermone & scriptis, expositione rerum veterum multiplici, sæpe est professus. Tum nunquam in hoc de gemmis regiis opere pulcro eam insignem molestiam cepisset, ut verbis adeo multis tam operose reduceret super murrinis, ac defenderet errorem pinguem & explosum Cardani, Scaligerique maioris, dum illi contendunt, *Murrina veterum videri porcelana nostra fictilia.* Eum errorem primo res, & natura rerum, & ratio, & honos vetustatis eruditæ, ne pueri videantur, qui tanto tempore pro lapideis fictilia habuerint, confutat: deinde liber, quem diximus,

mus, Christii, sic omnem controversiam cum pulvisculo converrit atque aufert, sic manibus tractanda vera murrina vel imperitis præbet, ut, quicunque posthæc alia omnia videre velit, nihil videat.

In iudicio de vetustate operum elegantiaque manuum ferendo, subtilis est, atque acer, multaque sic proposuit enarrata doctus gemmarum Musei regii editor, ut in eius sententiam facile concedamus. Super aliis condemnandis aut absolvendis eius opinionibus, suffragium non inimus, aut vetus *non liquet* usurpamus. Talia sunt: quod prorsus ab Aegyptiis ad Græcos artes, post alios multos scriptores, deducit. at contra evenisse verisimilius. Quod censet ab intellegente artium Ægyptias in gemmis manus & Græcas agnosci secernique a Romani operis gemmis, id est Romæ scalptis, non magno negotio & sine errore posse. Ægyptii quodam tempore, Romani omni tempore, Græcis fabris ferme solis in gemmis scalpendis usi. quo igitur pacto discreveris Græcos a Græcis? Sed enim prisca illa & casca adeo, ut ante Ptolemæos reges nata essent, putat. Quæ eorum tam clara temporum nota sit? Quis tanto, tam vetusto Ægypti cum Græcis populis commercio, non arcessitos Sicyone, aut aliis ex urbibus Græcos artifices, qui Isiaca sacrorum signa ad præscriptum redderent, præstet? At illa sunt rudites opere rustico dolata, ideoque valde casca. Incertum hoc est valde & anceps argumentum, vetustatis modum per coniecturam ab inscientia artium ducere. Multas hominum artes simul, atque inventæ sunt, eximia laude nituisse, satis constat. Adde ista, quæ sequuntur, interpretis gemmarum illius, politiss. viri, veluti decreta. Quod sic ipse opera secundum eam doctrinæ figuram, secernit. Laudo voluntatem; licet animosius experiri in talibus Quod opus Romanarum manuum apparitorum in conspectu rude, minusque doctum, atque elegans, quam Græcarum artium, putat. Moribus Romanorum priscis, cum talia contemnerent, poterant elaborata parum opera, vel ab optimis Græcorum artificum, emi. Sed ut Græcus gemmarius ideo deterior fieret, quod Romæ tabernam aperuisset, durum est putare. Credat,

qui volet. Quod si duæ, aut tres, aut plures gemmæ uno argumento, & velut uno exemplo, quam simillimis signis factæ, in manibus versentur, tum credit, unam earum ἀρχέτυπον esse, reliquas secundum eam imitatione recenti scalptas. At satis est cognitum ac deprehensum, artifices Græcos aliosque olim opera eiusdem argumenti gemina, indiscreta similitudine, sic eosdem sæpe fecisse, ut tria vel quatuor facile hodie signa sine controversia antiqua appareant uno exemplo, statu habituque prorsus gemina, opere quoque & manibus indiscreta. Talia simillima igitur unus faber sic fecit, ut nullum eorum non esset ἀρχέτυπον. Reliquis deinde qui hanc, verbi causa, Venerem Phidiæ, vel Praxitelis, vel alterius clari auctoris, reddendam aliis signis sumserant, ne quidem integrum fuit, ab eius exemplo statuque discedere. Sed, cum illi redderent figuram, quæ mente concipitur, non quæ manibus atque regula admota tractatur; redderent signi dignitatem, ac statum, gestumque eundem, non anxie, articulos, ungues, capillos: ob libertatem ingenii artiumque, sic quoque ἀρχέτυπα illorum simillima faciebant, nulla servilis imitationis vestigio corrupta. Mox gemmarum scalptores, & qui formas numorum cælabant, etiam multa statuta legibus, Boeotorum exemplo, videntur adacti fuisse, ut eorum simulacrorum, quæ in templis posita colerentur, quam simillima anulorum & numorum signa facerent.

Nunc si simillimos sexcentos, omni exemplo & statu in numis antiquis, Ioves aut Mercurios e Museis petitos componimus, non est ex omnibus illis numus unus, cuius formam unius ἀρχέτυπον pronunciemus, reliquos imitatione ex illo expressos. Gemmarum autem veterum eadem ratio. Idem argumentum in eis sæpe indiscreta similitudine apparet. Vel Sphynx Augusti e Suetonio potuit hoc docere incredulos, neque, quo certius istud ob oculos ponatur, opus est hodie locuplete dactyliotheca. Nobis ista commentantibus cum ad manus sit ea, quæ ad mille circiter signa anularium veterum vix ascendat, tamen denarios ordines uno statu & exemplo scalpti Iovis, Minervæ, Veneris, Cupidinis, Fortunæ, alio-

rum-

rumque numinum, facile præſtat. Eorum in ordine gemmarum decem aut amplius ſimillimorum ſignorum nullum non eſt antiquum dicendum, nullum non ſuo quodam iure ἀρχέτυπον. Porro, quot exempla operum ſimillima oportuit quondam præbere Dactyliothecam Crozati ultra miliariæ rationes aliquanto longius provectam? quot nunc Regiam Pariſiis, & fortaſſe aliorum quoque locupletiora muſea, ſimillima ſignis monumenta ſpectanda proponere credendum eſt? Illæ certe manifeſtis veſtigiis dedocebunt hanc opinionem homines doctos, qui eam deſcriptionem gemmarum nobis dederunt. Addemus his ſententiis. Quod putat ſcriptor egregius, pictores Græcos ignaros menſurarum, atque adeo linearum ducendarum ad triangulum viſus (*de la perſpective*), fuiſſe. Id hodie ſatis confutatum eſt, non ſcriptorum verbis modo veterum, ſed operibus quoque. Præſertim hoc egit ante Herculanum effoſſum, ſcriptor Britannus (*Tornbull*), cuius item nomen litteris latinis negatum eſt. Quod credit idem leviter impreſſam gemmarum ſcalpturam meliorem eſſe, quam altius excauatas gemmas. Contra ſtat, quantum nos quidem videmus, vel artis illius, tanquam ſecta corpora, non lineis adumbratas ſpecies, redditur æ, lex & ratio. Denique, quod ſtudio civium ſuorum ad Antonium Piſonem deducit laudem ſignorum e gemmis vetuſtis ingenio vulgandorum: ſciendum eſt, illum e ſuis civibus plus annis vigiuti præventum a Caulio. E noſtris autem, annis quinquaginta circiter Piſone priores fuerunt, Conradus Celtes, Raimundus Fuggerus, Apianus, alii. Ex Italis item aliquanto priores, Baptiſta Francus, & Aeneas Vicus: ne Franciſcum Columnam, atque e noſtris Rivium, aliosque priſcos citem. Utitur etiam in libris percenſendis, qui de gemmis veterum ſcripti extant, iniquiore, quam par eſt, iudicio, qua Germanici nominis ingenia laudat: hac una fere virtute opera eorum æſtimans, quæ in lineis ſcienter ac ſubtiliter ducendis verſatur. Sed apud nos litteratis hominibus, quamvis intellegentibus graphices, ſæpe non licet adhibere manus artificum idoneas, quæ omnino deſiderantur: ut nobis quidem uſu venit in Muſeo, quod ſupra laudavimus, edendo.

Pari-

Parisiis, aut Romæ, aut Venetiis, aut Florentiæ, vel inviti atque imperiti talium, & imprudentes aliud agendo scriptores, melioribus lineis opera sua facile ornant. Nedum ut ille, quem laudamus, tam doctus & acutus, tam elegans artium spectator, bellas linearum formas in opere non redderet, mediocribus non offenderetur. Attamen reliqua scriptorum virtute redemtæ nostrorum in operibus lineæ rudes ac rusticæ tractandæ cum quadam indulgentia fuerunt. Enumerandis vero libris, qui de re gemmaria, ac de anulis veterum, eorumque signis prodierunt, quorum recensum in tabulis omnium promiserat, prætervehitur non paucissimos, qui eius notitiam fugerunt, operosus in minimis quibusque vel codicillis popularium suorum super argumento eo publicatis. Hac in urbe Lipsiæ olim, qui uberiore recensu illius argumenti scripta annotaret, necdum publicato commentario, inventus est. Itaque illorum, quos dixi, Germanorum quorundam, qui statim post instauratum inter nostros litterarum honorem, gemmarum veterum signa nonnulla scriptis publicaverunt, ut Celtæ, ut Apiani, ut postea Velseri, aliorumque, nulla mentio: & ex Italis Baptistæ Franci nulla, Æneæ Vici tralatitia, & inter eos, qui de usu anulorum, nulla. Caulii pertenuis & in fine, mentio, qui item aliqua gemmarum signa inter numos edidit, plura regi suo Francisco, in codicibus scriptura machinarum nondum vulgatis, descripta proposuit. eorum signorum lineæ Leonardi Vinci clarissima manu ductæ sunt. Nulla dein mentio Pierii Valeriani: nulla Tornæsii, Rouilliive, aut quicunque Promtuarium, quod dicitur, imaginum, primus curavit: nulla Cartarii, vel potius Pignorii: nulla Portæ: nulla Gaffarelli: nulla Kircheri: nulla multorum: quorum omnium indicium notitiamque petere facile de commentariis Germanorum in hac urbe, rerum eiusmodi studiis olim satis notorum, nisi spreta nationis cognatæ ingenia sorderent, ille quidem operis tam boni favore poterat. Ceterum quod descriptionem operis accuratam exhibuit, quo opere hodie gemmarii mucrone adamantis, aut hatena adamantis in acum præpilatam imposita, (*rotam* vocant) gemmas cavant,

vant, prorſus ſingulare huius libri bonum, impenſeque laudandum. Nam viri docti Romæ, ac ſtudioſiſſimi antiquitatis eruendæ, liber parvus, *Glyptographica* inſcriptus, cuius etiam nomen ponit, dum videri latinus, negata temporum non hominum vitio facultate, anxie parat, obſcuras ideo parumque diſertus prodiit. Quare, quanquam præſtet de his rebus latine ut ſupra ſcriptum eſt, ediſſerere, vulgares abſtinere litteras, malumus tamen tradi lectoribus Francogallica bona, quam utcunque latina non bona.

Argumenta gemmarum e Dactyliotheca Regia produxit numero CCLVII. non omnia quidem antiquorum artificum manibus debita. In his ſigna a capite ad pedes numinum aut mortalium tota, numero CXXXII; vultus imaginum CXXV. Aliqua in illis prorſus ſingularia ac digna tali vindice. Nam commentarium lineis ſignorum adiecit, non operoſum illum, neque convenientibus in ſigna illuſtranda poetarum veterum locis multis, hiſtoricorumque teſtimoniis, reconditaque litteratura gravem, ſed tamen bonum. Subinde in his peccat, ut qua Saturnum vel Tempus producit cum eo tormento falcis maiore, qualem falcem antiquitas, quantum ſignorum vidimus, non agnoſcit: Cybelen appellat, quam deam Cæleſtem debuit, *vectura leonis*, ut Apuleius ait, uſam: *Iovem Statorem* frequenti Iovem ſtatu, nullo indicio, cur *Stator* hoc ſigno: *Venerem πάνδημον*, quæ Galathea eſt, aut alia Nereis, in priſti, aut quod alii earum rerum non imperiti putant, nos non putamus, arietis vectura pontum ſulcans Helle: *Bacchanalia*, quæ manifeſta Bacchi & Comi deorum coniunctio: *Sacrum Baccho*, quod eſt Saluti: Feſtas Athenarum cerimonias, (*la Feſte d'Athénes*) quæ liquido argumentisque certis oſtendit Chriſtius in Dactyliotheca Richteria eſſe Bacchi incunabula: *Bonum Eventum*, quam potius Fidem, aut quocunque alio nomine dixeris: Devotionem (*Enchantement*), quod eſt ſacrificium ſaluti: *Chimæras* male, ſecundum Leonardum Auguſtinum, & Cauſeum, quæ nihil Chimæræ habent, ſed ſunt ſymplegmata perſonarum, aut Grilli: *Atalantam*, quæ Venus eſt: *Pietatem militarem*, qui eſt Menelaus corpus Pa-

 trocli

trocli ſpoliatum ex acie reportans: quo argumento nos quoque operis vetuſti pulcherrimam amethyſton, lugente velut in funere pullo gemmæ colore, ſervamus. De plenioribus igitur ſignorum argumentis hactenus. Capita & vultus Deorum in fine voluminis, neque tam ſubtiliter accurateque lineis ductis & radio ſcripta proponuntur, quam priora gemmarum ſigna, & ſcriptor libri ea commentariis enarrare non eſt dignatus. Titulos vultibus, quis Deorum aut regum in his agnoſci videretur, cuique ſuos in lamna ahenea ſubſcripſit, de quibus veriſimillima diſquirere longum foret atque incertum. Quare etiam laudato operis eximii ac magni ingenio, idque ut multi contemplentur ſtudioſeque legant, auctores eis facti, finem recenſendi facimus.

CHR

Erklärung des Neuen Teſtaments ꝛc.

id eſt,

D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Expoſitio Novi Teſtamenti Pars III, primam Partem Hiſtoriæ Ioanneæ complectens.

Hannoveræ, ſumtibus bibliopolii Fœrſteriani, 1751, 8.
Alph. 1 plag. 17.

Continuante operam ſuam admirabilem exegeticam celeberrimo Autore, & officii noſtri partes poſtulant, in recenſendis his commentariis Nov. Teſt. pergere ſedulo, & ex prima *hiſtoriæ Ioanneæ* Parte hic pertractata, nonnulla in gratiam lectorum decerpere, quo habeant fructus, ex *Heumanniano* labore ad ipſos largiter redundantes. Sub initium libelli Auctor disquirit, ad quosnam hæc hiſtoria ſit perſcripta? Ex verſu ultimo *Capitis viceſimi, & verſu 35. Capitis decimi noni* colligitur ſecure, certos quosdam fuiſſe homines, ad quos ſuum evangelium perſcripſerit, quia ad certum auditorium ſermonem ſuum dirigit. Hos fuiſſe *Epheſios*, dicitur, quibus cum Ioannes per multos vitæ ſuæ extremæ dies verſatus eſt.

Pag. 4.

Ex

Ex hac etiam ratione colligit Auctor, Ephesios facile intellexisse denominandi modum peculiarem, quo Christus ab Ioanne *verbum* dicitur. Ephesii scilicet ex *Apocalypsi* Ioannea, ante Evangelium perscripta, & publicata, hoc sibi nomen cognitum atque perspectum habebant, ubi filius Dei *verbum* dicitur *Cap. XIX, 3.* Quo titulo Ephesii nihil aliud intelligebant, quam, filium Dei, legatum esse Dei, omnia pronuntiantem, quae in mandatis a patre habebat, atque ab eo acceperat. Nemo itaque facile mirabitur, quare Ioannes hoc insueto nomine Christum insignolverit, cum pro accepto habebat, Ephesiis hanc rem quam notissimam esse. Ad versum *nonum Cap. I.* Auctor veram Ioannis sententiam de Christo, mundum illustrante, ita exponit: quod Servator Optimus Maximus finem salutarem & optimum sibi, in mundum adueniens, propositum habuerit, omnes homines veritatis luce implere, dummodo omnes voluissent. Sic perstat venerabilis Auctor in sententia sua, ab eorum explicatione discedens, qui de homine quocunque, in mundum veniente, & ab Christo illustrando, haec verba exponunt. Provocat etiam Noster ad antiquam *Lutheri* versionem, aliosque viros doctos, eandem suam sententiam defendentes. Ad *versum 13.* suam defendit versionem, inprimis pulcram, Auctor, & ostendit, quaenam sit diversitas inter homines naturaliter & secundum carnem natos; & inter homines, ex voluntate mariti procreatos: ubi ex historia Abrahami, Isaaci & Ismalis patris, Ioannes, quod & olim iam publice est professus Auctor, res tota explicatur, & ratio inde redditur, quare *αἱμάτων* in numero plurali, non singulari, adhibeatur. Indicantur scilicet duo illa *αἵματα*, ex quibus Ismael & Isaac procreati sunt. Cetera acutus lector facile subolere poterit. In reliquis scribit Ioannes, quod omnes, ex plenitudine Christi gratiam acceperimus, & horum verborum hanc esse sententiam dicit Auctor, quod omnes nos, quotquot vivimus, & vivemus, usque ad finem mundi, ex thesauro eius gratiae, gratiam simus accepturi. Hinc *χάριν ἀντὶ χάριτος* cum Cel. *Deylingio* nostro exponitur, per *gratiam quandam, pro gratia superiori datam.* Ad ver-

Pag. 6. 7. 20. 21. 23. 26. 27. 37.

Pag. 53. versum *tricesimum primum*, cum aliis recte tuetur Auctor, Ioannem quidem Iesum novisse, sed non ut servatorem & Messiam. Hinc sententia Ioannis baptistæ facillime ita explicatur, quod non noverit tunc Messiam, quisnam ille futurus sit, licet Iesum Nazarenum novisset, ut alios homines, de quo-
84. rum dignitate & munere nihil adhuc constaret. Sed pergimus ad *secundum caput*, ubi, ad *versum quartum*, de austeritate Christi in matrem suam agitur. Auctor statuit, Christum, pro muneris sui Messiani more, graviter, non severe quidem, matrem esse allocutum, ita tamen, ut non omnem auxilii spem ipsi exemerit, sed tantum voluerit, ut sibi certissime illa persuaderet, filialem obedientiam hic locum non habere, ubi Maria eadem, qua aliæ mulieres, dignitate reputaretur. Rem omnem ad suum pertinere arbitrium, dicit Christus, hincque
97. neminem auctoritatem suam interponere debere. In sequentibus commode monetur, dicendi rationem *μετὰ τρεῖς ἡμέρας* & *ἐν τρισὶν ἡμέραις*, unam esse eandemque, quia Servator noster de eadem re, utrumque loquendi modum adhibet, nihil aliud inferentem, quam *intra dies tres*; quo tempore se in vitam
111. esse rediturum, Christus prædicit. In *versu secundo Cap. III* non improbabili dicitur ratione, titulum *Rabbi*, non solum iis fuisse proprium, qui dignitate huius nominis a legis peritis solemni ritu formulaque fuerant adfecti; sed quod Iudæi ita etiam appellare soliti fuerint illos, qui pro doctoribus & magistris se gerebant; quod & inter nos, more plebeio, fit, ubi plurimi salutantur *Doctores* & *Magistri*, licet hoc titulo re
115. vera careant. Ex eo, quod *v. 4.* Nicodemus quærit, quomodo homo, adulta & provecta ætate, in uterum matris suæ descendere possit? coniicit Auctor, Nicodemum his verbis se ipsum petere voluisse, & hinc eum tunc temporis provectum
145. ætate iam fuisse virum. Reliqua, de colloquio Nicodemi cum Christo, hic diligenter enarrata, consulto omittimus, ne iusto prolixiores simus. Ceterum minus recte fieri, Auctor venerabilis ad *versum vicesimum sextum* statuit, ex communi sententia, Ioannis discipulos Christi baptismati indignantes haberi; qui potius, quod subintelligendum est, a magistro suo

ſuo erudiri voluerint, num Ioannes a munere ſuo diſcedere, & omnem prædicandi, & flumine ſacro initiandi homines, facultatem, Chriſto in poſterum concedere velit, debeatve? Hoc eſt, quod ſibi poſtulant & exſpectant a Ioanne diſcendum. In *Capite quarto v. 35* ſuam ſententiam, alias publici iuris factam, commutat Auctor, & ita verba Chriſti exponit: Nonne vos, ut, vulgo id fieri ſolet, tempore ſegetis dicere conſueſtis: nunc per quatuor menſium ſpatium, usque ad tempora meſſis, eſt exſpectandum? Ego vero dico vobis: aperite oculos veſtros, & contemplamini, quæſo, turbam illam hominum, ad me accedentem. Hic ager eſt meus, qui iamiam albeſcit, & maturam ſegetem oſtendit. Penes me ſcilicet meſſis, tempus ſegetis e veſtigio ſequitur, & ſic reliqua fluunt. Obſervent hic lectores, quomodo Chriſtus, ex mente Auctoris, ſermonem ſuum a re terreſtri & campeſtri, ad rem cœleſtem & divinam, declinaverit. Videmus hic, Auctorem in poſtremis verbis conſentire cum alio docto quodam viro, verba Chriſti, de campo albeſcente, ad accelerantem & inſtantem turbam Samaritanorum, applicante. Ad *v. 43. & 44.* ſupplet Auctor, ad ſenſum pleniorem conficiendum, verba Ioannis ita: Ieſus ibat in Galilæam, non vero in oppidum Nazareth, in Galilæa ſitum; cauſam interſerens, quod in patria propheta nihili æſtimetur. Ad *Caput quintum* prolixam repetit diſputationem Auctor, de piſcina ſeu lacu *Bethesda*, prope Hieroſolymas, eiusdemque mirabili ægrotos ſanandi facultate. Monetur hic, ſalutarem hancce aquam eos tantummodo ægrotos ſanaſſe, qui vel viſu, vel pedibus, laborarint, aut paralytici fuerint. De hoc ægrotorum genere Ioannem tantum loqui, hiſtoria fatetur. Deinde dicitur, naturalem hanc fuiſſe, ſanandi ægrotos, lymphæ huius potentiam; quam & alii docti viri admittunt. Denique aſſeritur, Ioannem hic ea, quæ de angelo, *Bethesdam* commovente, enarrantur, ex more Hebræorum dicere; vel ea, quæ naturaliter fiunt, angelorum potentiæ attribuentium, vel etiam vires naturales, licet vita carentes, *angelos*, ſ[illegible] legatos Dei, appellantium. Sic v. g. peſtis Aſſyrios enecans *1 Reg. XIX, 35*, *an-*

Pag. 183. 193. 216. 221.

gelus Domini dicitur; morbus atrocissimus, quo Deus Herodem gravissime affligebat, *Act. XII, 23*, *Angelus* Domini peræque appellatur; & huius generis plura suppetunt exempla. Sed falsissimum est, venia Auctoris celeberrimi, Lucam, morbum Herodis, *angelum Domini* appellare. Nec vola, nec vestigium huius rei in literis sanctioribus exstat. Commemorat quidem Lucas, angelum Domini Herodem adflixisse & percussisse, & eum hinc morbum gravissimum fuisse expertum. Vehementer proinde dubitamus, omnes Christianos, ratione præditos, hanc sententiam Auctoris, uti ipse vult, omni ex

Pag. 254. parte esse amplexuros, una cum reliquis, in quibus versionis suæ novas ubique defendit opiniones; quod quidem lectoribus, ad ulteriorem rerum sanctiorum illustrationem, commodissi-

273. mam præbebit occasionem. In *sexto Capite Ioannis* multos

288. exegeticos nodos commode dissolvere studet Auctor, & inter reliqua scite exponit ἔργα Θεοῦ nihil aliud significantia, quam opera, ab hominibus in honorem Dei patrata.

305. A Deo docti, διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, omnes sunt homines, ita scilicet, ut quilibet fateatur, Deum omnes homines per Christum, & suos Apostolos, docere & erudire voluisse; non omnes vero spiritualiter edocti fuerunt, sed sanctiorem doctri-

354. nam multi repudiarunt. Ex *septimo Capite* observamus, Auctorem commode verba Iudæorum *v. 27.* de Messia exponere, ubi scilicet dixerant, se cognitum habere Iesum, & optime scire, πόθεν ἐστὶ, *unde sit?* quasi dicerent, se nosse parentes Iesu, ex quibus ortum suum Iesus haberet. Iam vero

355. Iudæi putabant, ex typo Melchisedeci, Messiam parentes esse habiturum plane ignotos & incognitos *Ebr. VII, 3.* hinc dicebant, Iesum Messiam non esse, utpote cuius parentes

365. noti atque cogniti essent inter Iudæos. *Ad v. 38.* Auctor suam in versione Germanica traditam mutat sententiam,

368. ubi communem interpretum & conversorum arripit expositionem, atque argumentis probat, de fidelibus omnino dici posse, quod fluvii viventis aquæ ex corporibus ipsorum defluant. Provocat hinc recte Auctor celeberrimus ad

369. *Act. II, 16.17.18. Ioel. III, 1. Io. IV, 14. Ies. LVIII, 11;* & probat, omnino hic copiosa Spiritus S. dona significari, quæ scri-

Scriptura prædixerit. Monentur hic lectores, infelicissimam esse interpretationem eorum, qui vocabula καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ad superiora, & non ad inferiora verba, referri volunt, ad quæ ultima necessario pertinere videntur Auctori. In *Capite* Pag. 415.
octavo v. 28. sensus vocabuli ὑψώσητε recte vindicatur, simulque ostenditur, Iudæos Messiam per crucifixionem exaltasse, quo Servator sine ulla dubitatione in sermonibus suis respicit.
In *Capite nono v.* 7. declaratur, ἔρχομαι significare *redire*, ut 481.
ex *Io. XIV*, *18. 28.* constat. Deinde ἐνίψατο ita exponitur, ut non lavationem simplicem, sed abluendi (*abwaschen*) modum
indicet. Ἄνθρωπος vertitur *vir*, non *homo*, *v. 10.* Hinc 482.
corrigitur *Lutheri* & *Batavorum* conversio, verbotenus Græcum textum convertens, per *homo;* quod tamen contem-
tibile sit. In verba Christi *Io. X.* de *bono pastore*, multa & 529.
præclare disputantur ab Auctore venerabili, in quibus etiam ex parte priori de hoc loco sententiæ nuncium remittit, & vale
dicit. Ad *versum vicesimum septimum* notatur, & quidem 543.
commode, *audire* significare *obedire*. Expedita hæc res est. Sed illud Cel. Auctorem commovere debebat, ut verteret verbo, non: *Sie hæren meine Stimme;* sed: *Sie hæren auf meine*
Stimme, *auf mein Wort*. De vocabulo ἐνεβριμήσατο ad *Ca-* 391.
put undecimum v. 33. docte probat Auctor, ipsi significatum tristitiæ & mœroris competere, quod non solum ex aliis scripturæ testimoniis, sed etiam ex re præsenti pateat. Quid vero pluribus recensendis opus est, omnia cum propinare non liceat? Vident admodum clare & dilucide hinc lectores, in eodem tramite pergere diligentissimum *Heumannum*, Auctorem venerabilem, in enarratione Novi Testamenti. Hinc quam maxime optandum est, spem reliquam ut ipse impleat certissime, de iis, quæ adhuc enarranda restant, a nobis conceptam.

URBANI HIERNE, QUONDAM GUBERNATORIS provincialis honorarii, Archiatri regii, & Præsidis Regii Collegii medici, Actorum Chemicorum Holmiensium, Tomus primus, hoc est: Parasceve, sive præparatio ad ten-

tentamina in regio laboratorio Holmiensi peracta, ut & compendiosa manuductio ad elementa & principia chemica rite investiganda, cum annotationibus IOANN. GOTTSCHALK WALLERII, *Phil. & Med. Doct. Chem. Metallurg. & Pharmacevt. Profess. Reg. & Ord. Acad. Imper. N. C. ac Reg. Acad. Stockholm. Soc.*

Stockholmiæ, typis & impensis Laur. Salvii, 1753, 8. plag. 18.

URBANI HIERNE. &c. TENTAMINUM CHEMIcorum in regio laboratorio Holmiensi peractorum, Tomus II, nunc primum in lucem editorum cum annotationibus, IO. GOTTSCHALK WALLERII, *&c.*

Ibid. eod. plag. 11.

Beatus Autor, qui sub finem superioris seculi inclaruit, pro illorum temporum docendi rationibus, phænomena corporum naturalium, in quantum illa chemicis demonstrationibus exponuntur, ad mentem spagyricorum ordinaverat, & pleraque ita dispoſuerat, ut recentioribus, per experimenta frequentius instituta doctioribus, placere omnino non possent. Igitur Clarissimus Commentator, notis perpetuis Auctorem suum ubique illustrat, & recentiora dogmata illis veteribus subnectit.

Sectionis 1 Cap. I de elementis in genere inscribitur, quæ sint entia simplicissima, nec ex aliis, nec ex se invicem conflata, sed a summo creatore ipso producta, ex quibus cetera formentur, inque illa iterum cuncta converterentur, ex quibus deinde nova quoque corpora produci combinarique possint. Hæc elementa ad mentem veterum, Ægyptiorum ac Græcorum, quatuor sunt, *terra, aqua, aer, ignis.* Terra *Cap. II* ele-

elementaris, ſimplex eſt, homogenea, inſipida, inodora, fixa, dura, ob tenuitatem clara ac pellucida, immobilis futura, niſi aeris, ignis, ac aquæ motibus agitaretur. Talis eſt illa, quæ in ſale marino reperitur, omnisque terra vitreſcibilis. Aqua *Cap. III* ſecundum *Carteſianorum* principia, ex tenuiſſimis flexilibusque principiis nata eſt, intercurrentibus variis ſpatiis, quæ lucem admittant transmittantque, unde fit, quod ad plurimarum orgyiarum profunditatem perſpici aquæ & res in fundo ſitæ oculis uſurpari poſſint. Mavult *Scholiaſtes* rotundas eſſe, quam longas & flexiles. Competit illi humiditas, frigus, gravitas. Aere gravior aqua eſt, levior tamen, cum in vapores reſoluta fuit, tunc enim aerem levitate ſuperat, vel æquat, inque illo pendet, ad 5000 paſſuum altitudinem, ſub ſpecie nubium. Congelaſcunt aquæ, fuga aeris, aeris elatere ablato, quanto ad disiungendas particulas opus eſt, vel admixta illis materia aliqua frigorifica. Aer *Cap. IV* ſubtile elementum eſt, leve, compreſſile, omnia implens, per quod ignis ſolaris ad ſublunaria deſcendit, cuius effectus omnes, ab eius *gravitate, elatere, motuque rectilineo*, dependent. Immixtus illi æther eſt: gravior aer, ad radices montium, quam in illorum iugis, eſt, ideo, quod ibi columna atmoſphæræ maior, hic minor ſuſtinenda eſt, hinc inferior aer a ſuperiore condenſatur. Solus autem *æther* ſpatia immenſa inter planetas ſtellasque media replet. A motu aeris rectilineo frigus eſt, ab obliquo calor. Ignis *Cap. V* elementum reſpectu reliquorum penitus ſpirituale ac fere divinum eſt; neque enim ille ignis culinaris, ſed longe alia ſubtiliſſima res, *materia* ſcilicet *lucis*, elementaris ignis eſt. Conſideratur illa materia 1) in puriſſima ſua operatione; 2) in commixtione cum aliis corporibus; 3) ut aliis elementis immixta; 4) ut ſoluta ſuisque vinculis expedita. Monet autem *eruditus Scholiaſtes*, materiam lucis ab illa inflammabili re, quæ ignis eſt, omnino diſtingui oportere. Ipſe ſpiritus animalis noſter ignea eiusmodi materies eſt. Prima ignis materies, ipſius ſcilicet ſolis effluxus, cunctis ſub ſolis vortice contentis, tanquam primum agens, motus imprimit, a quibus diffe-

Eee ren-

rentiæ ſenſibiles corporum, *durities*, *mollities*, *lux*, *tenebræ*, *aliaque*, dependeant. Amat ſulphuris conſortium; ineſt igitur aeri, quatenus & ille ſulphur, laxius, ſpurium, continet; docent, *fulmina*, *fulgetra*, *chaſmata*. Ineſt ignis liquidis ſulphuribus, pici, bitumini, malthæ. Eſt igitur ignis, *cohæſionis*, *ſoliditatis*, *electricitatis*, *phoſphoreſcentiæ*, *fermentationis*, *putrefactionis*, *liquefactionis*, cauſa. Ineſt quoque metallis, maxime ferro. Ex corporibus, quibus ineſt, ſæpe erumpit ſponte; docent experimenta *reguli antimonii cum ſublimato*, *antimonii diaphoretici cum nigro ſapone*, *ſponte accenſis*; Docet oleum vitrioli recens & calx viva, quando his aqua acceſſit. Singulare de influentiis cœleſtibus *Cap. VI* eſt; putat enim Auctor, non tantum a ſole, ſed a reliquis quoque ſideribus, ignem procedere & longe lateque diſiici, præ ceteris autem lunam ſolis materiam in ſe recipere, & ad tellurem ſub variis reſpectibus propagare, qua de re eruditus commentator, modeſte diſſentit, & ad ſeculi, quo hæc ſcripta ſunt, morem omnia refert. De principiis chemicis *Cap. VII* agitur. Principia quidem elementis, magis mixta ſunt, veluti Plutarchus & Cicero hanc vocem accipiunt, attamen, ex uſu loquendi, id, quod elementis crudius eſt, nunc principium appellatur, qua in re circa verba diſſentire velle, eſſet deſipere. Hæc tria, ſunt *ſal*, *ſulphur*, *mercurius*, ad mentem veterum. Recentiores autem, *ait Scholiaſtes*, reiecta omni inter elementa & principia diſtinctione, cum obſervaverint, aquam in terram eſſe mutabilem, ſalque nihil aliud eſſe, quam terram cum aqua iunctam, ad unicum principium, nempe *terram vitreſcibilem*, omnia revocaverunt, atque alterum principium *inflammabile* conſtituerunt, ex quo, cum aqua & ſalibus, ſulphur componeretur. Nec metallis aliquid ſingularis forte ineſt, quod Mercurium appellari oporteret, ſiquidem & metalla ad inflammabilis & terræ vitreſcibilis certam mixtionem recurrunt, id quod in ferro evidens eſt, quod ex limo & oleo aliquo expreſſo arte producitur. De ſale, & primum ſale acido *Cap. VIII* inſcribitur: ſal vel primigenium eſt ac imperfectum, vel completum & corporale. Addit *commentator* ſal, primigenium

nium aliud, quam *acidum simplicissimum*, esse non posse, cum reliqua salia sint magis composita: sal completum in acidum & alcali dividitur. Sal acidum duplex est, *purum* seu *genuinum*, & *essentiale*. Ipsum acidum ex terra adscendit, longe lateque diffunditur, atque sub varia specie, cum variis terris ac pinguibus rebus adunatum, in mixta magis salia concrescit, ut ex metallis acido adunatis vitriolum, ex eodem cum pingui aliqua re maritato pyritæ, & sic porro, nascantur, additque *Scholiastes*, experimentis *Helioth*, ex eodem acido & pingui argillaceo alumen gigni. Alterum acidum sal essentiale est, quod in aere dispersum, *acidum nitrosum* dici posse autumat. De alcalibus, & primo de sale urinoso *Cap. IX* inscribitur.

Alcalia salia sunt, quæ cum omnibus liquoribus acidis effervescunt, eaque, vel urinosa & volatilia, vel lixiviosa seu fixa: volatilia suum in oleosa parte discrimen positum habent, quare etiam salia alcalica fixa, accedente oleo, volatilisantur. Horum causa occasionalis potissimum putredo est, sine qua salia volatilia obtinentur parcius, etiamsi per ustionem quoque haberi possint: ex putredine illa nasci, opinandum haud est, præexistunt enim in omnibus corporibus, tam vegetabilibus quam animalibus, ex quibus deinde proliciuntur. De alcali fixo ac lixivioso *Cap. X* continentur sequentia. Non nisi igne præparatur, reperitur tamen etiam naturale. Constat terra ac pinguedine; facile coit cum pinguibus, estque medium aquam cum illis miscendi. Inest illi materia ignea, quam alcalici salis vis caustica arguit. Inde etiam fit, quoniam alcali terra sitibunda dives est, ut acidum ab illa absorbeatur quam efficacissime, & fortiter retineatur. De acido participant alcalia fixa quamdiu crystallisari possunt, quare *soda* verum alcali haud est, cum ex parte crystallisetur. Sequuntur *Cap. XI* salia composita, quæ ex acido & alcali mixta sint, sal scilicet, *muriaticum*, *nitrosum* seu *calcarium*, & *petrosum*, *armoniacosum*, & *essentiale*. Sal muriaticum, quod etiam commune vel marinum dicitur, ex sale acido, urinoso ac fixo componi, *Auctor* putat, cum igneæ materiæ parca, satis autem magna terræ quantitate. Dissentit *Scholiastes*,

liastes, atque salem hunc vere medium esse docet, ideo, quod ab acido non moveatur, nisi vitriolico, syrupum violarum haud mutet, nec mercurium sublimatum præcipitet. Sal tamen marinus acidi quid ostendit, etiam sine igne, cum chartam cœruleam rubro colore inficit. Sal marinus terram quidem continet, puram, virgineam, vitrescibilem, ast non aliter, quam in quantum alcali subest, cuius natura in terra diaphana vitrescibili ponitur. Equidem sal urinosum, ad mentem Auctoris, sali communi haud inest, potest tamen hoc in urinosum converti. Invenitur illud etiam in plantis, illatum vegetatione, veluti in *Kali Salicornia*, neutiquam vero illis ingenitum. Sal nitrosum seu petrosum *Cap. XII* describitur: Aliud recentius est, ubique parabile; aliud veterum dicitur, *natrum* scilicet, quod nativum invenitur. Recentius illud est, quod ex terra pingui nitraria coquitur, multo sali urinoso, pauciori acido, multo aeri, multæ aquæ, paucissimæ denique terræ, iunctum; generatur ex vario alcali urinoso, cum acidum universale aeris se illi adiunxit, dubio tamen manente, utrum animalis an vegetabilis originis illud sal urinosum dicendum sit, quod nitro gignendo famulatur, cum ad stercora animalium, quæ terram nitrariam fœcundant, hic potissimum respici oporteat, stercora autem ex vegetabili pastu fiant. Discrepat aliquantum *Natrum* veterum, seu nitrum petræ, illud scilicet spontaneum, quod vel ex aquis mineralibus coquitur, vel sponte passim efflorescit. De alcali hoc sal plus tenere, argumento illud esse potest, quod in crystallos non concrescit; ast, urinosum aliqua ex parte istud alcali esse, propterea clarum est, quod mercurium sub albo colore deiicit. *Caput XIV* de sale armeniaco agit, illo scilicet, quod nativum est, & ad Aetnæ ac Vesuvii montis radices nascitur, sulphuri vivo sæpe iunctum, unde phlogiston subesse intelligas. Præterea alcali & fixum & urinosum prævalet acido, quale salis communis est, illi immixti. Sequuntur *Cap. XV* ea, quæ sal essentiale attinent, illud scilicet, quod sua sponte natum, magis tamen compositum est præcedentibus, ac facilius, illis, solvitur, utpote cuius principia laxius cohærent. Incolit potissimum plantas. Pri-

mum

mum, ex quinque, quæ prostant, *tartareum* dicitur. Ex acidi parva ratione, ex plurimo alcali fixo, aliqua urinosi parte, componitur, quæ omnia sub pingui ac terreno involucro hærent. Alcali tamen per naturam inesse, negat commentator, atque illud ex acido & oleo, inter sese iunctis, oriri autumat, cum nulla huius salis indicia, arte, in tartaro observari possint. Alterum sal essentiale, *dulce* est, sub cuius velo acidum ac sal volatile urinosum observatur, licet illud per naturam forte haud adsit, sed ex calcaria aliqua terra, quæ in experimentis additur, atque ex acido & inflammabili proveniat. Ex melle vel saccharo producitur sal subacido dulce: in fructibus per maturitatem ex dulci acescentibus sal aliquod, per essentiam, inest: in herbis denique vario sapore mixtis *varium* aliquod, prouti ipsi plantarum sapores variant, observatur. Post salia de sulphure *Cap. XVI* exponitur. Hoc quando spagyrici nominant, nihil sane aliud, quam quod nunc *inflammabile* dicitur, intendunt, elementum scilicet combustibile, volatile, quod materiam ignis nutrit, vel ipse ignis est. De hoc sulphure, tanquam corporum vinculo, &, certo respectu, motore, multa afferuntur, quæ scholam spagyricorum olent. Sulphuris status quietus est, vel motus: *Quietus, quum materia solaris in pinguedine corporum, tanquam suo centro constituitur, inter reliquas elementorum particulas immotus, occultus, quo tempore subiectum nullam mutationem patitur, sed præservatur a putredine, resolutione, & morte, tumque vocatur balsamus, & vitæ vinculum: motus autem sulphuris status est, cum materia solaris suis vinculis se sensim extricans materiam suam in actum deducit, cuius initium fermentum, continuatio semen est.* Feliciora nostra tempora, quibus sese emancipare, atque ab illa præiudiciorum turbine sese liberare, experimentorum fidelium copia, securitate, & convictione, licuit. Sed fortasse non proferunt meliora, nostri, cum gluten, tanquam vinculum elementorum, ad compaginanda corpora, proferunt? De Mercurio, tanquam primo ente metallico, nil clarius loquuntur de Hermetis schola philosophi. Multi mercurium vivum ipsum, *exponente Commentatore*, putarunt

tarunt, hoc esse principium, unde reliqua metalla originem haberent & generarentur. *Beccherus* & *Stablius* aliquam subintellexerunt terram, quæ metalleitatis principium esset; Auctori mercuriale principium diversum videtur esse in diverso naturæ regno, idemque cum *materia nutritiva*, seu *ex qua*. Alii mercuriale principium intelligendum esse volunt *liquidum quoddam spirituosum*, a quo corpora, mobilitatem, fluiditatem, volatilitatemque haberent. Mercurius sane metallicus sub hac voce intelligi nequit, utpote qui ipse est compositus. *Sectione secunda* a Scholasticis ad utiliora proceditur, & *Cap. I* de solutione ac præcipitatione agitur; quo, quale principium in hoc vel illo corpore præpolleat, intelligatur. Quando compages corporum, interveniente aliquo liquido activo, disjungitur, tunc, cum amicum hoc est divortium, lene, pacabile, *solutio* est; cum inimicum ac tumultuarium, *corrosio* appellatur. Hæc disiunctio elementorum vel *totalis* est, vel *partialis*, nempe *extractio*. Etiamsi autem difficile explicatu est, in quo menstrui, erga solvendum, relatio consistat, illam tamen in mutua ad invicem propensione ac similitudine consistere, Auctor existimat, commentator subscribit; quod solutum est, sui iuris fit præcipitationis legibus, cum vel menstruum debilitatur, vel contraria adduntur salia. Præcipitatio fit vel per contraria, vel per subcontraria. Contrarium est, purum acidum contra purum alcali, subcontrarium est, quod incomplete solvit, e. g. cum alcali non plene restituit, quod sale marino solutum fuerat. *Caput tertium* de præcipitationum speciebus agit. Effervescunt inter se salia, cum unum alteri opponitur, atque ille motus varius est, debilis, velox: proinde & præcipitationum modi variant, pro fervoris, mutationis colorum, ac celeritatis, qua materies fundum petit, conditionibus. Ipsa materies, ad præcipitationis probationem necessaria, *Capite quarto* ordinatur. Inter spiritus acidos discrimen est: spiritus vitrioli purissimum est acidum, spiritus sulphuris vices, cum hic vix genuinus obtineri possit, spiritus vitrioli gerit. Inter utrumque medius est spiritus salis, rite elaboratus. Damnatur ille, qui cum bolo vel

vel terra pingui destillatus est, ideo, quod hæ glebæ de suo aliquid addant. Igitur commendat glebas talcosas, massæ immiscendas, quo spiritus talis censeri possit purissimus. Eadem dexteritate reliquorum quoque liquorum, vel solventium, vel præcipitantium, notæ exponuntur. *Capite V* diagnosis salium & sulphurum per dicta præcipitantia sistitur. Omne genus acidorum cognoscitur, quando id, quod per alcali solutum est, deiicit. Acidum purum cognoscitur: cum facharum Saturni, & omne id, quod salibus essentialibus solutum fuit, præcipitat, cum nigrum atramenti colorem in pellucidum mutat, & una cum cerussa & lithargyrio dulcescit. Alcali cognoscitur, post alia signa, cum solutionem aluminis turbat; speciatim, alcali fixum solutionem mercurii in *rubrum*, volatile autem in *album* colorem præcipitat; sic quoque reliquorum liquorum, vel corporum, quibus immissis solutiones turbari solent, characteres evolvuntur. *Capite sexto* diluuntur obiectiones quorundam, atque his, appendicis loco, curiosissima de coloribus in præcipitatione rite observandis adiicitur expositio, deque calore & ignibus observatio quadrimembris additur.

Alter Tomus tentamina chemica in regio laboratorio Holmiensi peracta continet, in quo, *Tentamine I* de sale ac pingui terrarum; *II*, de duplici formicarum sale, tum acido cum volatili; *III*, de volatili sale urinoso plantarum, sine prævia putrefactione; *IV*, de sale volatili urinoso in regno minerali; *V*, de aucto pondere quorundam corporum post ustionem vel calcinationem; *VI*, de alcali fixi præexistentia in corporibus, antequam comburuntur; *VII*, de acido universali sulphureo, & a quo subiecto purum obtineri possit; *VIII*, de defectu eorum supplendo quæ in patria deficiunt, agitur. Neminem pœnitebit, legisse librum, in quo, sub parvo volumine, universæ chemiæ, tam analyticæ, quam syntheticæ, compendium sistitur; dubiumque superest, an maiores illi qui scripsit, an illi, qui commentatus est, referre debeamus gratias.

SCRI-

SCRINIUM ANTIQVARIUM, SIVE MISCELLANEA Gröningana nova, ad historiam reformationis ecclesiasticam præcipue spectantia. Inseruntur varii generis epistolæ, orationes, biograghiæ, & sim. sive nunquam antea ed tæ, sive ita factæ rariores, ut pro ineditis haberi possint.

Tomi III.

Tomi I Pars I & II, 4, Alph. 2, plag. 3. Tom. II Pars I, Alph. 1 plag. 2½. P. II, Alph. 1 plag. 4. Tom. III. Pars I & II, Alph. 3 plag. 2.

Gröningæ & Bremæ, apud Spandaw & G. W. Rump, 1749, 1750, 1751, 1753, 4.

Quantum referat, documenta, quæ ad veritatis historicæ confirmationem faciunt, sive ex tabulatorum claustris eruere, sive, cum rariora fuerint facta, prelo de novo subiicere, neminem, qui res iusta lance ponderat, fugit. Quod cum secum reputaret vir de re litteraria omni, maxime theologica, meritissimus, cel. *Gerdesius*, constituit, ex divite penu, per partes cum erudito orbe communicare documenta, non ita facile obvia, quæ ad illustrationem historiæ emendatorum sacrorum spectant: tum, quo minutiora scripta, vel nunquam typis exscripta, vel rariora facta, e tenebris in lucem revocaret, sicque desiderium antiquiora scripta legendi denuo excitaret; tum etiam, quod suspicamur, ut ita historiæ reformationis, quam summa cum laude molitur, suppetias ferret. Adpellat collectionem hanc *miscellanea nova Gröningana*, quoniam succedunt in locum, sed via ab illis diversa, *Miscellaneorum Gröninganorum*, per partes publicatorum. In his enim uti exhibuit lucubrationes, quæ ad explicationem litterarum sacrarum, antiquitates, & historiam spectant; ita in his cum primis scripta non magnæ molis sistit, quæ historiæ restauratorum sacrorum facem præferunt, quæque ipse præfationibus præmissis, & subiectis notis, illustrat. Horum argumentum, & unde illa habeat, brevibus referemus.

Vol.

Vol. I. P. I. repræſentatur 1) *Andreæ Bodenſteinii*, dicti *Caroloſtadii*, *vita*, ab ipſo vener. *Gerdeſio* accurate deſcripta ad A. 1521; enarratis ſimul ſcriptis eius, quæ ad illud usque tempus publici iuris fecerat. 2) *Adami Menſonis* orat. *de meritis Principum Arauſionenſium & Naſſoviorum in fœderatam Belgicam.* Recitavit hanc Clar. *Iſingius*, eloquentiæ & hiſtoriarum in Academia Gröningana Profeſſor, d. 3. Sept. A. 1711. cum faſces ſuſciperet, Arauſionenſi Principe, qui in flore ætatis nuper vivere deſiit, biduo ante, ipſis Cal. Septembr. in lucem edito. Pag. 1 - 56. 3) *Guilielmi I, Principis Arauſionenſis*, *epiſtolarum ineditarum biga* A. 1572 & 1573 *præmittitur epiſtola Vliſſingenſium* A. 1572. Scripſit Princeps epiſtolas illo tempore, quo dux Albanus immanem in modum ſæviebat, Belgasque religione & libertate ſpoliare nitebatur. Arma igitur, *Guilielmo* duce, nonnullæ Belgii civitates corripuerant, quo libertatem tutarentur, & religionem, a ſuperſtitione purgatam, ſartam tectamque præſtarent. Sed Guilielmus, neque a milite, neque a pecunia ſatis inſtructus erat, a profugis igitur Belgis, qui Londini cœtum ſacrum formabant, quosque benignitas divina fortunis auxerat, ut ſuppetias ſibi ferrent, petit. Epiſtolæ idiomate belgico ſunt ſcriptæ, ex quibus egregia optimi Principis indoles, & flagrantiſſimus ardor ſalutis publicæ promovendæ apparet. 56 - 84. 4) *Ioannis Naſſavii, gubernatoris Gelriæ, litteræ ad cœtum Emdanum* A. 1579 *una cum Emdanorum reſponſo.* Cum reformati in Gelria, cui præerat *Ioannes*, graves exiſtere inciperent pontificiis, atque hinc mutua odia, eaque gravia, exorirentur, Princeps autem in mitiores partes inclinaret: ſententiam miniſtrorum Emdanorum eſt percontatus, qui pie ac prudenter reſponderunt, a religione vim omnem abeſſe debere, adeoque pontificios in religionis exercitio turbandos non eſſe. Principis epiſtola, nondum edita, eruta eſt ex bibliotheca *Iſingiana*, & ſcriniis *Altingianis*, reſponſum iamdum in lucem fuit protractum, cura illuſtr. *Heinſii.* 85 - 102. 5) *Reformatarum in Belgio eccleſiarum epiſtola apologetica, ad, & contra auctores libri Bergenſis, dicti concordiæ*, A. 1579. *ſcripta*, ex *editione, & cum notis Lud. Ger.* a *Reneſſe*. Auctor eſt vir illuſtris 103 - 120.

 Petrus

Petrus de Loyselear, qui *Guilielmo I* erat a concionibus & consiliis sacris, eam nomine ecclesiarum Belgicarum direxit ad auctores libri concordiæ, a quibus multis precibus contendit, ne integras ecclesias, non auditas, vel damnent, vel iniquo præiudicio gravent. Prodiit primum A. 1579, 4, sed illa omnium fere oculis se subduxit, conversa tum in Belgicum, tum Germanicum idioma; recudendam deinde curavit *Ludov. Gerb. Renesse*, Theologus Bredanus A. 1651. notis quibusdam instructam, sed & hæc editio ita rara est facta, ut dudum frustra quæsita, nunc repetatur, non nullis observationibus additis.

Pag. 121-200. P. II. continentur: 1) *Franc. Iunii, Theologi Leidensis, vita ab ipsomet conscripta*. Prodiit primum cum præfatione *Paul. Merulæ* A. 1594 vivo adhuc *Iunio*, inde præmissa operibus eius, unde illam depromsit Vener. Editor, Iunii effigiem præmisit, vitam in paragraphos distinxit, quæque *Gomarus* de placido ipsius obitu in orat. funebri dixerat, addidit, & indicem scri-
201-269. ptorum subiunxit. 2) *Franc. Iunii epist. ad Io. Marguinum*, quaternio. Erat hic V. D. in cœtu peregrinorum Belgarum apud Londinenses minister. Nactus est illas Editor ex tabulario ecclesiæ huius, ex quibus cum primis attentionem meretur II, qua quæstio disceptatur, *an fidelium infantibus, ut ipsis adul-*
270-280. *tis, sit ministranda cœna domini?* 3) *Epistolarum, ad exordia reipubl. Belgicæ facientium, pentas*. Et hæ primum prodeunt ex tabulato Londinensi, omnes, excepta IV belgice scriptæ, ex quibus facies reipubl. illius temporis perspici, & quo animo *Guilielmus* in religionem puriorem fuerit, intelligi potest.
281-298. 4) *Ubbonis Emmii ad Petr. Scriverium epistolarum Decas*. Omnes, si secunda excipiatur, directæ sunt ad *Scriverium*, quas
299-309. ex αὐτογράφοις primum exhibet. 5) *Elberti Leonini ICti oratio habita Antverpiæ* d. 25 Nov. 1579. *in conventu Statuum generalium*. In oratione urget illa, quæ periculosis istis temporibus necessaria erant maxime, petita ex *centuria conciliorum* ipsius, publicata Arnh. 1656. 6) R. P. *Gerb. Busdragii*, in
310-318. episcopatu Patavino suffragenii, epist. ad illustriss. & reverendiss. D. D. *Franciscum*, Cardinalem Pisanum, de *ratione, qua præ-*

scr-

servari possit Italia, ne Lutheranismo inficiatur. Cum tormentis ac cruciatibus incremento religionis emendatæ obex poni non possit, suadet, ut Pontifex interdicat, ne quis ex Italis Germaniam, neque ex Germanis quisquam Italiam adeat. Quis ille *Burdragius* sit, se ignorare fatetur; epistolam repetit ex *Ioach. Ursini*, Hispanicæ inquisitionis & carnificinæ secretioribus, in lucem emissis A. 1611, libro rarius obvio. Habetur non nullis suppositiitia. 7) *Petrii Villerii & Io. Taffini responsum de pace religionis cum pontificiis ineunda.* Item *de restituendis templis, quæ per tumultum pontificiis sunt erepta.* Est responsoria ad epist. *Ioannis Nassavii de negotio religionis in Gelria*, quam in Supp. memoravimus, extracta ex *actis Gelricis sub Ioannis regimine* MS. Subiiciuntur nova litteraria. Pag. 319 - 328. 328 - 342. 343 - 375.

Tom. II. P. I. 1) *Herm. Kersenbræck belli Monasteriensis contra Anabaptistica monstra gesti descriptio, carmine heroico facta.* Editum est opusculum hoc Colon. 1545, 8, sed quoniam magnæ est raritatis, Lib. I. hic typis iterandus fuit, alter sequenti parti inseretur. Auctor motus istos infelices haud invenuste describit, infestum tamen passim in purioris religionis confessores animum prodit. 2) *Bernh. Rothmanni*, Stadlonensis, ecclesiastæ ad D. Mauritii Monasteriensis, *epitome confessionis fidei* A. 1532. Hic post erroribus anabaptisticis se inescari est passus; quo autem tempore hanc vulgavit confessionem, protestantium doctrinæ, quod ex illa liquide adparet, erat addictus. Iterata est ex libro *Kersenbræckii.* 3) *Epitome quorundam abusuum, qui in ecclesiam irrepserunt atque ad tempus usurpati sunt, Senatui, tribunis, mechanicorum magistris civitatis Monasteriensis, per evangelii ministros conscripta oblataque* A. 1532. Et hæc profecta est a *doctoribus Monasteriensibus*, cum nondum pestiferis erroribus essent infecti. Quæ subiicitur *determinatio ordinis theologici Coloniensis, super articulis illis Monasteriensibus*, rem non rationibus, sed conviciis agit. 4) *Consilium theologicum, quibus mediis, verbo Dei consentaneis, ditioni alicui consuli possit, ut quoad religionem subditi, tam qui catholici, quam qui reformatæ religionis vocantur, in pace vivant.* Hoc habet relationem ad illa, 377 - 403. 403 - 418. 418 - 424. 424 - 431.

illa, quæ P. I. & II, Tom. I, habentur; profectum fuisse videtur a *Guil. Feuguerao*, ex primis academiæ Lugdu-
Pag. 431 - nensis Theologis. 5) *De Io. Calvini institutione religionis*
450. *christianæ historia litteraria.* Hæc dissertatio agnoscit Auctorem cel. *Gerdesium*, qua de præcipuis illius editionibus, potissimum rariore illa, Argent. 1539. fol. impressa, quæ nomen *Alcuini* præfert, curatius differitur, itemque de eiusdem versioni-
451 - 477 bus. 6) *Io. a Lasco epistolæ*, quotquot adhuc indagari potuerunt. Hæ numero XXI. partim luci primum dantur, partim ex bibliotheca Bremensi, partim ex collectione epistola-
477 - 542. rum, a *Gabbema* facta, sunt transsumtæ. 7) P. *Marnixii* ad *Th. Bezam epistola*, & huius ad eam *responsio* A. 1566. desumta ex *Bezæ* op. Tom. III. fol. 206 seqq. Spectant hæ
542 - 554. *Sebastianum Francum*, eiusdemque opiniones. Sequuntur
554 - 568. nova litteraria.

Tomi II. P. II exhibetur 1) *Herm. Kersenbrœckii carminis de bello Monasteriensi*, rari admodum, liber II, notulis quibusdam a Cel. *Gerdesio* illustratus, primus fasciculo proxime superiore legitur. In hoc historia luctuosi illius belli pertexitur, urbis Monasteriensis nempe obsidio, expugnatio, cædes factiosorum, & supplicia de primipilis sumta, ordine per-
569 - 604. censentur. 2) *Nassavicarum regionum reformatio sub illustriss. Comite Gulielmo.* Auspicia sacrorum, in terris Nassauicis emendatorum, ab his, qui res in ecclesia per illam tempestatem gestas victuris chartis commiserunt, silentio prætermissa sunt. Memoratur igitur, Guilielmum iamdum A. 1530 doctrinæ emendatæ favisse, ac A. 1535, fœderi Smalcaldico accessisse. In repurganda doctrina usum esse opera *Er. Sarcerii*, cuius etiam effigies, affabre picta, repræsentatur. Ante hunc tamen, idem saxum volvit *Helmannus & Crombachius*. Moderante Sarcerio A. 1538. Synodus est celebrata, qui ipse etiam huius, pariterque visitationis acta, edenda curavit, ex quibus
605 - 619. præcipua momenta excerpuntur. 3) Epistolæ *Io. a Lasco* ad varios, num. XLIII. In his plurima quidem sunt, quæ domesticum ipsius statum respiciunt, occurrunt tamen etiam quæ ad statum ecclesiæ illius temporis ac doctrinam pernoscendam faciunt.

faciunt. Melanchthoni, dum bello omnia turbarentur, suasit, ut cum suis ad Emdanos concederet. Sententiam de coena domini ad reformatorum mentem exponit epist. 31. Ad *Thom. Crammerum*, epist. 43. scribit de consessu in sacrae coenae administratione, de pane cibario adhibendo, de vestibus denique ecclesiasticorum. Doctrinam Osiandri de iustificatione, illiusque institutum, scribendi adversus Academiam Vitembergensem, non probat. Epist. 49, directa ad *Christianum III*, Daniae regem, queritur, quod sibi cum suis navibus exscendere, perque hiemem in Dania vires, mari & vento fractas, reficere non licuerit, culpam in Theologos coniiciens. Res reformatorum in Polonia melius se habere incipere, & regem Daniae dolore tactum, quod cum suis propulsus fuerit, tutum hospitium, si redire velint, pollicitum, memorat Epist. LIV. Laetitiam suam de felici in Polonia reformationis progressu, *Sigismundo* regi testatur, eidemque libellum, quo rationem ministerii ecclesiastici delineaverat, submittit Epist. LVII. Sequenti Epist. LVIII. Poloniae proceribus laetos in profliganda superstitione progressus gratulatur, simul monet, ut prudentia utantur. Epist. LX Senatui Francofurtano suam de sacra coena sententiam exponit, eamque ab Augustana Confessione alienam haud esse, declarat. Quam benevole Vitembergae, dum illam, patriam Poloniam petiturus, transiret, a Melanchthone, totaque Academia fuerit exceptus, & quod consilium de religionis controversiis componendis inierit, fuse persequitur Epist. LXIII Subiiciuntur litteraria nova.

Pag. 633. 636-641. 656-670. 678. 682-695. 702-703. 709-714. 714-721. 725-728. 736-743.

Tom. III. P. I continentur: 1) P. *Martyris Vermilii Florentini vita*, per *Iosiam Simlerum*, Tigurinum, conscripta, & Tig. A. 1563, 4, operarum formis descripta; post *Melchior Adamus* vit. theol. exter. pag. 13-32. edit. Francof. ad Moenum, eandem repetiit, qui praeterea epigramma Bezae in illum, & carmen a se factum, quo descriptionem librorum ipsius sistit, subdit. Ex hac, status religionis in Italia illius aevi pernosci potest, digna proinde, quae de novo repeteretur. 2) *Epistola Io. a Lasco ad Senatum regni Polonici*, cui libellum de forma ministerii ecclesiastici destinat, sacrorum emendationem 1-60.

suadet, & urget, obiectiones, ab adversa parte factas, diluit, & qua via, absque turbis & seditionibus, opus emendationis suscipi debeat, docet. Eiusd. epistola ad regem Sigismundum, cui significat reditum in patriam, seque defendit a clandestinis susurronibus, qui ipsum & suos apud regem criminabantur, quasi contra maiestatem regis, ac reipublicae incolumitatem, aliquid machinarentur. Speciatim de *Aloisio Lipsmano*, oratore pontificio, queritur, qui ipsum haereseos publice postulaverat, cuius mores vivis admodum coloribus depingit. Regem hortatur, ut, misso cultu superstitioso, Deum integro animo colat. 3) Epist. *Phil. Marnixii de Aldegonde* ad *Petr. Delrenum*, V. D. M. Londinensem, qua motus, qui ob duos V. D. M. igni condemnatos Valentiae fuerant exorti, enarrat. 4) *Actio, processus, & articuli, contra D. Io. Borthwichum, Scotum equitem* auratum A. 1561. Hic Borthwichus haereseos insimulatus, in ius vocabatur, igitur ut vitae periculum evitaret, clanculum aufugit. Quo facto, adversarii, auspice *Dav. Betonio*, praesule Sant-Andreano, articulos contra ipsum consignarunt, absentem tanquam haereticum condemnarunt, bona eius publicarunt, ipsumque in effigie combusserunt. Quos articulos simulatque conspexit, apologiam contexuit, quae hic ex *Foxii* commentariis tota repetitur, ac errores refellit v. c. de primatu Pontificis Romani, indulgentiis, simonia, coniugio ecclesiasticorum, iurisdictione clericorum in civilibus, canonibus ecclesiastis, recentioris aetatis, in emolumentum clericorum excogitatis, religiosorum instituto divinae institutionis experte, & quae huius generis sunt alia; de quibus omnibus accurate & solide disputat. 6) *Acta disputationis Londinensis* d. 18. Oct. 1553. *ex mandato Mariae reginae instituta*. Maria, simulac solium regium conscendit, totis viribus id agebat, ut reformatio, quae haud exiguas vires sumserat, supprimeretur, & papaea religio revocaretur. Ne vero videretur id vi & armis agere, sub eius auspiciis Londini in aede S. Pauli disputatio haec fuit celebrata a d. 18. ad 30. Oct. quam post in literas misit *Valerandus Pollanus*, tum temporis peregrinorum ecclesiae V. D. M. post Francofurti ad

Marginal notes: Pag. 61-118 (at "cipi debeat"); 119-125 (at "tem, aliquid"); 125-134 (at "animo colat"); 135-137 (at "rat. 4)"); 137. 138 (at "titur, ac errores"); 138-163 (at "alia; de quibus").

ad Mœnum, qui huic interfuit, quamque post A. 1554. formis octavis a Typographo describendam curavit. Scriptum hoc, rarius obvium, iteravit S. Vener. Editor, & hoc ipso optimam ab harum cupediarum amatoribus gratiam iniit. Septeni ab utraque parte evangelicorum & pontificiorum fuere commissi. Quæstiones, de quibus auctoritate regia disputatum fuit, fuerunt: 1) num in sacramento eucharistiæ, post sanctificationem panis & vini, tota illorum substantia evanescat, transmutata in corpus & sanguinem Christi? 2) An in eucharistia corpus naturale Christi revera corporaliter adsit præsens, sive per transsubstantiationem elementorum in corpus & sanguinem, sive per coniunctionem, (ut loquuntur,) concomitantiæ? Ex omnibus illis, qui cum pontificiis in certamen descenderunt, pulcerrime stetit *Io. Filpotus*, Archidiaconus Vintonienses, qui acute & solide disputavit, suosque adversarios ita constrinxit, ut, quod responderent, non haberent, sed potius conviciis eum obruerent, & carcerem minarentur.

In Tom. III. P. II. habentur: 1) *Balei Carsennæ Hylandri* orat. *de pacanda & componenda republica, ad Belgas*. Nomen auctoris est fictum, quis autem sub illo lateat, non constat, prodiit A. 1585, 8. Oratio est gravis, satis tersa, & emendata. In mala, quæ rempublicam premebant, inquirit, & quibus remediis ipsa illa averruncanda sint, ostendit. Improbat cultum crucis, sanctorum, reliquiarum, detestatur sacrificium missaticum, invehitur in merita, tum propria, tum aliena, pugnat adversus indulgentias, ridet ignem purgatorium, lectionem & scrutinium S. Scripturæ commendat, ineptias transsubstantiationis demonstrat, queritur de sævissimis vexationibus, quibus intra 50. A. centum millia in Belgio trucidata fuisse adseverat. 2) *Nic. Radzivilii & Aloysii Lipomani* epistolæ amœbœæ: *Nic. Radzivilius*, dux Olicensis & Niesviensis, qui cum multis virtutibus, & in rem publicam meritis, emineret, sua auctoritate fecit, ut religio emendata, cui addictus erat, per regnum Poloniæ & Ducatum Lithvaniæ stabiliretur & diffunderetur. Hoc ipsum ægre ferens *Aloysius Lipomanus*, cui datum erat, commodis curiæ Romanæ.

Pag. 163-198. 201-300.

manæ invigilare, litteras ad ipsum dedit, quibus eundem est dehortatus, ne ab avita religione deflecteret, ac novatoribus, sive potius, uti adpellat, hæreticis, aures præberet, sicque se & alios in extremum exitium præcipites daret. Ad litteras has Optimus Princeps mascule respondit, veritatem nec celavit, nec palliavit, falsitatem contra religionis pontificiæ, per præcipuos illius articulos eundo, demonstravit. Quisquis illam legerit, agnoscet, heroes fidei, ex illis, quos providentia divina in sublimi loco posuerat, non defuisse puriori ecclesiæ nascenti, & horum auxilio ipsam illam firmatam ac prolata-
Pag. 300. tam fuisse. 3) Epist. *Io. Aurifabri*, ecclesiarum Prutenicarum per
349. Sambiam antistitis, ad *Petrum Paulum Vergerium*, episcopum quondam Iustinopolitanum, qua multis verbis ingenuam & alacrem illustrissimi *Radzivilii* confessionem dilaudat, &
350-355. quod illam publicaverit, Vergerio gratias agit. 4) *Virilii Musæi*, sive, qui sub hoc nomine occultare se voluit, *Andreæ Tricesii*, *elegia de* S. S. *Evangelii in ditione Regis Poloniæ post revelatum antichristum origine, progressu, & incremento*. A. 1556. Tricesius hic fuit eques Polonus, multarum linguarum peritus, poeta præstantissimus, fato præcipitato vivis exemtus, qui hoc carmine viros, natalium & dignitatum splendore inclutos, sacris purioribus addictos, deque iis optime me-
355-376. ritos, celebrat. 5) Nova litteraria. Chartæ & typorum nitor
377-390. est idem, qui in superioribus fasciculis fuit. Venerandum Auctorem publico nomine rogamus, ut in huius generis opusculis communicandis strenue pergat.

A. G. KAESTNERI ADDITIO, AD THEOREMAtis COTESIANI, cuius demonstrationem in Actis hisce Mens. Ian. A. 1749. exhibuit, Corollarium I.

Cum, quæ ab aliquo tempore de theoremate *Cotesiano* scripsi, Actis inserta, relegerem, visus mihi sum in hoc Corollario dubii aliquid reperire; quod ut exponam, solutionemque addam, e re esse iudico: cum id, & ad ea quæ tum dedi

dedi confirmanda ſpectet, & aliis illuſtrandis inſerviat. Eſt vero quam mihi ipſi formavi obiectio talis: Punctum Ω (fig. 4), ſumitur immediate poſt lentem primam. Aſt formula *Halleiana*, cui theorema *Coteſianum* innititur ſemidiametros lentis, nec non puncti radiantis & puncti eius ad quod radii, refractione lentis, coguntur, a lente diſtantias, tantas eſſe ponit, ut præ illis craſſities lentis evaneſcat. Iam oculo ſtatim poſt lentem poſito craſſities lentis, præ oculi, hoc eſt puncti concurſus, a lente diſtantia, ne quidem tolerabili errore, (nam errorem in hoc negocio ſemper ſcientes volentesque committimus,) negligi poſſe videbatur, quod quidem in eam nos inducere poteſt ſuſpicionem, non licere theorema *Coteſianum*, ad oculum lenti ipſi proxime admotum applicare. Quæ pro tollendo hoc dubio dici poſſunt, his abſolvuntur: Punctum l, unde divergentes, vel ad quod convergentes radii, in oculum, tum in O, tum in Ω poſitum, incidunt, eſt puncti L per omnes lentes formata imago, cuius poſitionem patet a ſolis lentibus, neutiquam ab oculi poſitione pendere. Igitur ſi quæratur puncti p diſtantia a lente ultima, & rectæ pl magnitudo, a quibus duobus puncti l poſitus pendet, modo in Cor. cit. oſtenſo, per rectarum $O\Lambda$, $\Omega\lambda$ interſectionem, certum eſt, has quantitates iis formulis expreſſas nos habituros, quas neque Ω, neque, O puncti poſitus ingrediatur. Ergo, ſi fingatur oculus lenti primæ proxime admotus, ut Ωp ſit æqualis diſtantiæ puncti p a lente prima, habebitur verus huius diſtantiæ valor, non quaſi applicari poſſet theorema *Halleianum* oculo lenti proxime admoto, ſed quia valorem illum, diſtantia oculi lente, plane non ingreditur. Cum ergo idem valor prodeat, qualiscunque oculi a lente diſtantia adhibeatur, talem adhiberi, ad quam transferri nequeunt theorematis *Coteſiani* principia, nil vetat. Huiusque animadverſionis uſus eſt in aliis etiam, ubi videntur propoſitiones quædam caſibus ſub iis non contentis applicari, reperient enim qui maiori tunc attentione utuntur, non ex his propoſitionibus, ſed aliunde concluſionem deduci, etſi brevitatis ſtudio ad eas propoſitiones provocetur. Mihi

Ggg tamen

tamen non probatur brevitas evidentiæ nociva, nolimque, cum mathematici in hoc, reliquis qui eruditi vocantur omnibus præstent, ut *errare* non possint, eos, disputationibus non de *veritate* enunciatorum suorum, sed de *demonstratione* admissis, ad litigatores illos reliquarum doctrinarum magistros descendere.

Scheda hæc cum iam prodit, licentia adiiciendi quidpiam illi, si quid haberem, conceditur. Hac vero ita uti libuit, ut demonstrationem Corollarii I. exhiberem, quæ post mihi subnata est, nulli omnino dubio obnoxiam. Fingatur in *fig. 4* ad dextram puncti p situm esse A *fig. 1*, seu imaginem ultimam pl cadere inter lentem ultimam & oculum. Erit $Op = OA - Ap$. Iam $Op. PL = O\Pi. pl.$ Ergo $(OA - Ap). PL = O\Pi. pl.$ In hac æquatione, cum solus oculi situs variabilis sit, formetur eius differentialis, positis constantibus quæ ab oculo non pendent; est $PL. dOA = pl. dO\Pi$. Iam in formula prima *n. 6.* dicatur columna $I = K. OA$, $II = L$ erit tertia $= - OA. L : a$ seu $O\Pi = OA. K + L - OA. L : a$ cuius æquationis differentialis, solo oculi situ mutato fit $dO\Pi = \left(K - \frac{L}{a}\right). dOA.$

quo valore substituto est $PL = pl. (K - L : a)$ & hinc redeundo ad primam æquationem $Ap = L : (L : a - K)$. Ita habetur ultimæ imaginis (vid. finem demonstrationis theorematis l. c. proxime ante Cor. I.) pl distantia a lente oculo proxima, quæ hic versus oculum cadere sumta est. Igitur si eius valor negativus in applicatione ab exemplo prodeat, cadet ab A versus obiectum, seu lens posita erit inter imaginem & oculum.

Sic habetur locus imaginis, & adeo dato situ oculi *distinctio apparens*, quia obiectum PL oculo apparet per lentes eo modo, ut nudo appareret pl. Plerumque ponitur oculus obiecta remotissima distincte visurus. Pro eo ergo debet esse $Ap = \infty$ unde $L = a. K$ unde fluit Coroll. 2. Sed hæc omnia

omnia iam uberius persequi non vacat. Explicantur vero fusius in optices quodam systemate, quod elaboravi, nundinis autumnalibus anni currentis 1754, ut spero, prod turo.

SAMUELIS CHRISTIANI HOLLMANNI, LOG. Met. & Theol. nat. P. P. O. in Acad. Gœtting. & Societatum reg. Londin. & Gœtting. membr. Iurisprudentiæ naturalis primæ lineæ. Operis maioris prodromus.

Gœttingæ, apud Abr. Vandenhoek viduam, 1751, 8. Plag. 21.

Qui ad ius naturæ litteris consignandum adpulerunt animum, sunt vel suffragatores, vel suo pede incedentes. Illi, vel cæcam obedientiam verbis antecedentium addixerunt, vel passim suis viderunt oculis. In altera classe, inter eos scilicet, qui rationes suas ipsi ducunt, Cel. Auctor nomen suum profitetur. Compendiorum scriptores habent id, unde repudientur, vel laudentur. Qui ius naturæ tractarunt, amplexi sunt vel moralitatem quandam internam cum Stoicis ac Scholasticis, vel moralitatem externam. Illa nititur habitudine rerum naturali, ad salutem nostram vel damnum relata, siquidem adpetimus id, quod nobis videtur bonum; atque aversamur mala. Actiones igitur nostræ sunt naturaliter vel bonæ vel malæ, ob libertatis nostræ vel usum vel abusum, in actionum consectariis elucentem, certe se prodentem. Moralitas igitur interna & constituitur his consectariis, quæ ex natura actionum nostrarum moralium, vel per sese, vel intra momenta ipsis circumstantia, consideratarum, proficiscuntur. At, quia & nostra, & universi natura a Deo exstitit, & pendet, intelligitur facile, moralitatis illius internæ auctorem esse Deum, atque ideo eam simul esse externam, quia nititur voluntate Dei sanctissima atque optima; Dei, qui hominum felicitatem serio adpetit, & amplificare studet. Non adparet ratio, cur ad moralitatis internæ vocabulum exhorrescamus, vel eos errare putemus, qui dogmata algebraica de-

monſtrari poſſe contendunt *independenter* a theologia naturali, nec tamen hanc eunt ſublatum. Si qui vocabulum *moralitatis* coercent, ac ſoli externæ tribuunt, ii non de re, ſed de vocabulo diſſentiunt. Quid ſentiat Cel. Auctor de patronis internæ moralitatis, Grotio, Wolfio, Bülfingero, Thümmigio, Canzio, Dariefio, id in præfatione indicat, ratus, ab his dogma Stoicorum, quos ideo reprehendit, reſuſcitatum fuiſſe. Addit ipſe, de I. I. Burlamaquii *iure naturæ* ſententiam ferens: *ius proprie dictum, eſt complexus legum proprie ſic dictarum;* at hæ non dantur ſine legislatore communi. Non omittit, ex moralitate interna haud fluere perfectam obligationem, nec huius umbram diutius locum inventuram apud alios, quam quousque hi ad commoda, vel incommoda, ex actionibus ſuis fluentia, reſpexerint. An id ipſum ad moralitatem quoque externam quadret, iudicent alii. Auctori viſum fuit tradere officia iuris naturæ, quæ hominibus *ex debito*, & ob legislatoris voluntatem, ſunt obeunda. Nec negandum eſt, nihil doctrinarum iuris naturæ eſſe, quin inde deduci facillime queat. Dedit hoc loco inſtituti huius Auctor Cel. ſpecimen, plura ac uberiora in maiori opere daturus. Hæc ad præfationem. Procedimus ad rem ipſam. Tractationi iuris naturæ præmiſſa ſunt *prolegomena* haud unius generis. Priori loco adparent *philoſophiæ practicæ generatim conſideratæ prolegomena;* poſteriori *iurisprudentiæ naturalis prolegomena.* Per hæc duo atria ad primas lineas patet aditus. Hæ conſtant ſpatio, per duas Partes protracto. Priori libro diſſeritur de iure, lege, eius cognitione, & orta inde obligatione, nec non capite poſteriori, *de iure naturali eiusdemque exiſtentia, indole vera, & cognoſcendi principio.* Poſteriori parte exponuntur officia hominis erga ſemet, & alios. Hæc vero poſterioris generis officia bifariam conſiderantur, vel extra relationis notam, vel intra ſtatum hominum hypotheticum, e. g. dominii, ſervitutis, translationis iurium, occupationis bellicæ, poſſeſſionis, pretiorum, commerciorum, munerum, dignitatum, contractuum. Specialiora ſunt præterea officia, & iura hypothetica propria; nam illa erant communia. Hypotheticis propriis inſeruntur officia, in ſocietatibus

bus minoribus peragenda, immo in societate civili obeunda, cui
præsunt parentes, vel potius ex diuturno iam ævo passim
supremi Domini, seu *Imperantes*. Ad hanc enim spectant
Imperantis in sibi subditos, horumque in *Imperantem*, ac civium
erga cives, mutua officia. Ex hisce linearum lineis, nihil
hic esse omissum, facile perspicitur. Nunc delibabimus ex
opere ipso selectiora, & ea, quæ aliis videbuntur esse vel nova,
vel paradoxa. Prolegomena priora exhibent historiam phi-
losophiæ moralis, vel potius operæ philosophorum, ad illam
excubantium. N. H. Gundlingius, in *historia philosophiæ mo-
ralis* P. I. differere constituit de Ægyptiorum ethica & iure
naturæ. At corvos delusit hiantes. Meliora & copiosiora Pag. 12.
sunt, de vetustioribus Ægyptiis, quæ Cel. P. E. Iablonski in
Prolegomenis ad Pantheon Ægyptiorum dedit. Inter Indorum
Braminas fuisse philosophos morales haud contemnendos,
patescit ex libro, *der begeisterte Bramine*, dummodo ei nihil
fuerit admixtum calami recentioris ope. Tzinarum philoso-
phia moralis est simplex, & magis ad decorum, civile ac po-
liticum, quam ad mores hominum funditus emendandos,
comparata. In libris eorum classicis, officia hominum in
homines *cosmopolitica* desiderantur. Pythagoræ in Ethicam
merita fuerunt magna. Eodem elogio ornatur Socrates. 15.
Cynici ad animi tranquillitatem monstrare studuerunt viam.
Eorum placita expolierunt Stoici. Stoicorum, Epicuri, Ari-
stotelis decreta, ad philosophiam moralem referenda, recen-
suit Noster. Epicurus, omne ius naturæ, e circulo scientiæ 20.
suæ moralis proscripsit. In Ethica primorum religionis
christianæ doctorum, maculæ pellucent haud paucæ. Bar- 25.
beyracii ac Ceillieri in controversia id pernotuit potissime.
Aristotelis doctrinam, invito Luthero, evexit Philippus
Melanchton. Hugo Grotius fundamenta nova disciplinæ
moralis iecit, quæ dispersa latuerant antea in ethica, politica,
œconomica. Aristotelis Ethica non spectat ad animos emen- 29.
dandos, sed est modo pars politices isagogica, eaque confusio-
ne laborans: siquidem Aristoteles, dari in ethicis doctrinis
demonstrationes, ex principiis ductas, negavit. Christianus

Thomaſius diſtinxit primus ſolidiſſime *iuſtum*, *honeſtum*, ac *decorum*. Sunt tamen, qui diſciplinas tres practicas, inde
Pag. 34. hauſtas, in unum chaos rurſus refundunt. Cel. Cantzii auctus diſciplinarum moralium numerus Auctori diſplicet, licet inibi deſideretur *philoſophia cerimonialis*. Ex Prolegomenis
40. poſterioribus hos cape, Lector, floſculos. *Ioannes Oldendorpius*, ICtus Germanus, prima ſcientiæ iuris naturæ poſuit fundamenta, in *Iuris naturalis, gentium, & civilis iſagoge*, edita Colon. 1539, 12. ipſe tamen æque ac *Nicolaus Hemmingius*, notitiam legum naturalium ex decalogo hauriendam eſſe ſuaſit. *Grotius* omnes antecedentes ſuperavit. *Hobbeſii* compages doctrinæ, in Libro *de Cive* obvia, quæ per compendium repetitur, ad avia abducit. *Sam. Puſendorſii* merita ſumma ſunt. *Chriſtianus Thomaſius* primo amplexus fuit
46. partes Puffendorfii, & huic *leges poſitivas univerſales* adiecit. Poſtea, pro ſua animi mobilitate & inconſtantia, ſibi effinxit longe alia iuris naturalis fundamenta, quibus quadrata rotundis in hac iuris ſcientia miſcuit. Sic Cel. Auctori viſum, qui paulo poſt ſubiungit L. B. *de Cocceii* ſyſtema doctrina-
50. rum iuris naturæ. Tum vero a *regula* incipit, ac addit, legem eſſe regulam, a ſuperiore quocunque profectam. *Ius* adpellat, legum plurium complexum, vel legem proprie dictam. Quod *lege* permiſſum eſt, vocat *licitum*. Obligatio externa in internam reſolvitur tandem, ſiquidem nemo propriæ ſaluti nuntium remiſit. Actio, ad quam agendam vel omittendam lege qualicunque obligati ſumus, *officium* adpellat. Actio moraliter bona eſt ei, quæ legi convenit. Moralitatem in-
55. ternam, ſeu obiectivam, tollere ſtudet. Actionum cum lege convenientiam vocat *iuſtitiam*. Omittimus iuſtitiæ ac legis diviſiones. Peculiares leges permiſſivas in fictionibus habet, ſiquidem lex vel præcipit, vel vetat. Lex eos non obligat, quibus non eſt promulgata, & ſuperioris iuſſu cognita. Iudicium, de actionibus noſtris, ad legem certam relatis, inſti-
61. tutum, vocat *conſcientiam*. Conſcientia *cauteriſata*, & *dubia*, eſt effectu ipſo nulla. Coactionem hominis adverſus conſcientiam eius erroneam, vocat *inſanientem zelum*. Imputatio-

tionis essentiam ponit in eo, ut actio aliqua sit vel fuerit in potestate agentis. Repetimus hæc omnia, iudicio nostro haud adiecto. In *applicatione legis ad factum*, cum Heineccio, recusat collocare imputationem. Conscientia erronea si est exsuperabilis erranti, error imputationem gignit. At quis præter Deum novit, quinam error ab errante vinci possit? Pag. 64.

Probabilismum, Iesuitis tribui solitum, fere omnem fidem superare, Auctor iudicat. *Pœnas naturales* admittere, per rationem doctrinæ suæ negat. Finis pœnarum ultimus ab eo existimatur esse emendatio, & accuratior observatio legis. Finem satisfactorium ac expiatorium videtur inficiari. Addit idem: *Neque ob delicta aliena puniri aliquis potest, nisi quatenus eadem ipsi possunt imputari.* Ignoramus itaque, quomodo illa Rom. V, 16. sit expositurus, τὸ κρίμα ἐξ ἑνὸς (Ἀδὰμ) εἰς κατάκριμα (ἐπερίσσευσε), nisi consecutionis defectuum physicorum voluntariæ, eventum pœnalem ob oculos forte habeat. Rationem certam ac determinatam, mali culpæ ad malum pœnæ, unquam a nobis inveniri posse, negat; ratus, *in subiectis, & intelligentibus, & legum cognitione imbutis, & agendi libertate qualicunque præditis, pœnas, proprie dictas, locum modo invenire.* Secus sentire Leibnitium in Theodic. §. 71, Auctor miratur. Discernit *consilia* a legibus, ita, ut id, quod a superiore proficiscitur, vim legis semper habeat. Ius naturæ tradit esse legum naturalium complexum, negans, ius esse *qualitatem personæ moralem*, vel *nudam potentiam physicam.* Ius naturæ animis hominum connasci ita, ut evidenter statim leges eis pateant ante meditationem, nemo arbitrabitur solide. Nec ex revelatis divinitus oraculis, ius naturæ in propatulo est. Paulus, non legem, sed *opus legis*, animis inscriptum esse, docuit Rom. II, 15. *Opus* vero cum nequeat scribi, legis puta, illud γραπτὸν metaphorice est accipiendum. Dari ius naturæ, ita est ostendendum: Est Deus, qui homines vult esse felices ex æquo, & qui eapropter eis in adminicula felicitatis desiderium. adminicula ipsa, & ordinem agendi, saluti obtinendæ aptum, impertivit universis. Vult itaque Deus, ut homines fini

67. 69. 73. 78.

fini illi convenienter agant; id omittant, quod illi obſtat, illud perficiant, quod illi eſt conſentaneum. Illa voluntas, ex lumine rationis innoteſcens, eſt ius naturæ. Datur itaque ius naturæ. Solida ſane ratiocinatio! Eam ingenia Hombergiana, licet theologiam naturalem quoque minentur, haud elident. *Stoicum ius naturæ* brutorum, brutis eſt relinquendum. Ius commune igitur eſt ius naturæ, non illud ſpe-
Pag. 81. ciale Romanum. Fons, ſeu principium primum iuris naturæ, eſt voluntas Dei, felicitatem hominum ſemper adpetentis. Id ipſum fuit finis creationis, qua homines fuerunt producti. Quidquid igitur evidentiſſimis Dei, homines creantis, finibus ac deſtinationibus congruit, id pro lege naturali adfirmante habendum; quidquid disconvenit, id pro lege naturali ne-
87. gante eſt reputandum. Hinc propria utilitas cuiusque, ſimul principium cognoſcendi divinam voluntatem evadit, nempe vera & communis. Fruſtra igitur ob hanc utilitatem negant homines, dari ius & iuſtum; homines enim illi disiungunt coniungenda. Nam actio, quæ legibus naturalibus convenit, dicitur *naturaliter iuſta* ac *bona; formaliter* bona,
90. ſi legis cauſa ſuſcipiatur vel omittatur; *materialiter* bona, ſi modo commodi incommodive habetur ratio. Ruit ita moralitas interna, licet haud negetur, rerum phyſica ad no-
92. ſtram ſalutem habitudo vel diſconvenientia. Niſi eſſet Deus, nullus iuris naturæ eſſet fons, nullus locus. Atheus actiones *materialiter* bonas perſpicit ac cognoſcit; a *formaliter* bonis alienus eſt. Ita ethnicus æque ab actionibus iuſtis, per *revelationem* notis, *formaliter* eſt remotiſſimus. Id Lutherus ita pronuntiavit: *Ethnicorum bona opera ſunt peccata.* Dari leges poſitivas univerſales, Auctor nec adfirmat neque negat. Si eas ex codice ſacro patere exiſtimes, reſpiciendum tibi eſt ad promulgationem continuatam inter gen-
97. tes ſingulas. Si ex naturali legum complexu malis arceſſere, *poſitivum* & *naturale* haud diſtinguis. Ius igitur gentium, quod leges illas poſitivas univerſales complectitur, eſt commentum. Patimur tamen facile, ut ius naturæ, ad gentes adplicatum, vel apud eas communiter reſiduum, vocetur

ius

Ius gentium. Qui ad officia in ſemet dicuntur obligati, ipſi ſunt obligationis ſuæ, aliunde orientis, obiectum, non cauſa ſeu fundamentum obligationis, ſiquidem ea obeunt, ita exigente legislatore ſupremo. Stimuli, qui nos ad officia in nos- Pag. 102.
met peragenda impellunt, ſæpius ſupprimuntur, vel perperam diriguntur & accommodantur. Officiorum igitur illorum momenta & rationes, fas eſt tradi diſtincte. Officia hominis erga animam prætermittit Auctor. Mutilationem cor- 105.
poris ſui, ac avtochiriam, eſſe iuri naturæ adverſam, idem docet, ſiquidem nobis nil liceat contra Dei iuſſionem ac voluntatem in vitam noſtram. Improbat Cel. Auctor morem pangendi fœdera cum barbaris, oræ Africæ piratis, in aliorum innocentium capita. De *dominio* ac *proprietate* differit ſuc- 109.
cincte. Hominibus generatim, *ius* eſſe *in omnia* commune, docet. Ubi quis primus aliquid occupavit, ceteri renuntiarunt iuri ſuo, vel plane prorſus, vel tacite. Ponit igitur do- 112.
miniorum omnium fundamentum in pacto, atque diſcernit quæſtionem hiſtoricam a philoſophica, in cauſa de origine dominiorum verſatus. Qui igitur *nullius rem* occupat, ille in poſſeſſionem venit, in quam ſigillatim nemo poſſeſſionem, in quam omnibus erat ius commune, ante eum arripuit. Ut tuta ſit primi occupantis poſſeſſio, accedat circum vicinorum potentiorum conſenſus, neceſſe eſt. *Bonorum communio* maioribus urgetur incommodis, quam dominium & proprietas, immo locum ne tueri quidem poteſt, ob mala ei innexa modo inſeparabili. Res inexhauſti uſus manent in commu- 116.
nione. Modum acquirendi dominia, eſſe vel originarium vel ſecundarium, norunt omnes. De *moderamine inculpatæ tutelæ* nihil addimus. Certamina ſingularia, ad reparandum honorem inſtitui ſolita, iniuſta ſunt, niſi ſummi rerum arbitri ſecus ſenſerint, quorum tamen intereſt, illis certaminibus ponere obicem. Neceſſitatem honeſtatis ac commodi- 122.
tatis diſtinguas, oportet, a neceſſitate incolumitatis. In hanc coniecti, ſæpius ſalvi eſſe nequeunt ſine aliorum læſione ac iniuria, vel vitæ, vel bonorum, quantum ex eis ſufficit neceſ-

ſitati, habita ratione. Tunc reviviſcit illud ius omnium in omnia commune, vere & ſigillatim indigentibus, ſubveniant
Pag. 126. reliqui, oportet. Adverſus divinam voluntatem agendum eſt nunquam, ſed vis potius intentata quæcunque eſt perferenda, vel mors ſubeunda, niſi de cultu Dei externo agatur, ac riti-
130. bus ſacris. Officia erga alios peragenda ſunt, diſcrimine inſtituto inter ſtatum hominum naturalem ac comunem, & adventitium varieque determinatum. Integræ gentes æſtimari poſſunt inſtar ſingulorum hominum, ſtatu naturali prædıtorum, niſi pactis mutuis ſtatus ille fuerit reſtrictus. Inde naſcitur differentia inter officia iuris naturalis abſoluta, ac
136. hypothetica. Fons omnium eſt Dei voluntas, omnium felicitatem intendens. Servi per naturam haud dantur. Non eſt ille cogendus, a quo metuis, ne ab eo, qua potentiore, ſubigaris. *Ius cogens* ac *non cogens*, vocabulo coactionis eſt indignum, licet doceat, cogendum eſſe lædentem ad damni illati reparationem.
139. Huius ſpecies & modos omittimus, æque ac officia ſermonis, e quibus profluunt promiſſa, pacta, iuramenta. Prætervehimur doctrinam de ſui defenſione, repreſſaliis, bello, quod
174. ſemper debet eſſe *defenſivum*, nunquam *offenſivum*. An dominatus in maria detur, ſolet quæri. Adfirmandum eſt, eum dari, ſi arceri poſſint alii ab eorundem occupatione ac uſu,
185. qui quodammodo poteſt exhauriri. Quæſtionem, an teſta-
193. menta ſint iuris naturæ, diſtincte enodat Auctor. De occu-
219. pationis bellicæ titulo ſolide exponit. *Polygyniam* iuri naturæ haud adverſari putat, ex rationibus, quas philoſophi hucusque tradiderunt; faſſus tamen, monogamiam finibus ſocietatum, quas Deus haud improbat, magis convenire, ſiquidem natorum natarumque numerus fere eſt æqualis. Verum iam ſat biberunt prata. Noſtrum eſt fateri, habere nos, cur Auctori Cel. hoc opus gratulemur, eo quod potiſſimam votorum noſtrorum partem, quam declaravimus in his *Actis* 1741, pag. 212-214, implevit: etſi multa dederit, paucis placitura.

DISSER-

DISSERTAZIONE SOPRA UNA STATUA di marmo, &c.

hoc est,

DISSERTATIO SUPER STATUA MARMOREA, reperta in ruinis veteris Alesæ, urbis Siculæ, recitata in Academia boni gustus, a GABRIELE LANCILLOTTO CASTELLOTIO, Principe Torremuzzano, Marchione della Motta & di Capizzi, Comite in Gagliano, rel.

Panormi, 1749 in nova Typographia SS. Apostolor. apud Petrum Bentivegna.
Plag. 6. in 4.

Præmissis quibusdam de antiquitatum studii, & Siciliæ, quæ illustrissimi Auctoris patria est, laudibus, ad ipsam statuæ huius, tabulæ æneæ incisæ, descriptionem oratio confertur. Reperta ea est in pulvere ac ruinis Halesæ civitatis; cumque elegantissimis eius generis operibus accenseri illa debet, ex eo iudicium ferri posse Auctor putat, urbem hanc, sine dubio, nobilissimis olim ac pulcherrimis ornamentis instructam fuisse. Varia subinde memorantur de civitatis eius situ; ac probabile efficitur, fuisse eam ibi, ubi hodie positus sit locus, *Feudo della palate* dictus. Patet id quodammodo ex marmore a *Gualtherio* & *Muratorio* exhibito, & ibidem invento, in quo Halæsinorum mentio fit:

ΘΕΟΙΣ ΠΑΣΙ

ΔΑΜΟΣ ΤΩΝ ΑΛΑΙΣΙΝΩΝ

ΔΙΟΓΕΝΗΝ ΔΙΟΓΕΝΕΩΣ

ΛΑΠΙΡΩΝΑ

ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ

 Memi-

Meminit marmor hoc *Deorum Halæsinorum* generatim, qui quales fuerint, ex aliis ibi erutis lapidibus poteſt cognoſci. Ex his videmus, cultum eſſe Halæſæ Apollinem, Bacchum Milichium, Iovem, & Saturnum. Ex aliis ſaxis patere quoque illuſtriſſimus Auctor putat conditorem huius civitatis, eumque *Archonidem* dictum fuiſſe ſuſpicatur. Provocat eam in rem, non ſolum ad Diodori Siculi teſtimonium, ſed etiam ad ea litterata ſaxa, in quibus litteræ APX in aliis APXO leguntur: quæ tamen, quod & alia ratione explicari poſſunt, rem ipſam, de Archonide conditore, haud extra omnem dubitationem ponere nobis videntur. Rem nobis gratam feciſſet illuſtriſſimus Auctor, ſi, ut alia marmora, ſic & hos lapides, in quibus *Archonidis* huius mentionem factam fuiſſe ſibi perſuadet, in doctiſſimam ſuam commentationem transſcripſiſſet. In antiquis Siciliæ inſcriptionibus, etiam iis, quæ tum, cum provincia hæc, poſt Phœnicum & Græcorum principatum, in Romanorum venit poteſtatem, *Archontum* paſſim facta eſt mentio. Nemini id mirum videbitur, occurrere in municipiorum Romanorum inſcriptionibus, Græcorum magiſtratuum nomina; dummodo conſiderare velis, municipes Romanos, vetuſtatis amantiores, haud raro priſtinam ſuam reipublicæ formam, antiquas magiſtratuum ſuorum Græcas appellationes, & id genus alia retinuiſſe; id quod, ſi locus ferret, multis egregiis inſcriptionum & veterum auctorum teſtimoniis poſſet comprobari. Idem de Halæſa civitate adfirmari poſſe credimus, hoc maiori probabilitatis ſpecie, Pag. 14. quo diſertius *Cicero*, ad cuius effatum ipſe illuſtriſſimus Auctor provocat, de Halæſinis teſtatur, eorum urbem pariter, ac civitates Centuripinam, Segeſtanam, Alicienſem, & Panormitanam, *ſine fœdere immunes* fuiſſe, habuiſſeque per id ab omnibus oneribus publicis, tributis, vectigalibus, immunitatem, ius proprios ſibi magiſtratus conſtituendi, aliaque id genus eximia privilegia. Hæc cum ita ſint, litteras APX de *archontibus* potius Halæſinis, qui Græcorum tempore ibi fuerunt, & qui poſtea primis, ſub Romanorum principatu, temporibus, haud peni-

penitus abrogati fuisse videntur, explicare, quam *Archonidis* nomen huc trahere malumus. Ad ipsam statuam, quæ in doctissima hac commentatione describitur, quod adtinet, credit illustriss. Auctor, referre eam Prætorem Romanum, qui sine dubio multis meritis ac beneficiis in Halæsam collatis, eius urbis incolas sibi devinxerit. Statuæ caput, ut in aliis nobilissimorum virorum statuis, nudum effictum est, cuius moris infinita exempla ex marmoribus & numis peti possunt. Togæ habitus, cum descriptione, quam *Ferrarius*, quam *Manutius*, quam *Bossius* & *Montefalconius* dederunt, accurate convenit. Cum togarum varia olim exstiterunt genera, eam hic referri videmus, quam *prætextam* adpellare solebant Romani, deque cuius ratione quædam hoc loco observantur. Ex ipsa hac toga prætexta, & propter hanc ex securi, quam statua hæc in manu tenet, suspicatur Auctor noster, esse Prætorem Romanum, cui statua dedicata fuerit. Huius insignia in provinciis eadem, quæ in urbe, fuerunt, quod ibidem ostenditur; multaque, ceteroquin vulgaria, & ex *Pitisco* potissimum, communi illo antiquariorum nostrorum diversorio ac receptaculo, desumta, de Prætoris officio ac dignitate memorantur. Merito quæritur, quam ob causam Halæsini viro huic statuæ honorem decreverint, & quisnam ille sit, quem statua hæc referat? eam in rem tres potissimum in medium adfert coniecturas, illustrissimus Auctor. Ad *primam* quod adtinet, statuam hanc C. Claudium Pulchrum sistere si dicere quis velit, id non plane sine ullo fundamento fieri posse, Auctor arbitratur; maxime quod coniectura hæc, ex insigni quodam *Ciceronis* effato *Act. II, l. 2. in Verrem*, probabilitatis speciem aliquam sibi conciliat. Quo refert, Halæsinas, pro multis & magnis suis suorumque maiorum in rem publicam Romanam meritis atque beneficiis, suo iure, L. Licinio & Q. Mucio Consulibus, cum haberent inter se de Senatu cooptando controversias, leges ab Senatu Romano petiisse: decrevisse Senatum, honorifico Senatusconsulto, ut his C. Claudius Ap. filius Pulcher, Prætor, de Senatu cooptando leges conscriberet: C. Clau-

Pag. 22.

24.

33.

dium, adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum ſententia leges Halæſinis dediſſe: ſanxiſſe in his multa de ætate hominum, ne quis minor trigiuta annis natu de quæſtu, quem quis feciſſet, legeretur; de cenſu, ac de aliis rebus. Confirmatur hæc de C. Claudio Pulchro coniectura, veterum ſatis cognita conſuetudine, qui iis, quibus multa debebant, ſtatuas haud raro ſolebant ponere, maxime vero Prætoribus provinciarum, quod non ſolum ex laudata *Ciceronis in Verrem oratione Act. IV*, ſed etiam ex inſcriptionibus patet, ex quibus unicam tantum, eamque Panormitanam, adfert Auctor, his verbis conſignatam:

C. ACILIO. L. F. QVI
RVFO
Q. PRO. PR. PROVINC
SICIL. TR. PL. PR.
PRAEF. FRVM. DAND.
EX. S. C.
HISPELLATES. PVBLIC
D. D
PATRONO

Accedit, ut iam ſupra dictum eſt, ſtatuam hanc in manu tenere ſecurim, ſignum nempe poteſtatis & iurisdictionis prætoriæ, cuius C. Claud. Pulcher tum inſigne ediderat ſpecimen, cum Halæſinorum controverſias dirimeret, ipſisque leges daret. Quæ de Cl. Pulchro coniectura ut magis firmetur, provocat illuſtriſſimus vir ad ſtatuæ huius magnitudinem, eamque virilem eſſe ſcribit, adductis ſimul his ex *Pitiſci lexico Antiquit. Rom.* voc. *Statua*, verbis: *pariles, cum eius, qui exprimitur, ſtatura undique repræſentatur, dabantur bene meritis ac ſapientibus viris.* Uti vero hæc verba non *Pitiſci*, quemadmodum Auctor putat; ſed *Pomponii Gaurici*, ex eius *de ſculptura* libro, ſunt, ex quo ille ea deſcripſit: ſic nihil inde ad firmandam hanc coniecturam peti poſſe credimus; maxime, quod ſine dubio præter Claudium, & alii bene meriti ac ſapientes viri Halæſæ fuerunt, qui-

quibus eodem iure ſtatua hæc poni potuit, quo illam Claudio decretam eſſe illuſtriſſimus Auctor noſter arbitratur. *Altera* coniectura, Caio cuidam Virgilio Balbo, Proqueſtori Halæſino favet, cui inſcriptionem, atque adeo & ſtatuam ab eius urbis incolis conſecratam eſſe, auctor obſervat, ipſumque marmor, quod hodie Neapolis in Romania viſitur, ex *Muratorio, Theſ. inſcript*, p. 40. CXXII. adfert, his verbis conceptum:

ΓΑΙΟΝ ΟΥΕΡΓΙΛΙΟΝ ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΝ ΒΑΛΒΟΝ
ΑΝΤΙΤΑΜΙΑΝ ΔΑΜΟΣ ΤΩΝ ΑΛΕΣΙΝΩΝ
ΕΥΝΟΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ.

Quoniam autem merito quæritur, quid ſit, quod inſcriptio hæc, ab Halæſinis facta, Neapolis hodie videatur? docte obſervat vir illuſtriſſimus, ſæpe populum vel provinciam aliquam, viris bene meritis, eo loco, ubi præ ceteris honores & dignitates fuiſſent conſecuti, etiam extra regionis ſuæ fines ac terminos, ſtatuam ponendam curaſſe. Ne quis obvertat, ſecurim in ſtatuæ huius manu Proquæſtoris dignitati neutiquam convenire; oſtenditur, eam & Quæſtores geſſiſſe; idque ex *Cicerone pro Planco*, & *act*. II. *in Verrem*, probatur, variaque ſimul de provinciarum Quæſtoribus, de ambobus illis maxime, quos Sicilia, alterum vetus, alterum nova provincia, accipere ſolebat, deque ſtatuis, quibus Quæſtores olim ornati, memorantur. Quod denique ad *tertiam* de ſtatua hac coniecturam adtinet, adfert illuſtriſſimus auctor ex *Gualtherii tabulis Siciliæ*, hanc in Aleſæ ruderibus repertam, temporum iniuria mutilatam inſcriptionem:

ITALICET . . . .
. . . .
L. CORNELIUM SCHIZIAM
. . . .
. . . .
HONORIS CAVSA
. . . .
. . . .

exi-

existimatque, elogium hoc sine dubio statuæ cuidam subscriptum, & L. Cornelium eundem forsitan esse, ad quem statua hæc pertineat. Cui tamen argumento, vti eadem, quæ superiori, deesse videtur probandi vis; sic & alia hic occurunt, ab eruditissimo auctore dicta, quæ curatiore investigatione digna nobis videntur. Dicit inter alia, Gualtherium legere: L. CORNELIUM SCIPII F. in editione *tabularum Siciliæ* Panormitana; quæ tamen lectio in ea editione, quam *Gravius* splendido suo *antiquitatum Siciliæ thesauro* inseruit, nusquam visitur, sed diserte vocabulum obscurum; SCHIZIAM, positum est, p. 655. Deinde, quid sibi τὸ SCIPII velit, nos haud adsequi libentissime fatemur, neque ita *Gualtherium* legisse ut credamus, a nobis impetrare possumus. L. enim Cornelium, non *Scipium*; sed *Scipionem* vocatum esse, vel pueri norunt. *Gualtherium* denique vocem primum ITALICET, legisse, eamque sic divisisse: ITA LICET, auctor noster adfirmat, additque, se in ipso lapide scriptum deprehendisse: ITALICEI. At idem iam ipse *Gualtherius* monuit, & ITALICEI pro ITALICI scriptum esse observavit. Quod caput rei est, illustrissimus auctor Alesæ civitati lapidem hunc tribuit, quem tamen *Gualtherius* ad alium locum transfert. Unde vero probabitur, ab Halæsinis lapidem istum positum fuisse? Ex eo enim, quod hodie hæc inscriptio in ea urbe asservetur, confici quid posse, neminem credo adfirmaturum, cuicunque lapidum litteratorum fata, vicissitudines, eorumque tot crebræ sedis & loci mutationes, vel leviter cognitæ sunt. Quo sæpe fit, ut hodie, unus idemque lapis, modo huic, modo illi civitati, ab harum rerum scriptoribus soleat adsignari, ut luculenter patet, si varia eius generis marmora, a *Grutero*, *Fabretto*, *Phil.* a *Turre*, *Io. Dominico Bertolio*, aliisque suppeditata, inter se comparare velimus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCLIV.

ANNALES AUSTRIÆ, AB ULTIMÆ ÆTAtis memoria, ad Habsburgicæ gentis Principes deducti, subiunctis ubique scriptorum, veterumque monumentorum testimoniis, notisque, Auctore P. SIGISMUNDO CALLES, e Societate Iesu.

Partes II.

Viennæ Austriæ, sumtibus Leopoldi Ioannis Kaliwodæ, aulæ Imperialis typographi, 1750, fol.

P. I. Alph. 3. plag. 4. P. II. Alph. 3. plag. 9.

Cum Serenissima domus Austriaca, quæ tot Imperatores Germaniæ dedit, rerum egregie gestarum fama adeo exsplendescat, ut omni posteritati sancta merito esse debeat eius memoria, laborem profecto, & ad utilitatem præstantissimum, & ad rei dignitatem valde arduum, suscepisse dicendus est huius libri Auctor, V. Clar. quando annales Austriæ, ab antiquitate litteris nota, usque ad Rudolphum Habsburgicum, elegantissimo dicendi genere usus, contexuit. Iam dudum in votis ille habuerat, ut post collecta, ab eruditissimis viris, tot rerum Austriacarum documenta, scriptorum aliquis existeret, qui, dispersa ea omnium ætatum fragmenta, in unum colligeret, totamque veteris Austriæ historiam, continua oratione enarra-

raret. Ex quo igitur tempore, historiæ docendæ munus, in Academia Viennensi, Clar. Auctori demandatum est, animum illico ad istud opus adiecit, quod, qua ratione ab illo fuerit perfectum, ut eo certius appareat, contenta nunc eius, more nostro, exponemus. *Austriæ* adeo vocem, Germanis *Oesterreich* efferi solitam, a Theotisco *Ost* derivat, & regnum Orientale sub illa voce comprehendi, *Gerard. de Roo* secutus, contendit. Sub Norici olim, Pannoniæ, & Germaniæ, quarum pars erat, vocabulis, istam delituisse regionem, observat. Norici limitem, itemque Pannoniæ principium, montem Cetium fuisse, nos docet. Austriam, quæ supra Danubium est, primum colonos mutasse observat, Boiorum, Celtarumque
Pag. 2. in ista loca invasiones, describit. De bello cum Dacis finiti-
3. mis ea propter gesto, disputat. Noricum, Augusti tempore, in Romanorum potestatem concessisse, pro certo habet; Austriam
7. vero hodiernam, eadem tunc temporis sensisse fata, dubitat, eam potius, tempore pacis, ad obsequium Romanorum per-
8. ductam fuisse, credens, cum Marcomanis, horum locorum incolis, non adeo aversam a ratione mentem fuisse, censeat, ut, si Romana signa iam ad ripas Danubii volitare conspexissent, iisdem se hostibus, quos ad Rhenum fugerant, hic ultro obiicerent. Quomodo autem Marcomani, pristinis sedibus relictis, & societate cum gentibus aliis inita, Boios se-
10. dibus suis eiecerint, & hodierna Austria potiti fuerint, nos docet; & hac occasione, de lingua, religione, & moribus earum gentium, quæ Austriam olim insederunt, fuse & erudite disputat. Ad tempora nativitatis Christi dein Auctor delatus, errorem diu iam explosum repetit, quando Iani
20. templum tunc temporis clausum fuisse, sibi persvadet. Bellum inde Tiberii contra Marcomanos gestum, describit, eoque finito, per Vindeliciam, Noricum, Pannoniam, ac Mœsiam ducto limite, Romanos a barbaris fuisse divisos, coloniasque, in Noricum ac Pannoniam, tanquam fræna devicta-
23. rum gentium, fuisse deductas ostendit. De variis, præcipuisque coloniis, eo ductis, differit. Noricum, provinciam Imperatoris fuisse, a procuratore administratam, nos docet. Ulterio-

teriorem interim Austriam, Maroboduo tunc temporis adhuc Pag. 25.
subfuisse, contendit. De moribus istius Principis paucula quædam aspergit. Bellum, cum Arminio, Cheruscorum Rege, 30.
ab eo gestum, describit, & quomodo, post acceptas insignes calamitates, Romanis se Maroboduus subiecerit, Marcomanis in alia loca traductis, narrat. Sub Neronis imperio, reli- 32.
gionem Christianam in hisce terris fuisse disseminatam, contendit; quanquam de præconibus salutaris doctrinæ ipsis, certum quid constituere non audeat. Noricum, in ripense & mediterraneum, ante tertium post C. N. seculum, dividi non suevisse, Auctor contendit, adeoque, illam divisionem Hadrianum agnoscere auctorem, negat. *M. Aurelium Anto-* 38.
ninum, urbem *Vindobonam* aut condidisse, aut ornasse & amplificasse, perhibet, cum sub illo Principe, prima istius urbis iniiciatur mentio. Nomen eius a populo *Vindorum*, qui aliquando ista loca pervagati sunt, derivat. Reliqua etiam oppida Austriæ citerioris, ævo Romano nota, hac occasione recenset. Res gestas M. Antonini Philosophi contra Qua- 41.
dos & Marcomanos describens, de *legione fulminatrice* verba facit, eamque ideo, quod precibus suis, fulmina in hostes, pluviam vero in Romanos, a Deo impetrasset, illud nominis accepisse pronuntiat. Imperatorem istum, Vindobonæ mor- 46.
tuum esse, nos docet. Quæ deinceps per Noricum & Pan- 49.
noniam gesta sunt, seriem Romanorum Imperatorum secutus, edisserit; quamquam negari nequeat, plurima eum de hisce Imperatoribus, ad institutum non pertinentia, admiscuisse. Merita S. *Maximiliani*, Laureacensis episcopi, qui tempore Decii & Valeriani vixit, in rem Christianam, per Noricum & Pannoniam, vehementer prædicat, eiusque martyrium describit. Tempore Diocletiani, divisis inter consortes impe- 54.
rii provinciis, Noricum ac Pannoniam Galerio cessisse, nos 60.
docet; eodem tempore, Noricum in mediterraneum ac ripense divisum esse observans. Quantas calamitates, Christiani in istis regionibus constituti, tunc temporis pertulerint, ample exponit. De Constantino M. postea differens, de dignitate 65.
Præfectorum prætorio quamplurima affert. Valentinianum

Pag. 72. Imperatorem, in his regionibus commorantem, varias promulgasse constitutiones, narrat. Sub eiusdem imperio, Laureacum urbem, munitam, eorumque munimentorum rude-
77. ra, seculo praeterito fuisse effossa, observat. *Honorii* temporibus, religionem Christianam, in illo tractu qui hodie *Austria ulte-*
80. *rior* dicitur, radices egisse, commemorat. Barbararum inde gentium in provincias Romanas invasiones, describit. Herulos, Rugos, Scyrosque, Noricum ac Pannoniam tunc occupasse, narrat, quidque sub illis nationibus barbaris, per illa loca ge-
89. stum fuerit, docet. De S. *Severino*, qui tunc temporis Pannoniam superiorem, ac Noricum, sanctitate ac miraculis
91. illustrasse fertur, fuse disputat, variaque, omnem fidem superantia, de eo memoriae prodit; de aliis etiam sanctitatis fama
115. illustribus viris, qui eo tempore per ista loca floruerunt, disputans. Post Iustiniani obitum, eam Norici partem, quae nunc *Austria superior* appellatur, ducem Agilolfingicae stirpis, *Garibaldum*, Francis Austrasiae Regibus subiectum, accepisse
123. narrat. Sub Duce *Thassilone*, iuris legumque Boioariae summam, a *Chlotario* Francorum Rege confectam esse, observat;
126. quam, cum ad superiorem quoque Austriam pertinuerit, Auctor hic describit. Thassilone propter crimen maiestatis in
145. monasterium detruso, Austria superior, cum universa Boioaria,
148. ad Carolum M. pervenit, qui, quomodo maximam Norici Pannoniaeque partem, Hunnis ereptam, Francico adiecerit
151. imperio, ostenditur. Reipublicae gerendae formam ab isto Principe introductam, item delineat. Victorias ab Hun-
157. nis, ulterius a Carolo M. reportatas, celebrat. Salisburgensem Archiepiscopatum, circa idem tempus fundatum esse,
158. commemorat. Passaviensi Ecclesiae; multa tunc per Austriam
162. bona fuisse concessa, praedicat, insequentium quoque Franciae Regum, in antistites, ex fundis Austriae munificentiam,
179. maximopere extollens. In historia Imperatorum stirpis Carolingicae enarranda, longior est, quam instituti ratio postulabat; quamvis res, Austriam tangentes, & ad hanc temporis periodum referendas, neutiquam praetermiserit. Ad interitum vergente Carolingorum stirpe, Hungaros Austriam

vastasse,

vastasse, nos docet, atque ea occasione de Hungarorum moribus & institutis, antiquos secutus scriptores, disputat, quidque contra Hungaros pariter ac Moravos gesserint Marchiones, Austriæ præfecti, fuse enarrat. *Henrici I* Imperatoris etiam victorias, ab ista gente reportatas, non tacet. Sub Ottonis M. Imperio, Austriæ secundæ magnam partem Hungaris ereptam, Germaniæque unitam fuisse, contendit. Religionem Christianam, tempore *Ottonis M.*, per *Geisam* Hungariæ Principem, inter cives eius regni disseminatam esse, nos docet. Dignitatem Marchionum in Austria, ævo Caroli M. institutam, per diversas ignotasque familias vagatam esse, narrat; usque dum seculo decimo, ad unicam gentem Babenbergicam devolveretur; ita tamen, ut Marchiones ex ista gente oriundi, Cæsaris confirmatione indigerent. Primum, qui eam dignitatem suæ familiæ intulit, *Leopoldum* fuisse, pro certo sumit Vir Clar. quamvis annum, quo ipsi illud munus collatum fuerit, examinatis aliorum hac de re sententiis, certo constituere non audeat; circa annum seculi decimi octogesimum tertium, vel quartum, accidisse existimans. De stirpe, & rebus gestis istius Leopoldi Babenbergici, insigni cum eruditionis apparatu postea disputat, tabulamque genealogicam familiæ istius Principis apponit. Statum Austriæ, qualis tempore istius Marchionis fuerit, quantum per obscuritatem illorum temporum licebat, describit; Marchiones Austriæ antiquis temporibus ibi constitutos, unice a Regibus Germanicis, & neutiquam a Ducibus Bavaricis pependisse, urget; & *Principum* elogio eos idcirco fuisse mactatos, observat. Marchionum deinceps Austriæ, ex domo Babenbergica ortorum, res gestas describit: in familiis eorum indicandis, admodum copiosus est, & illa etiam, quæ cum Austriæ Marchionum cognatis acciderunt, studiose edisserit. Marchiones interim Austriæ, *Henrici II* adhuc ævo, neutiquam dominos, sed præfectos duntaxat, & administros istarum terrarum fuisse, contendit. Eisdem vero, ut præfecturam pro dignitate sustinerent, fidemque ac operas in bello præstarent, agros nonnunquam, fundosque fuisse concessos, monet. Sub *Henrico*

Pag. 210. — 240. — 256. — 258. — 268. — 273. — 277. — 278. — 280. — 314.

rico III, partem illam Pannoniæ, quæ a Cetio monte ad Leytham usque flumen eſt, Auſtriæ Marchionis *Aldalberti* virtute, ſubactam, Imperio ceſſiſſe, nos docet. Geſta inter *Henricum III* & Hungaros, ample deſcribit. Eundem Cæſarem, multos per Auſtriam fundos, clericis dono dediſſe, prædicat.
Pag. 345. Scriptorem quendam rerum Hungaricarum, cuius nomen tacet, quod Andream, Hungariæ Regem, Bohemos, Polonos, & Auſtrios, intra triennii ſpatium ſtipendiarios feciſſe commemoravit, ex merito graviter redarguit.
348. *Leopoldum*, Auſtriæ Marchionem, quintum *Erneſti ſtrenui* filium, a Gregorii VII partibus ſtetiſſe, & *Henrico IV* vehementer ſemet oppoſuiſſe, narrat; hacque occaſione, hiſtoriam motuum in Imperio Romano tunc temporis excitatorum, ample
381. texit, Leopoldum ab Henrico devictum, univerſamque Au-
394. ſtriam miſere direptam, atque exhauſtam narrans. Perfidia Leopoldi ad iram concitatus Cæſar, omnem Auſtriam, Leopoldo demtam, Bohemiæ Duci Wratislao credidit, unde graviſſimum bellum hos inter Principes geſtum eſt.
397. *Azzonem* vero *Gobatsburgicum*, Marchionum Babenbergicæ ſtirpis propinquum, Auſtriam adverſus Bohemos defendiſſe, eorumque conſilia irrita reddidiſſe, Auctor nos docet.
399. Virtutes & merita Marchionis Leopoldi, inprimisque eius liberalitatem in clericos, quæ omnibus antecedere virtutibus Auctori creditur, vehementer is prædicat; filium eiusdem nominis, *Leopoldum*, cui *ſancti* elogium indidit poſteritas, eidem
431. in adminiſtranda Auſtria ſucceſſiſſe, commemorans. Cum eodem tempore expeditiones in Palæſtinam inſtitui cœperint, Auctor, varia, & plura profecto quam inſtituti ratio permittebat, de iis profert in medium; neque tamen incommoda, quæ inde enata ſunt, cædesque, & devaſtationes in locis, per quæ iter faciebat ſanctus exercitus, perpetratas, diſſimulat. *Godofredum Bullioneum* per Auſtriam tunc profectum eſſe,
433. adſeverat. Leopoldum, militiam ſanctam opibus iuviſſe, tantamque pecuniæ ſummam exſolviſſe, quæ trecentorum militum ſtipendiis annuatim præſtandis ſufficeret, nos docet, illam quantivis pretii liberalitatem maximopere extollens.

Eun-

Eundem Leopoldum, A. 1104. *Mellicii* in Austria, cingulo Pag. 434.
sacræ militiæ, ab *Udalrico* Passaviensium Episcopo, ornatum
esse, commemorat, quamvis domestica inter Imperatorem 441.
Henricum eiusque filium dissidia, belli sacri consilium brevi
discusserint. Leopoldi levitatem, quando mox Cæsaris mox
rebellium partes secutus est, Auctor non dissimulat; etsi
tali ratione eam rem narret, ut partium studia, & pessimæ
causæ patrocinium vehementer prodat. Originem claustri 444.
Neuburgensis a *Leopoldo* erecti, detegit. Eundem Marchio- 446.
nem, singulari pietate, (liberalitate scilicet in clericos,) tantopere
conspicuum, ab *Innocentio VIII* inter sanctos relatum esse,
commemorat, inque laudibus illius Principis decantandis 479.
omnem exhaurit eloquentiam; de cultu religioso itidem, qui
huic sancto exhiberi consuevit, fuse disputans. Post mor-
tem interim huius Marchionis, filium eius, natu secundum,
& Leopoldi itidem nomine insignem, Austriæ Marchionatu
ab imperatore ornatum fuisse, Auctor observat. Ducatus 495.
inde Bavaricus, Henrico superbo ademtus, Leopoldo per *Con-
radum III* concessus est. Bellum cum *Henrico Leone*, superbi 498.
Henrici filio, vario marte a Leopoldo ea propter gestum,
Auctor describit. In ipsa hac expeditione constitutus 503.
Leopoldus, cum vix per quinquennium Austriam gubernas-
set, vitam cum morte commutavit. *Largi* cognomen fastos
Austriacos huic Principi tribuisse, Rev. Auctor observat, mu-
nificentiam eius in monasteria summopere, ut solet, prædi- 507.
cans. *Henricus* frater in locum Leopoldi succedens, ducta in
matrimonium Henrici superbi vidua, Bavariam dotis loco a
Cæsare impetravit. Turbas ea propter a *Welphone*, Henrici 511.
Leonis patruo, excitatas, Auctor ample describit. Origines & 512.
incrementa urbis Vindobonensis, historiam belli inter Hen-
ricum Austriacum, & *Geysam*, Hungariæ Regem, describens,
investigat, cum Henricus ab Hungaris fusus, illam in urbem
confugerit. Vocabulum *Wien*, a nomine *Faviana*, (quod olim 537.
huic loco inhærebat,) natum esse contendit. *Fridericum I*, Du- 542.
catu Bavarico Henricum Austriacum spoliasse, Henrico Leone
in locum eius surrogato, deinceps narrat. Austriaci vero
Hen-

Pag. 566. Henrici mentem, ad deponendum Ducis Bavariæ axioma pennoveri non potuisse, monet; & sub his ipsis quidem, quæ eam rem insecutæ sunt, turbis, primam huius operis partem claudit. Quid successu temporis ideo fuerit per Germaniam actum, eleganter & copiose edisserit, & Henricum tandem Austriacum, in comitiis Ratisbonensibus, reddita Henrico Leoni Bavaria, Marchiam Bavaricam compensationis loco accepisse, simulque Austriam *Ducatus* elogio fuisse insignitam, nos docet. Marchiam illam Bavaricam cum Austria nunc coniunctam, idem nominis sortitam esse, &
5. *Austriam superiorem* vocari, monet. Plurima privilegia,
7. quibus tunc Austriam eiusque Duces exornavit *Fridericus I.* edisserit, quæ inter ius succedendi filiarum, mascula
9. stirpe deficiente, compareat. Fridericum I. in Italia contra Mediolanenses rebelles arma moventem, Henricus Austriæ Dux comitatus est, & certissima insignis fortitudinis
20. ibidem edidit documenta. Mediolano tandem ad obsequium redacto, idem Henricus deprecator apud Cæsarem exstitit, utque cives istius urbis in gratiam reciperentur effe-
21. cit. Mortuo Henrico, filium eius, *Leopoldum*, confirmationem Ducatus Austriaci a *Friderico* I. petiisse, & impetrasse, Rev.
63. Auctor narrat. Illum ipsum Leopoldum, ab Ottocaro, Styriæ Duce, heredem terrarum suarum fuisse institutum, doce-
76. tur. Res gestas istius Leopoldi per Palæstinam, edisserit.
99. Mortuo Ottocaro, Ducatum Styriæ, Leopoldo, a Cæsare Henrico VI. in feudum solenni ritu datum fuisse, narrat.
106. Turbas inter Leopoldum, & Richardum Angliæ Regem,
108 seq. agitatas, admodum fuse recenset; *Leopoldum* ideo a Pontifice excommunicatum, & sub vitæ finem demum Ecclesiæ
125. reconciliatum, sistens. Extimum urbis Viennensis murum, & magnam urbis ipsius partem, ex pecunia, a Richardo, eiusque sociis, lytri loco soluta, a Leopoldo exstructam
131. fuisse, ut vulgaris fama fert, Rev. Auctor dubitat. Mortuo Leopoldo, filium eius natu maiorem, *Fridericum*, solam sibi vindicasse Austriam, Styria fratri Leopoldo relicta, certum
135. est. Res ab hoc Friderico in Palæstina gestas A. dein edisserit,

eun-

eundem ibi, vitam cum morte commutaſſe, narrans. Auſtria Pag. 150.
inde cum Styria per Leopoldum fratrem unita eſt. Idem
Leopoldus *Neuſtadium* caſtellum, Viennæ vicinum, ut ab in-
ſultibus Hungarorum Auſtriam defenderet, condidit, & no-
vis ornamentis urbem Viennam illuſtravit. Inter turbas, 163.
quæ poſt *Heinrici VI.* fata, Germaniam afflixerunt, Leopol-
dum Auſtriacum, primo quidem *Ottonis*, iſto autem a Ponti-
fice excommunicato, *Friderici II.* partes ſecutum eſſe, Rev.
Auctor commemorat. Eundem Leopoldum, contra Albi- 184.
genſes in Gallia arma moviſſe, narrat, & hac occaſione in
Albigenſes vehementer invehitur, graviſſimorum errorum
eosdem reos poſtulans. Inique. Res, a Leopoldo, in ex- 188.
peditione cruciata conſtituto, geſtas, deſcribit, eiusque erga
ordinem Teutonicum, nec non equites Templarios munifi-
centiam, prædicat. Henrici filii contra Patrem Leopoldum 216.
cœptam rebellionem non diſſimulat, quæ repentina Hen- 240.
rici perduellis morte tandem ſopita eſt. Henricum, Germa-
niæ Regem, & abſente Patre *Friderico II.* Imperii vicarium,
illud privilegii Ducibus Auſtriacis dediſſe, ut pileo Duca-
li, regalis coronæ in modum, redimerentur, & cum fiducia-
riam Principatus clientelam peterent, non ad reliquorum
Principum morem, ſed equis inſidentes, in Principatus poſ-
ſeſſionem mitterentur, nos docet. Auſtriam variis prædiis, 246.
quæ ab Epiſcopo Friſingenſi Leopoldus emerat, tunc tempo-
ris fuiſſe ditatam, narrat. Clades poſt fata Leopoldi, a va- 249.
ſallis infidelibus Auſtriæ illatas, fuſe deſcribit, eiusque calami-
tatis cauſam in perverſos Friderici mores, qui in locum Leo-
poldi parentis ſucceſſerat, coniicit. Præcipuas nobilium fami- 261.
lias, quæ tunc temporis floruerunt, & quarum ſplendor hodie
adhuc eminet, Rev. Auctor commemorat. Circa idem tempus 274.
figuram faſciæ candidæ, in locum alitis, in inſignibus Auſtria-
cis ſubſtitutam fuiſſe, contendit, ac ſententiam *Ortiloni*, qui
huius rei origines ab obſidione *Ptolemaidis*, a *Leopoldo virtuo-
ſo* ſuſcepta, repetit, tanquam veritati contrariam profligat.
De bello, quod *Fridericus* contra Andream & Belam, Hunga- 275.
riæ Reges, geſſit, Rev. Auctor accurate diſputat. Fridericus, 278.

a rebellibus Hungaris, regium diadema, quod ipsi offerebatur, imprudenter accipiens, maximis cladibus, a Bela, legitimo Hungariæ moderatore mulctatus, pacemque ab eo carissima
Pag. 289. mercede redimere coactus est. Contentiones inter Austriacum Fridericum, & Cæsarem Fridericum II agitatas, Rev. Auctor summa cum diligentia, & quemadmodum candidum decet historicum, describit, & aliorum hac de re excogitata commenta
292. explodit. Fridericum II interea omnem Austriam atque Styriam Friderico Austriaco eripuisse, urbi Viennensi iura civitatis Imperii liberæ concessisse, variisque eam privilegiis exor-
304. nasse, narrat. Cæsare autem postea in Italiam reverso, & *Eckberto*, Bambergensi Episcopo, cui Austria ab isto Principe credita erat, mortuo, æquiori fortuna usus Austriæ Dux; qui, inita cum Rege Bohemiæ *Wenceslao* societate, omnem mox Au-
312. striam dominio iterum suo subiecit. Ubi in gratiam postea Cæsaris Fridericus Austriacus rediit, novum cum Wenceslao Bohemiæ Rege, cui fidem nuper datam servare Fridericus recusabat, exarsit bellum, interventu Ottonis, Bavariæ Ducis,
316. tandem consopitum. Res gestas Friderici, contra Tartaros, ac Cumanos, Hungariam, Poloniam, Silesiam, ac Moraviam gravissime depopulantes, copiose non minus quam eleganter
318 seq. enarrat Rev. Auctor. Regiam dignitatem postea huic Duci a Cæsare fuisse oblatam, quam tamen ille recusaverit, nos docet; quamvis *Archi-Ducum* compellationem, Austriæ moderatori-
337. bus tunc obvenisse, a variis perhibeatur Scriptoribus. Quomodo tandem Fridericus, in prælio cum Hungaris commisso,
345. adacto per oculum ense, interierit, Rev. Auctor narrat; fabu-
347. las de nece istius Principis circumferri solitas graviter profligat, deque moribus Friderici disputans, varias calumnias,
348. quas vulgo scriptores eidem aspergunt, refellit. Carnioliam eum Ducatui Austriaco adiecisse, non diffitetur, quamvis illum tractum una cum Carniolia, sub Ottocaro demum cum
350. Austria penitus coaluisse, observet. Exstincta per mortem improlis Friderici Ducum Austriacorum stirpe, gravissimæ circa successionem in illis terris exstiterunt turbæ, quarum
351 seq. historiam Auctor diligentissime persequitur. Pessimas *Innocen-*

nocentii IV Pontificis artes, quibus terras Auſtriacas, ad *Henricum Raſponem*, eoque extincto ad *Wilhelmum*, Hollandiæ Comitem, in fraudem Friderici II. Reges Germaniæ electos, devolvere ſtuduit, vel invitus confiteri cogitur. Comitiis eligendo Principe ab ordinibus Auſtriæ indictis, oratores ad Pag. 353.
Henricum Illuſtrem, Miſniæ Marchionem, miſſi ſunt, qui unum ex eiusdem filiis, ex *Conſtantia*, ultimi Auſtriæ Ducis filia, genitis, in Auſtriaci Principatus poſſeſſionem vocarent. Quod 367.
conſilium, quomodo fuerit a Bohemiæ Rege, Wenceslao, fruſtratum, Rev. Auctor nos docet. Eiusdem Wenceslai filium, 368.
Ottocarum, ducta in matrimonium Margaretha Auſtriaca, terris illis potitum eſſe, commemorat. Turbas ab æmulis eius ideo agitatas ample deſcribit. Ottocarum, Margaretham coniugem poſtea repudiaſſe, & Cremſium relegaſſe, narrat, de Margarethæ iſtius genere, matrimoniis, ac indole, quantum ad inſtitutum pertinet, diſputans. Quomodo Ottocarus, Carinthiam cum Carniolia imperio ſuo ſubiecerit, monſtrat. Rudolphi Habsburgici electionem deſcribit; eundem, in conferendis feudis, crucem in locum ſceptri ſubſtituiſſe, obſervat; plurimaque de iſto Principe memoratu digna, & ad rem ſuam pertinentia, affert. Cauſas belli cum Ottocaro geſti, ample ediſſerit. Ipſam belli eius hiſtoriam operoſe & eleganter texit, & quomodo tandem pax inter hos Principes reſtituta, liberorumque nuptiis ſtabilita fuerit, narrat; Ottocarum, circa idem tempus, terras ſuas a Rudolpho in feudum accepiſſe, commemorans. Non diu tamen concordia nuper inita perduravit, cum Rudolphus, plurimis ab Ottocaro iniuriis laceſſitus, ſocietate cum *Ladislao* Hungarorum Rege inita, novo eundem bello petere cogeretur, interitu demum Ottocari ſopiendo. De Regis iſtius vivendi ratione quædam 560.
ſubnectens Rev. Auctor, plurimis eundem vitiis inquinatum fuiſſe, non diffitetur quidem, eius tamen ſimul in religionem ſtudia, nec non liberalitatem, iuſtitiam, clementiam, aliasque virtutes, eum non omni fama privare contendit. Quo- 565.
modo poſtea res Auſtriacas Cæſar Rudolphus compoſuerit, ample enarrat. De rebus domeſticis etiam iſtius Principis co-

Kkk 2 pioſe

Pag. 580. piose disserit. Eodem ex Austria Norimbergam secedente, filium eius *Albertum*, vice Parentis Austriam Styriamque administrasse, narrat; quidque ab isto vicario fuerit actum, exponit. Administrata hactenus erat Austria a Rudolpho, tanquam *Imperatore*. Is interim, temporibus sapienter utens, conciliata sibi Ordinum Germaniae amicitia, Austriam, Styriam, Carnioliam, ac Marchiam, familiae suae in perpetuum subiecit; & quamvis *Alberto* & *Rudolpho*, filiis, terras istas simul, ab initio conferret, literis tamen, A. 1283 datis, soli Alberto eiusque posteris eas addixit. In hac ipsa temporis periodo, filum narrationis Rev. Auctor abrumpens, universo operi, summa profecto cura, eruditione, & elegantia conscripto, imponit coronidem. Quamvis vero in rebus, ad institutum non pertinentibus, iusto diutius subinde haeserit, in vitis itidem sanctorum edisserendis, varia, omnem fidem superantia, & ex putidis fontibus hausta, congesserit: illos tamen qualescunque naevos, aliis virtutibus historicum decentibus, adeo compensat, ut merito optandum sit, ea etiam, quae sequiori aevo per Austriam acciderunt, pari cura descripta, cum eruditis communicare aliquando ut Vir Cl. velit.

IURISPRUDENTIA PHILOLOGICA, SIVE ELEmenta Iuris Civilis, secundum seriem & methodum Institutionum Iustiniani, in brevem & facilem ordinem redacta, notis classicis & historicis, nec non parallelis iuris Anglicani locis illustrata, quibus accessit Prooemium de Iure Civili Romanorum ante Iustinianum, & de Libb. Iur. Civ. Romanorum per Iustinianum compositis In usum iuventutis Academicae, per ROBERTUM EDEN, S. T. B. Archidiaconum Wintoniensem, & non ita pridem Coll. Univ. Oxon. Socium.

Oxonii, e theatro Scheldoniano, 1744, 4.
Alph. 1 plag. 18.

In

In iure Romano quamplurima occurrere, ad antiquitates gentis istius pertinentia, eiusque adeo studium, omnibus humaniorum litterarum amatoribus haud parum conducere, atque ad explicandos sacrorum pariter ac profanorum scriptorum locos, insigne adiumentum afferre, nemo, nisi hisce sacris nunquam initiatus, non intelligit. Verissime iamiam a *Cicerone de Orat. Lib. I, Cap.* 43. dictum est: *plurimas in omni iure civili antiquitatis effigies, & priscam verborum vetustatem, & actionum genera quædam, quæ maiorum consuetudinem vitamque declarant*, deprehendi; & ad hunc usque diem eruditis acutioribus risum debet antiquus ille Grammaticus, qui, teste *Gellio* N. A. XX. c. 10, quidnam vetus formula: *Ex iure manum consertum*, sibi velit, interrogatus, eam rem ad iureconsultos, neutiquam ad grammaticos pertinere, respondit; ignarus scilicet, versus Ennianos ipsi tunc propositos, intelligere & explicare iuris Romani omnino imperitum non posse. Factum inde dubio procul est, ut viri literatissimi, a vita quamvis forensi, negotiisque civilibus, longissime remoti, imo, & sacris muneribus admoti homines, iuri Romano insigne statuerint pretium, eique investigando & illustrando aliquid temporis impenderint. Ex pluribus nominasse sufficiat *Petrum Danielem Huetium*, qui in *commentariis de vita sua*, pag. 37, *sibi hanc Romanæ sapientiæ partem, quæ prudentum responsis, & sanctionibus legum continetur*, cordi olim fuisse, narrat; neque *Antonii Augustini* in hanc eruditionis partem merita, ulla unquam oblitterabit ætas. Et hæc ipsa dubio procul ratio effecit, ut Reverendus harum lucubrationum Auctor, in collegium Universitatis Oxoniensis adscitus, & instituendæ iuventuti Academicæ præfectus, e re auditorum esse crederet, ut aliqua iuris civilis notitia imbuerentur. Cumque nullum in promtu haberet librum, qui sat aptus videretur, ut eum fundamenti loco poneret, & recitationibus Academicis illustraret: propria potius esca alumnos suos pascere, & præsens compendium conficere, secum constituit. Quamvis autem seriem institutionum Iustiniani per omnia constanter fuerit secutus: ipsum tamen earum textum neutiquam expres-

 sit,

sit, aliis potius verbis res ibi contentas edisserens. Notas dein unicuique titulo subiunxit, quæ partim ad intelligenda hæc iuris elementa faciunt, iisque, ex omni antiquitatum & elegantioris litteraturæ penu lumen affundunt; partim iura, quibus Angliæ cives utuntur, commonstrant. Satis hæc opinamur, lectorem de universo libri instituto, & ratione tractandi, edocebunt. Ut autem, quantivis pretii illud sit, itidem appareat, ea, quæ inter perlegendum nobis occurrerunt, more nostro hic exponemus. Cum nimirum non tam eruditis placere, quam tironum commodis velificari Cl. Auctor voluisse credendus sit, sine omni livoris nota, & ex vero affirmamus, nihil hic indictum ore alio deprehendi, sed observationes, tironibus profecto utiles, atque adeo neutiquam spernendas, ab aliis tamen iam allatas, suis quibusque accommodari locis. Immo vero, ipsemet Rev. Auctor, pro singulari quam ubique prodit modestia, hoc neutiquam dissimulat, quando aliorum ICtorum, ac præsertim Ill. *Heineccii* scriptis, plurimum se debere, ingenue fatetur. Iuris Romani adeo historiam, sub initium operis, veluti per lancem saturam proponit, usque ad Iustiniani tempora filum narrationis suæ pertexens, & compilationem corporis iuris edisserens. Ritum legum ferendarum, qualis apud Romanos, libera republica obtinuerit, eleganter & operose exponit. Differentiam inter leges &
Pag. 10. plebiscita demonstrat. De lege Regia erudite & concinne
11. disputat. Differentiam inter adoptionem & arrogationem
16. declarat, causas etiam, quare adoptiones Romæ adeo frequen-
42. tes fuerint, edisserit. Originem ac munera præfectorum ur-
58. bi, admodum breviter tamen, describit. De capitis deminutione, variisque eius generibus, ample & eleganter disputat.
52. Iura trium, quatuor, aut quinque liberorum, qualia apud Ro-
66. manos fuerint, docet. De sepulcris Romanorum plurima, le-
77. ctu nec ingrata, nec inutilia, profert in medium. Donationum inter veteres Romanos solennium, præcipua genera cum
99. lectoribus communicat. Qua ratione memoria nonnullorum
152. Romæ fuerit damnata, luculenter ostendit. Quidnam furtum conceptum, & per lancem & licium quæsitum, sibi velit,

ex

ex iure Attico egregie commonſtrat; neque locum illum Ariſtophanis, eiusque Scholiaſtæ, ex quo rationis iſtius furti requirendi notitia præcipue hauritur, præterit. Varia itidem Pag. 221.
actionum genera, quæ in ſexto libri quarti Inſtitutionum titulo proponuntur, erudite explicat; earum indolem ac naturam oſtendit, ac modum, qui in litibus dirimendis Romæ adhibebatur, monſtrat. Plurima inſuper ex legibus Græcorum 235.
hiſce commentariis addita deprehendimus, ita, ut omnino dicendum ſit, amplam Græcæ litteraturæ notitiam Rev. Auctorem hic oſtendiſſe, & multum lucis ac ornamenti exinde in lucubrationes ſuas derivaſſe. Cum interim tanta ſit literatiſſimi huius Viri modeſtia, ut ſe errare poſſe candide profiteatur, operisque ſui lectores ad dubia, ſi quæ extiterint, ſecum communicanda, comiter invitet: nos etiam non male acturos nos eſſe, ſi iſta libertate modeſte utamur, cenſemus. Senatus conſulta nimirum, libera republica uſitata, de quibus in prooemio libri diſputat, ad immutandum, aut augendum ius decemvirale pertinuiſſe, ex noſtra ſententia perperam ſtatuit Vir Clar. Penes Senatum etenim Romanum poteſtas le- 15.
gislatoria nunquam fuit, cum quædam duntaxat negotia, ſtatum publicum reſpicientia, eiusdem curæ demandarentur, de quibus unice SCta eius temporis agebant, neque adeo vim legis obtinebant. Ad inſcriptionem inſtitutionibus præfixam, ubi elogia Iuſtiniani, a devictis gentibus repetita, occurrunt, & ubi inter alia, *Anticus* dicitur ille Princeps, Rev. Auctor monet, gentem iſtam eſſe ignotam, adeoque elogium *Pontici*, *Antico* ſubſtituendum eſſe, cum *Spanhemio* inculcat. At enimvero, *Antas*, partem Slavorum quondam conſtituiſſe, teſtimonia *Iornandis* & *Procopii*, quæ Ill. *Maſcovius* noſter in *hiſtoria Germanorum Lib. VI pag. 243.* protulit, quæque ſunt in *Jordani* Origg. Slavicis, evincunt. Sponſalia, in ea, quæ fiunt de præſenti, & ea, quæ de futuro fiunt, 35.
iure Canonico, & *hodierno*, dividi, contendit. Quamvis hoc de iure Canonico veriſſimum ſit: hodiernum tamen ius, miſeram illam & ineptam diſtinctionem retinuiſſe, dici neutiquam poteſt, &, ſponſalia de præſenti, in ſenſu iuris Canonici accepta, in noſtris foris omnino exulare, inter alios *Ill.*

Bæh-

Bœhmerus Iuris Eccl. Lib. IV Tit. I §. 39 evidenter docuit. Circa eandem de ſponſalibus materiam Rev. Auctor obſervat, iure civili ad quartum usque gradum excluſive, nuptias inter collaterales prohiberi, & ideo, fratrum vel ſororum liberos matrimonio coniungi, ius civile permittere, quia a ſe invicem diſtent quarto gradu; iure autem Canonico inter collaterales prohibitionem ad quartum gradum incluſive porrigi, pro-
Pag. 37. nuntiat. Certiſſime hic computationem civilem atque canonicam inter ſe confudit Auctor, cum quidem Canonicum ius, quod in gradibus computandis, neutiquam perſonas & generationes numerat, ſed potius hac regula utitur: Quoto gradu alterutra perſonarum, de quibus ſermo eſt, differt a communi ſtipite, eodem gradu differunt inter ſe: non duntaxat conſobrinos, verum cognatos etiam, multo laxiore ſanguinis vinculo coniunctos, a nuptiis arceat. Quando poſtea, nuptias
37. cum ſorore quondam uxoris vetitas eſſe, Auctor dicit, nos quidem ea in re non diſſentimus, optaſſemus tamen, ut, quo iure, an divino, an humano, vetitæ ſint tales nuptiæ, conſtituiſſet: cum præſertim, an de iure divino licita ſit talis coniunctio, magnis animis inter eruditos fuerit diſputatum. Liberos extra iuſtas nuptias genitos, patrem non habere fuiſſe creditum, eorumque nominibus ſigla S. P. fuiſſe addita, recte quidem obſervat Rev. Auctor: num autem verba Apoſtoli, qui in epiſtola ad Hebræos, *Melchiſedecum ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα* dixit, appoſite huc tranſtulerit, eruditi videant.
38. Quando in *viceſimo libri primi* titulo L. Iuliæ & Titiæ, quæ a Præſidibus provinciarum tutores conſtitui impuberibus iu-
57. bet, mentionem Rev. Auctor iniicit, mirati ſumus, eundem ſicco pede locum iſtum præteriiſſe, neque controverſiæ interpretum, quorum alii duas fuiſſe leges, Iuliam & Titiam, contendunt, alii contra unam eandemque fuiſſe legem exiſtimant, vel verbo meminiſſe. Titulus *viceſimus quintus libri primi* de excuſationibus tutorum & curatorum agit.
66. Quamvis autem Clar. Auctor iuſtas excuſationis cauſas accurate ediſſeruerit, ac in primis de iure trium quatuorve liberorum, ex antiquitatibus, erudite ac nitide egerit: rationem lo-
quendi

quendi tamen ICtis Romanis propriam, quibus *excusari* etiam dicuntur illi, qui ad aliquod munus ne volentes quidem admittuntur, qua in significatione ea vox in L. I. § 3. D. *de postulando* & L. II. D. *de decurionibus*, occurrit, observare neglexit, neque adeo distinctionis, inter excusationem voluntariam, necessariam, & mixtam, meminit. Occasione divisionis rerum incorporales & incorporales, de *feudis* nonnulla in medium profert Rev. Auctor. Vocabulum feudi autem, a Germanico *fief* descendere, perperam profecto sibi persuadet, cum illud *fief* neutiquam Germanis, verum Franco-Gallis familiare sit, & feudi vox seculis barbaris efficta, a Latino *fide*, & Theotisco *Oede*, rectius utique derivetur. Servitutes prædiorum rusticorum enarrans Auctor, *actum* esse, ius agendi vehiculum per alterius fundum, observat; *viam* vero, ius eundi & agendi & ambulandi esse, constituit. Quænam differentia inter actum & viam intercedat, nemo arbitramur ex hisce dictis intelliget. Observare autem debuisset Auctor, in servitute actus, vehiculum quidem, neutiquam vero onustum, agere licere, id quod in via utique licet; quæ differentia ex L. 7. *D. de serv. præd. rust.* satis intelligitur. De inofficioso testamento, & querela inde existente, idem disputans, de origine eius querelæ, quæ a nonnullis ex L. Glitia arg. L. 4. *D. de inoffic. testam.* repetitur, ab aliis vero a moribus & consilio ICtorum derivatur, omnino tacuit. *Macedonem* illum, qui nomen SCto dedit, fœneratorem quendam improbum fuisse, qui pecuniam sub usuris mordacissimis credendo, adolescentes ad libidinem & intemperantiam pronos corrumpebat, pro certo sumit. Minus sollicite autem nobis considerasse videtur L. I. *D. de SCto Maced.* verba, ubi quidem legitur: *Cum inter ceteras sceleris causas, Macedo, quas illi natura administrabat, etiam æs alienum adhibuisset.* Iam vero, æs alienum dici, quod nos aliis debemus, *Ulpianus* in L. 213 *D.* de *V. S.* observat. Unde liquido satis apparet, perditum quendam iuvenem, & neutiquam fœneratorem, huic SCto ansam præbuisse. Præclare hoc iamiam monuit in suis ad hunc locum commentariis *Theophilus*, a cuius senten-

Pag. 89. 91. 128. 258.

tia licet eruditi tantum non omnes discesserint, defensorem acutissimum tamen nactus est *Maranum*, observante *Ægidio Menagio*, in *amœnit. iur. civ.* c 39. Neque sequentia proxime legis citatæ verba nostram infringunt sententiam. Quando enim dicitur: *& sæpe materiam peccandi malis moribus præstaret, qui pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet*, hoc quidem non de Macedone, sed de fœneratoribus istius ætatis quibuscunque capiendum est. Verum enim vero, ne libertas, qua usi sumus, in proterviam, ac pruritum taxandi degeneret, finem scriptioni nostræ imponimus, ex animo precati, ut egregii Auctoris litteratissimi conatus, plurimum utilitatis studiosæ iuventuti, quæ ipsi credita est, afferant.

IO. FR. GRUNERI, PROF. PUBL. ORD. MISCELlanea sacra. Fasciculus primus.

Ienæ, impensis Bielckii, 1750, 4.
Plag. 9.

Opuscula nonnulla, e cathedra academica eruditorum disquisitioni olim, si fata tulissent, decreta, ab Auctore clarissimo in orbem emittuntur literarium, quorum priora duo, tentamina chronologiæ Nov. Test. continent, ultimum vero diligentiæ specimen, est exemplum perpetui in epistolam Pauli ad Romanos commentarii. Brevi manu dabimus cum lectoribus communicatum hunc fasciculum. Prior Dissertatio continet iter Pauli Hierosolymitanum ad *Galat. II, 1. 2.* Constat inter eruditos, diversas hac de re ali sententias. Una pars cavendum præcipit, ne illud Paulinum iter ad Synodum Hierosolymitanam pro uno eodemque habeamus. Altera pars in contrarium abit, nec ulla re hoc iter, ab illo ad Hierosolymitanam synodum, diversum esse affirmat. Huic posteriori sententiæ accedit Auctor, duo inprimis argumenta faventia in medium proferens. Prius desumtum est ex scopo Pauli, quem unum eundemque *Act. V, 2,* & ad *Gal. II, 1. 2.* esse docet. Lucas scilicet satis clare ostendit, profectum esse

Pag. 4.

Pau-

Paulum Hierosolymam, ut quæstionem controversam ad Apostolos perferret, quod & Paulus docet, dummodo verba eius vertantur: *profectus sum ad declarationem petendam.* Græca verba sunt: Ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν. Confirmat hanc vocabuli Græci potestatem Auctor, ex *Polluce*, & *Paulo* ipso, ut appareat, inter synonyma δηλῶσαι & γνωρίσαι etiam ἀποκαλύψαι legi. Nec obstat *Basnagii* dubitatio, talem finem itineris Pauli non admittentem, quia tunc temporis Paulus, Apostolis, successus prosperos evangelii prædicati inter gentes, enarrare voluerit. Unius enim rei possunt plures esse fines, adeoque unum alterum non excludit. Quin & ipse Lucas docet, Paulum *Act. XV*, 4. enarrasse omnino, quæ Deus secum inter gentes fecerit. Conveniunt itaque ambo testimonia inter se, quæ amplius urgeri possunt, si curatius evolvantur, & probe observetur, Paulum & Barnabam, omnes res a se gestas ita exposuisse Apostolis & presbyteris ecclesiæ Hierosolymitanæ, ut ipsi simul, quid de singulis statuerent quæstionibus, adderent. Ita intellectu facile esse putat Noster, *Act. XV*, 5. ubi verba inter se cohærere non videntur, nisi tali exponantur ratione; per omnia vero coniungenda sunt ista, cum Pauli scriptione excitato loco nobis proposita: Καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω κ. τ. λ. quæ quasi commentarii loco in Lucæ enarrationem adhiberi potest. Alterum argumentum suæ causæ exinde affert, quod reliqua omnia, quæ Paulus de itinere suo Hierosolymitano refert, examussim cum Lucæ enarratione conspirant. Conferri hic inter se iubet Auctor *Act. XV*. 2. 5. cum *Gal. II*, 3. 4. 5. Hinc corruunt facile dubitationes a *Basnagio* & a Cel. *Hoffmanno*, in *Introductione Pritiana*, motæ, ad quas singulas strictim & nervose respondet Auctor. Nostro utique iudicio recte hanc rem edisseruit, ita tamen, ut, quod vocabulum κατὰ ἀποκάλυψιν attinet, minus solide explicationem suam evicerit, ubi potius statuendum esset, Paulum iter suum ex manifestatione divina, tunc temporis Apostolis familiari, suscepisse. Quæ res reliquis, ab Auctore diligenter disputatis, plane contraria non est, sed facile illis subordinari potest. *Secunda*

Pag. 5. 6. 7. 8. 11. 13. 19.

commentatio, de tempore & loco scriptionis Epistolæ S. Pau-
Pag. 20. li ad *Timotheum* prioris agit. Multa hac super re ab erudi-
tis disceptata sunt viris, quorum alii hanc epistolam ante, alii
post vincula Romana scriptam asserunt, & inprimis verbis
22. *1 Tim. I, 3.* innituntur. Utraque quæstio in examen vocatur,
& declaratur plane solideque, tempus, quo composita fuit hæc
23. a Paulo epistola, ex *Cap. I. 3.* definiendum utique esse; licet
id reprehendat, in ipsa verborum istorum expositione non
circumspecte satis egisse interpretes. *Timotheum* a *Paulo*,
Ephesi ut maneat, iussum non fuisse, sibi persuadet Auctor,
24. ex verbis Apostoli *2 Tim. IV, 12. 13. 20.* ubi Apostolus scri-
bit; se Tychicum misisse Ephesum, quod superfluum fuisset,
si *Timotheus* ibi mansisset, qui festinanter Romam a *Paulo*
arcessitur, & cui perscribit, *Trophimum* Mileti esse relictum,
quod, ut ex Roma ipsi nuntiaret, supervacaneum videretur, si
Timotheus, Ephesi episcopus, & ita pauca admodum a Mileto
milliaria, abfuisset. Hinc nec Timothei mentionem iniicit
25. Paulus, ubi *Act. XX, 17.* presbyteros Ephesinos Miletum evo-
cat. Tuetur hanc explicationem Noster ulterius, & contra
obiectiones quasdam postquam se munivit, *Pauli* verba
26. *1 Tim. I, 3.* ita interpretatur: *Peragra Macedoniam, uti hor-
tatus te sum, exspectans me Ephesi, ut denuncies nonnullis, ne
diversa doceant:* vel, quod eodem redit: *Exspecta me Ephesi,
uti hortatus te sum, qui in eo iam es, ut peragres Macedoniam.*
27. Hanc sententiam deinde, ex linguæ Græcæ genio admitten-
dam esse, & rem ipsam eam probare, amplius Auctor confir-
matum dedit, & hinc infert, ante vincula Romana, & qui-
28. dem Corinthi, scriptam esse epistolam, eoque consilio largio-
rem collationem inter momenta, in *Epistola* ipsa, & in *Actu-
bus* occurrentia, diligenter instituit. Ultimum specimen ex-
35. hibet observationes quasdam in *Caput primum*, & particulam
37. *secundi*, epistolæ ad Romanos, quibus latinam præmisit conver-
40. sionem prioris capitis. Clerici hic *vers. 1-7.* interpunctio-
nem suam facit Noster, & geminam admittit *Parenthesin*,
43. cuius altera alteri sit involuta. Πίστιν *vers. 5.* non de fi-
de actuali, sed de doctrina Evangelica explicat. Ad *vers. 14.*
notat

notat, Iudæos ſimul ſub vocabulo *βαρβάροις* comprehendi, &
Apoſtolum ex mente loqui Græcorum, apparere ex ipſa
orationis ſerie. Verba Apoſtoli *verſ.* 17. ἐκ πίστεως εἰς πίστιν Pag. 45.
ita enucleantur, ut prius vocabulum fidem hiſtoricam deno-
tet; poſterius fidem iuſtificantem, ſeu ſalvantem. *Cap. II,* 56.
verſ. 7. Καθ' ὑπομονὴν vertitur *fortiter*, & interpunctio cum
nonnullis interpretibus ita aſſumitur, ut ἀγαθȣ ἔργȣ cum
vocabulis δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν, ex mente *Bezæ* &
Hertzogii, coniungantur. Contra *Wolffium* etiam monetur, δό-
ξαν ἀγαθȣ ἔργȣ eſſe, quando pii a virtutis ſtudio deduci ſe
non patiantur, etiam ſi hac in vita, pro gloria, qua ipſorum
virtus digna eſt, contemtu excipi ſe videant: nolunt enim
hominibus placere, ſed Deo. Pari ratione ἔργȣ ἀγαθȣ 57.
ἀφθαρσίαν eo valere ſcribit, quod neutiquam reſpiciant præ-
ſentia, ſed futura & æterna. Negandum tamen non eſt, mi-
nus conſuetam eſſe hanc dicendi rationem in tabulis ſanctio-
ribus Nov. Teſt. nec locum parallelum verbalem adferri in
probationem huius rei poſſe. Hinc vix, iudicio noſtro, hæc
interpretatio commode retinenda erit. Verſum vero octa-
vum & nonum huius capitis eſſe coniungendum, alii iam
docuerunt ſatis. In *verſ.* 13. per ἀκροατὰς τȣ νόμȣ intelligi 58.
cenſet Iudæos, in Synagogis lectioni legis vacantes. Plura
huiusmodi promiſit Auctor ſpecimina edere, in epiſtolas
Pauli conſcripta, ex quibus ut in communem uſum aliquid
redundet fructus, optamus.

FIGURÆ, QUA BASES FAVORUM SUORUM conſtruere ſolent apes, Determinatio per Methodum de Maximis & Minimis. Ex Epiſtola Cel. MAC-LAURINI, Math. Prof. Edinburg. & Reg. Soc. Lond. Socii, ad MART. FOLKES, Equ. Reg. Soc. Præſidem.

Traducta ex Transact. Philosoph. Anglicanis No. 471. pag. 565. (*)

Sagacitas, qua in favis suis secundum formam hexagonam construendis, utuntur apes, iam veteres in sui admirationem rapuit; eamque figuram omnium, quæ ad ipsarum institutum excogitari potuissent, esse optimam, iamdudum demonstratum est. Verum multo adhuc mirabilius Geometriæ, qua utuntur parvula hæc insecta, specimen, in figura basium, quibus clauduntur favi, est conspicuum. Compertum enim est exactis Cel. Virorum, *Maraldi* & *Reaumurii*, Observationibus, hasce bases pyramidali, eaque figura esse constructas, quæ non modo minimum ceræ ad eandem mellis quantitatem capiendam requirat, sed quæ simul notatu dignissimam concinnitatem atque symmetriam, cum frugalitate egregie coniunctam, exhibeat. Formantur nimirum bases istæ tribus rhombis æqualibus, quorum anguli obtusi reperiuntur dupli cuiusdam anguli, qui sæpius occurrere solet Mathematicis, in quæstionum, quæ ad maxima minimave pertinent, investigatione; cuius nempe tangens est ad radium, ut diagonalis quadrati ad latus. Huius vi constructionis, sex angulorum solidorum ad basin, totidem angulis hexagoni respondentium, tres æquantur & inter se, & angulo solido ad apicem figuræ, singulique formantur respective tribus angulis planis obtusis æqualibus; reliqui tres pariter æquantur inter se: formantur autem singuli quatuor angulis planis acutis, qui sunt complementa obtusorum præcedentium. His ita constitutis, optima ceræ, cuius quavis occasione deprehenduntur apes parcissimæ, habetur ratio; maxima in

(*) Disquisitionem hanc Mathematici eximii integram huc transferre, haud abs re iudicavimus: tum quod novum exemplum maximi minimive, in rerum natura obvii, præbeat; tum quod simul specimen methodi, eiusmodi quæstiones per Analysin mere geometricam resolvendi, præ se ferat.

TAB. IV ad Nov. Act. Erud. A. 1754 Mens. Aug. p.

Fig. I.





Fig. II.



in constructione obtinetur concinnitas; singularis præterea est in exequendo facilitas, quippe cum unicus solum, cum complemento, angulus, ad totius figuræ constructionem requiratur.

Clar. *Maraldus*, (*Comm. Acad. Paris.* 1712.) mensuratione actu facta, deprehendit, obtusos rhomborum angulos esse 110° proxime; simulque observavit, si tres anguli obtusi, qui angulos solidos modo dictos constituunt, statuantur inter se æquales, singulos debere esse = 109°, 28′; unde, hanc ultimam revera esse iustam ipsorum quantitatem, colligitur. Ex Cel. *Reaumurio* autem discimus, (vid. *Mem. sur les Insectes Tom. V.*) Cl. *Kœnigium*, ipsius desiderio satisfacturum, quæsivisse quantitatem huic angulo tribuendam, ut minimum ceræ ad favum eiusdem capacitatis requiratur, atque Geometriæ sublimioris, quam quæ veteribus esset cognita, ope, per methodum nempe infinitesimalium, reperiisse angulum quæsitum = 109°, 26′. Nos vero iam, principiis solius Geometriæ communis utentes, ostendemus, angulum optimum pro hisce rhombis ex hoc fundamento pariter prodire tantum, quantus resultaret ex supposita æqualitate trium angulorum planorum, solidos modo dictos efficientium.

Repræsentent *GN*, *NM*, duo latera contigua hexagoni, hoc est, sectionis favi, longitudini normaliter factæ. Favi latera non sunt parallelogramma completa, ut *CGNK*, *BMNK*, sed trapezia *CGNE*, *BMNE*, quibus in *E* inferitur rhombus *CEBe*, punctum oppositum *e* in apice figuræ habens; adeo, ut tres eiusmodi rhombi, una cum sex trapeziis, totum favum includere queant. Sit *O* centrum hexagoni, in quo sint *CK*, *KB*, duo latera contigua; iungantur *CB*, *KO*, se secantes in *A*; unde ab *COB* = *CKB*, & *KE* = *Oe*, erit solidum *EBCK* = solido *eBCO*, adeoque soliditas favi erit eadem, ubicunque punctum *E* sumatur in recta *KN*, datis nempe *C*, *K*, *B*, *G*, *N*, *M*, punctis. Inquiramus itaque, ubinam punctum *E* in recta *KN* capiendum sit, ut area rhombi *CEBe*, una cum duobus trapeziis *CGNE*, *ENMB*, superficiem constituat minimam? Ob *Ee* ipsi *BC* in *A* nor-

TAB. Fig. 1, 2.

A normalem, area rhombi erit $= AE \times BC$, trapeziorum autem $= (CG + EN) \times KC$, quæ simul conficiunt $AE \times BC + 2KN \times KC - KE \times KC$; unde, ob $2KN \times KC$ constantem, quærendum erit, quando $AE \times BC - KE \times KC$ sit minimum? Quem in finem adhibeamus eandem methodum, qua alibi determinavimus maxima & minima in variis quæstionibus, alia ratione magis abstrusa communiter tractari solitis. (vid. *Treatise of Fluxions, art. 572,* &c.) Ponamus nempe, punctum L ita capi in recta KN, ut sit $KL : AL = KC : BC$. In plano AKE centro A radio AE describatur arcus ER, secans AL (productam, si opus) in R, fiant EV, KH, ipsi AR normales. Iam ob Δ^{la} sim. LEV, LKH, LAK, erit $LV : LE = LH : LK = LK : LA =$ (p. hyp.) $KC : BC$. Hinc, prout E est vel intra K & L, (ut in fig. 1) vel extra, (ut in fig. 2) est $LH \mp LV (= VH) : LK \mp LE (= KE) = KC : BC$; unde utroque casu fit $KE \times KC = VH \times BC$; ideoque quantitas proposita $AE \times BC - KE \times KC = (AE - VH) \times BC = (AR - VH) \times BC = (AH + VR) \times BC$. Hæc autem quantitas, ob AH, BC, constantes, manifesto est minimum, si $VR = 0$, hoc est, si E cadat in L. Ergo $CLBl$ erit rhombus, ad frugalitatem optimus, si $KL : AL = KC : BC$.

Iam, ob OK in A bisectam, $KC^2 = OK^2 = 4AK^2$, $AC^2 = 3AK^2$, $BC = 2AC = 2\sqrt{3} \times AK$; unde $KL : AL = KC : BC = 2AK : 2\sqrt{3} \times AK = 1 : \sqrt{3}$, seu $AL : AK = \sqrt{3} : \sqrt{2}$, & (ob $AK : AC = 1 : \sqrt{3}$) $AL : AC = 1 : \sqrt{2}$. Quare angulus CLA est talis, ut eius tang.: radium $= \sqrt{2} : 1 = 14142135 : 10000000$, ideoque est $= 54°, 44', 8''$; unde angulus rhombi optimæ formæ est $= 109°, 28', 16''$.

Ope Solutionis inventæ, porro facile diiudicari potest, quantum ceræ vi constructionis huius lucrentur apes. Si basi non formam pyramidalem descriptam, sed planam, tribuerent, tum præter parallelogramma $CGNK$, $BMNK$, completa, superficies basis foret $= 3CB \times AK$; quod vero actu formant, adæquat superficie eadem parallelogramma $+ 3CB \times AH$; lucran-

crantur ergo $3CB \times (AK - AH) = 3CB \times AH \left(\frac{\sqrt{3} - \sqrt{2}}{\sqrt{2}}\right)$, quod fere quartam efficit partem operæ, & ceræ impensæ, qua opus habent præter id, quod ad complenda parallelogramma requiritur. Alia præterea accedere videntur commoda; maior nempe totius operis consistentia, ac in largioribus hisce angulis solidis sese expeditius movendi commoditas.

Restat, ut angulos planos CLB, CLN, BLN inter se æquales ostendamus. Inventum est supra $KL : AL = KC : BC = KA\ (= \frac{1}{2} KC) : AC$, unde $\Delta\Delta\ LKA$, LAC sunt similia; quare $LK : AL = AL : LC = KC : BC = 1 : \sqrt{3}$, & $LC = 3LK$. In plano $CGNK$ centro L radio LC describatur semicirculus DCP, secans KN in D & P, iung. CP, CD, sitque LQ ipsi CP normalis; unde erit ang. $CDK = QLP$, hinc $PQ : LQ = PC : DC = \sqrt{PK} : \sqrt{DK} = \sqrt{(LC + LK)} : \sqrt{(LC - LK)} = \sqrt{4} : = \sqrt{2} = \sqrt{2} : 1 = AC : AL$. Ergo ang. $QLP = ALC$, $CLP = CLB$, seu angulus obtusus rhombi $CLBl$ est = angulo obtuso trapezii $CLNG$; ideoque tres anguli plani, angulum solidum L, vel apicem l, efformantes, æquantur inter se. Unde manifestum est, quatuor angulos planos, solidum C aut B efficientes, pariter sibimet esse æquales. Fig. 1.

Licet *Maraldus* angulos hosce obtusos circiter $110°$ mensurando invenerit; exigua tamen inter hunc & $109°$, $28'$, $16''$, calculo rite elicitum, differentia, videtur aut mere accidentalis, aut difficultati tales angulos exacte mensurandi adscribenda. Accedit, quod ipse videatur admittere æqualitatem inter singulos angulos planos, apicem, & reliquos angulos solidos, ut supra diximus, includentes. Quod vero perexiguam inter nostrum, & *Kænigii*, angulum differentiam spectat, (qui primus Problema hoc consideravit,) ea forsan unice in eo sita est, quod ipse non eousque computationem perduxerit; nec de ea mentionem facere operæ foret pretium, nisi in gratiam praxeos industriorum horum insectorum; quæ ideo nobis ansam

præbet, concludendi; ea generatim, & nisi particularis forma vel circumstantia totius ædificii deviationem a regula deposcat, actu favos secundum hancce formam, non quamproxime, sed exacte construere, ipsorumque processum ab insigni Geometriæ peritia haud perfectiorem proficisci potuisse. Qua vero id ratione fiat, & unde mirus adeo in animalibus instinctus oriatur, altioris est indaginis quæstio; interim notatu admodum dignum est talis instinctus exemplum, cum Problema suggesserit, a Mathematicis, licet in maximis minimisve copiose versatis, neglectum, & tale, quod communis Geometriæ limites tantum non excedere visum est.

Operæ pretium erit, adhuc notare, si favi alius, quam hexagonæ, essent formæ, bases autem pyramidalis, has oportere terminari non rhombis, sed trapeziis, easque ideo minus regulares futuras, ipsis *OA*, *AK*, iam inæqualibus. Nec quoque constructioni adeo frugali, qualem descripsimus, locus esset, cum soliditas favi iam cresceret crescente recta *KE*. Favi itaque cum sint hexagoni, non solum respectu superficiei sunt capacissimi omnium figurarum regularium, nulla interstitia inter se relinquentium; sed & bases admittunt omnium perfectissimas. Adeo exequendo id, quod certo respectu est optimum, sæpe alia non prævisa obtinentur commoda; & quod maxime est regulare & concinnum, id simul deprehenditur utilissimum ac præstantissimum.

DE OBELISCO CÆSARIS AUGUSTI E CAMPI Martii ruderibus nuper eruto, commentarius, Auctore ANGELO MARIA BANDINIO. Accedunt Clar. Virorum epistolæ atque opuscula.

Romæ, 1750, fol. mai.
Alph. 2 plag. 12. Tabb. æn. 4.

Benedicto XIV ecclesiæ Romanæ summo episcopo, sacrum hoc opus esse voluit auctor, brevi dedicatione, stilo lapidari eleganter exarata. Excipit illam præfatio, qua de historia obeliscorum breviter, ex auctoribus, *Plinio* inprimis,

mis, exponitur. Partem illam Pliniani operis, in qua de obeliscis sermo instituitur, integram affert Noster, secundum *Harduini* editionem, cui ad latus iunxit textum codicis MS. *Riccardiani*, qui dicitur, saeculo VIII aut IX. exarati, cuius adhuc nemo omnium usus est, qui Plinianas animaduersiones prodidere. Subiungit etiam alias lectiones aliorum codicum MSS. qui in Vaticano asservantur, & Vindobonensis cuiusdam, saeculi, ut fertur, XIII.

Opus ipsum duabus partibus absolvitur. In priore, & in praefatione, Latino sermone auctor utitur, terso & nitido, cui ad latus accessit patrium idioma, non minore elegantia se commendans. Textui notas subiunxit, quibus ille illustratur. Prior pars 22. capitibus continetur, in quibus, quae de obelisco Sesostridis dici potuerunt, non minus erudite, quam eleganter describuntur. *Bandinius*, iuvenis adhuc, privati modo studii causa, nonnulla huc spectantia collegerat. Postea, ut illa ederet, *Silvius Valenti*, R. E. purpuratus, ipsi auctor fuit. Primum caput de Sesostride, obelisci Martii campi auctore, exponit, ubi, quae in Herodoto inprimis, & Diodoro, de magno illo principe reperiuntur, accurate discussa reperies. Tum in tempus inquirit, quo excisus fuerit obeliscus, qua data occasione non potuit non simul de tempore regni Sesostridis exponere. Chronologorum sententias affert: ipse non audet aliquid definire; licet in *Usserii* aut *Whistoni* magis, quam *Marshami*, inclinare opinionem videatur. Illud satis certum est, Sesostridis aetatem post A. M. 3037 aut post Troiani belli tempus, nullo modo referri posse. Nobis *Whistoni* arridet sententia, Sesostridem eundem esse *Pharaonem* statuentis, qui, dum Israelitas persequeretur, in mari rubro periit; & sic obeliscus ille anno circiter mundi 2501 constructus est. Si locum quaeras, ubi erectus fuerit obeliscus, in urbe Heliopolitana factum id fuisse, quod ea Soli dicata esset, cui talia saxa vovebantur, ex eo etiam apparere Nostro videtur, quod ex hac urbe Romam fuit translatus: sic enim testatur Ammianus. Nec tamen inde sequi, quod vult Noster, ex epistola *Stuarti*, quae finem operis facit, patebit. De ipsa

Cap. I. p. 1.

Cap. II. 4.

Cap. III. 8.

 illa

illa vetustissima urbe, quæ in sacro textu On vocatur; quæque
eo fere in loco sita fuit, ubi nunc urbs Cairi conspicitur, & magna
scientiarum & artium fama inclaruit, paulo fusius agitur; tum
& de Cambyse, qui Heliopolin diruens, splendidissima quæ-
que, ut & obeliscos, non tamen omnes, nec omnino, per-
Pag. 11. didit. Quale fatum obeliscos illos tunc manserit, qui Ro-
12. mam deportati fuerunt, Auctor non vult definire: Kirche-
rum tamen, & alios, redarguit, quod obeliscum illum, de quo hic
agitur, vel non Sesostridis iussu excisum, vel saltem non in-
tegrum esse, contendunt. De obelisci materia quarto
Cap. IV. 13. capite agitur. Marmore tali constat, quale antiqui *πυρ-ῥοποικιλον*, Psaronium, Syenitem lapidem; recentiores *grani-
to*, appellant. Ex tali lapide omnes Ægyptiorum obelisci
facti fuerunt; & quorum diversa est materies, alios populos,
14. inprimis Phœnices, auctores agnoscunt. De hieroglyphicis
Cap. V. 15. notis obelisco insculptis dum agere Noster instituit, præmit-
tit quædam de varia veterum scribendi ratione; & symbolicam
esse antiquissimam nobiscum putat, quali non Ægyptii modo,
16. sed Æthiopes quoque, & alii populi, Christiani etiam primis
17. sæculis, usi fuerunt. Ille, de quo nunc agitur, obeliscus,
talibus figuris plenus reperitur: quæ tamen, iniuria tempo-
23. ris, vel aliis de causis, magnam partem deletæ sunt. Id so-
lum notatu dignum est, apicem minutissimis hieroglyphi-
cis ita esse ornatum, ut in eo totius obelisci notæ repe-
titæ videantur, præter alias, quæ semel tantum occurrunt.
Harum figurarum plures in aliis obeliscis non reperiuntur.
Cap. VI. Quid autem sibi velint, arduum omnino est definire. Huius
24. 30. tamen obelisci cuspidem, consecrationem Soli peractam præ
se ferre, atque opera ab Ægyptiis sapientibus huic numini
attributa significare; illos vero in obelisco ipso conspicuos;
metaphorico atque allegorico sensu Sesostridis egregia facino-
ra, victorias, ac laudes, referre, verosimile arbitratur. Nos, in
tanta rerum caligine, pedem quo figamus, nescimus. Nunc, qua
Cap. VII. occasione, quo auctore, & quomodo Romam delatus fuerit
31. obeliscus, docemur. Factum id est iussu Augusti, paulo post,
32. cum A. V. C. DCCXXIV. Ægyptum redegisset; in cuius
faci-

facinoris memoriam numos etiam cusos fuisse constat. Quo modo deportatus fuerit, non quidem omnino determinari potest: qua tamen id ratione fieri potuerit, a Plinio docemur, Pag. 33.
qui, quomodo Nectabis obeliscum Ptolemæus Philadelphus Alexandriam importaverit, scriptum reliquit. Arguitur in notis *Harduinus*, qui pro *Callixeno*, apud Plinium, *Callisthenem* reposuit. Si alios Plinio scriptores iungimus, apparet, Augustum, aliosque Imperatores, obeliscos primum Ostiam, deinde 37.
ad Romanum portum, navibus omnino maximis detulisse. In notis, de his portubus & navibus pluribus exponitur. Utrum obeliscos, adversa Tiberi, iisdem navibus, an aliis ad hanc rem constructis, Romam importaverint, Noster non audet definire. Plinium vero sic supplet: *cum alia subiret cura* 39.
navium, quæ Tiberi obeliscos subveherent, has construere tentarunt, forma & magnitudine ad instar earum, quibus per Nilum ad mare devecti fuerant: quo experimento patuit, non minus aquarum huic amni esse, quam Nilo. Sine necessitate, Cap. VIII.
hæc omnia, ut putamus. Tum quo in loco, quomodo, & quo tempore, Augustus suos erexerit obeliscos, disquiritur. De modo, quo erecti fuerint, nonnisi coniecturæ afferri possunt. In campo Martio illum, de quo hic sermo est, obeliscum fuisse positum, iam antea dictum est. De campo illo paulo fusius agitur. Quod ad tempus attinet, A. V. C. DCCXLIV. 42.
cum tertia vice clauderet Iani templum Augustus, factum hoc fuisse, argumentis probatur satis firmis. Inscriptionis, Cap. IX. 44.
in obelisci basi ab Augusto insculptæ, illustratio nunc sequitur. Similis omnino hæc inscriptio illi est, quam alteri obelisco, qui nunc ante portam Flaminiam assurgit, Augustus apposuit, quamque interpretatus est *Iosephus Castalio*, *Tomo IV. Gravii*. Singula verba Noster explicat studiose, ut non eruditis modo, sed & tironibus usui esset. De vocis tamen *imperatoris* usu & significatu, quædam affert non adeo vulgaria, uti illud: neminem fortasse ante Iulium Cæsarem se 49.
passum esse appellari cognomine imperatoris post triumphum, multoque minus illud iterare ausum fuisse. Illud 54.
etiam, quod de iis, qui litteris vocalibus imponebantur, apici- Cap. X. 55.

 bus

bus disputat, lectu est dignissimum, cum ante ipsum nemo
Pag. 61. hanc rem tanta sollertia perscrutatus fuerit. Palam esse dicit, veteres non tam vocalium sonos, iuxta earum productionem, aut correptionem, quam iuxta earum usum, & genesin, protulisse; & talibus signis rudem inprimis populum non raro
Cap. XI. 64 indiguisse. Capite IX. in altitudinem obelisci inquirit. Auctores de ea non conveniunt. Diodorum, qui CXX. cubitos illi tribuit, corruptum existimat: Plinium vero feliciter emendat, ope codicum, Riccardiani, & Laurentiani, quos Harduino scrutari non contigit, & e quibus patet, Plinium XXCV pedes, non CXXV, scripsisse. Eandem lectionem habere codicem Venetæ bibliothecæ, ex epistola *Poleni*, parti huius
65. operis secundæ inserta, cognoscimus. Ceteros Auctores, aut basin comprehendisse putat, aut pedem a Pliniano diversum adhibuisse. Tandem Noster ipse, Statiliano, quem dicunt, pede dimensus est obeliscum, & altitudinem eius, præter basin, invenit pedum circiter LXXV. simul & de mensuris
Cap. XII. 63. antiquorum, pede inprimis Statiliano, commentatur. Si quæras, ad quem usum, & a quo redactus fuerit obeliscus, opera *Facundini* mathematici id effectum fuisse Noster arbitratur, ut pro meridianæ stilo usurparetur: non tamen statim de ea re cogitatum fuisse, sed interiecto aliquo tempore. De variis horarum & dierum apud veteres mensuris deinceps dis-
Cap. XIII. seritur: quæ nunc quidem satis nota sunt. De pila in vertice
73. obelisci copiose exponit A. & *Pigafetta* alius sphæræ obelisco Caii impositæ adiungit descriptionem. Illud autem a nobis minime est prætereundum, alium Plinii locum, e codicibus,
76. Riccardiano & Laurentiano, feliciter a Nostro esse restitutum. Legitur in omnibus editionibus, si illam, quam *Harduino* debemus, excipias: *Digna cognitu res, & ingenio fœcundo. Manlius mathematicus apici auratam pilam addidit. Harduinus* expungit vocem *Manlius*. In dictis codicibus clare: *Digna cognitu res, ingenio Facundini liberti mathematici. Is apici auratam pilam addidit.* Forsan ex *FacundiN' L. Manlius* effictum est a librariis, quod Manlii nomen esset notius. Nam in codice Laurentiano invenitur: FACUNDIN' L.

cum

cum in codice Riccardiano binæ voces integræ conſpiciantur. Quæ cauſa fuerit variationis obeliſci, de qua Plinius loquitur, determinare non adeo facile eſt. Noſtro videtur, totius molis fundamento, quod vel inundationibus Tiberis, vel terræ motibus, aliquantiſper ceſſerat, hoc eſſe tribuendum. Nobis Cel. *Euleri* ſententia magis arridet, qui variationem a Plinio indicatam, in Epiſtola parti alteri inſerta, omnium optime ſic explicat, ut ſecundum Calendarium Iulianum intelligendam eam putet, ita, ut aberratio anni Iuliani, a vero ſolis motu, iam tum nota fieret. Poſt Plinii tempora neglectus omnino fuiſſe obeliſcus videtur. Quando vero, & cuius opera, fuerit everſus, vix ac ne vix quidem poterit definiri. Nec a Chriſtianis, nec terræ motibus, nec Gothorum ante Totilam, furore, effectum hoc fuiſſe, ex re ipſa, & Auctorum monimentis, efficere Noſter ſtudet, Totilam A. C. 546. ſolum huius facinoris inſimulans. Viciſſitudines Romæ, ut hoc probatum det, copioſe deſcribit: ſed ne ſic quidem res in aprico videtur collocata. Id ſolum conſtat, hominum opera everſum fuiſſe, cum vectium & ferramentorum veſtigia, quibus deiectus eſt, exiſtant in infimæ partis, quæ baſin ſpectant, lateribus; quale quid in aliis quoque obeliſcis obſervavit *Michael Mercatus*, in ſuo de obeliſcis opere. Poſt ruinam non omnino datus fuit oblivioni campi Martii obeliſcus: a pluribus enim memoratur inde a Seculo VIII Scriptoribus. Nec tamen de uſu eiusdem quidquam reperitur. Quam A. C. circiter MD effoſſam fuiſſe horologii partem ſcriptores tradunt, de meridiana huius obeliſci eſſe intelligendum, Noſter recte putat. A. C. MDII, pars obeliſci ruinis obruti primum fuit detecta, ſub Iulio II Pontifice, cum tonſor quidam, in hortulo ſuo, fodiendæ latrinæ cauſa, terram effoderet: mox tamen rurſus coopertus fuit, quod bellis impeditus pontifex, animum ad erigendum eum applicare non poterat. Secunda vice detectus fuit A. C. MDLXXXVII, Xyſti V tempore: ſed quod igne ferroque exciſus reperiebatur, papa ab erigendo illo abſtinuit. Alexandro etiam VII. tale quid in mentem veniſſe, ex *Athanaſii Kircheri* epiſtola hucusque inedita

Cap. XIV. pag. 77. 81. Cap. XV. Cap. XVI. 82. 89. Cap. XVII. 94. 95. 97. Cap. XVIII. Cap. XIX. 100.

Pag. 102. dita cognoſcitur, quæ in notis integra cum lectore communicatur. Ultima tandem vice A. C. 1748. detectus fuit, ſex
Cap. XX. circiter cubitos infra urbis ſolum depreſſus, & in quinque fru-
103. ſta diffractus. *Nicolaus Zabaglia*, quem ſenem Roma nuper amiſit, homo litterarum omnino expers, & vix animi ſui ſenſa verbis exprimere valens, magna tamen ſagacitate præditus artifex ille fuit, qui, machina quadam inventa, quæ ſua tantum ſimplicitate ſe commendat, & hic poſt præfationem aeri inciſa reperitur, erexit obeliſcum. Machina cum omni apparatu deſcribitur, &, qualis ſitus obeliſci fuerit, antequam
105. erigeretur, verbis architecti *Thomæ de Marcis* indicatur. Inſcriptio in eo loco poſita fuit, ubi obeliſcus detectus fuerat,
107. quæ, una cum epitaphio *Nic. Zabagliæ*, integra hic inſeritur.
Cap. XXI, Tandem de iis agitur, qui obeliſcum pro horologio ſolari
108. ſtetiſſe affirmarunt, eiusque uſum monſtrare conati ſunt; inter quos primas tenent *Iac. Ziegler*, in Explanationibus Pli-
110. nianis, & *Iac. Maſius* apud *Kircherum* de obeliſco Pamphilio. Prioris opinio ſe ipſam evertit: alteram ſecuti ſunt plerique
Cap. XXII. usque ad noſtram ætatem Auctores mathematici. Noviſſime,
113. celeberrimi, & rerum mathematicarum peritiſſimi viri, pro meridianæ potius, quam horologii uſu, obeliſcum inſerviiſſe ſatis luculenter oſtenderunt, quorum epiſtolas & diſſertationes, alteri huius operis parti inſertas integras reperies.

Primum locum occupat epiſtola *Io. Poleni*, qui oſtendit,
Cap. II. de longitudine ſolum illius ſpatii Plinium loqui, quæ extenderetur ad excipiendam ab integra altitudine umbram meridianam ſexta hora, id eſt meridiana; nec, ubi de ſolariis ſermonem inſtituit, de huius, quale volunt, præcipui ſolarii arti-
Cap. IV. ficio mentionem facere, nec de pluribus horis dicere, ſed de una tantum ſexta: ex his patere, meridianam potius, quam horologium, aut ſolarium, a Plinio fuiſſe indicatam. Quæ
Cap. X. affert alia, iam a Noſtro fuerunt occupata. Addit tamen, metalli aliquam virgam, qua ſuſtentata fuerit aurata pila, fulminibus incurvari, & ſic variationes produci potuiſſe. Excipit
Cap. XI. hanc epiſtolam alia *Io. Alb. Columbi*, qui de dictæ variationis
Cap. XIV. cauſa pauca præcipit, *Bandinii* ſententiæ adhærens. Fuſior eſt

in

in explicando Plinii loco *Roger. Ioseph. Boscowich*, Soc. Iesu, qui iustum parat volumen, quo veterem illustrabit villam in Tusculano sui collegii fundo, Ruffinellam vocant, Sanhettae olim familiae rus, paucis abhinc annis detectam. In partes tres suam partitur dissertationem vir eruditissimus. Primo loco non de horologio, sed de meridiano solum, locutum esse Plinium ita ostendit, ut nulli amplius dubio locus relictus videatur. Concinnata series argumentorum non facile compendium admittit. Addit, *Io. Franc. Oliverium*, secretarium & oeconomum, ut aiunt, fabricae D. Petri, de tam egregio obeliscorum usu Romano restituendo, constructa in vaticani area meridiana linea, cogitasse, cuius gnomon esset obeliscus ille, quem ibidem Sixtus olim V. erexit: sed binos fontes describendae meridianae ductum interrupisse. Tum de illa, quae addita fuit apici, aurata pila sermonem instituit, & tandem de variatione observationum, quae huc pertinent, differit. Sive in solis motu, sive in telluris situ, mutationes aliquas accidisse veritati non incongruum putat; & fieri tale quid etiam num posse, sua ipsius experientia probat, illam fulciens sententiam, quae & nobis adhuc animo haeret, & Newtonianae principiis philosophiae maxime consentanea reperitur. Sequuntur epistolae *D. Octaviani Cametti*, & *Iacobi Marinonii*. Hic, dum absurdam eorum vocat sententiam, qui polorum diurnae vertiginis in tellure mutationem, causam variationis in usu obelisci observatae fuisse arbitrantur, durius sane loquitur, quam res poscebat. Nec enim ignorat vir doctissimus, nostris temporibus, post accurate institutas observationes & experientias, compertum omnino esse a pluribus, tales mutationes fieri posse, & factas etiam esse. Ill. *Scipio Maffeius*, in sua, quae sextum locum occupat, epistola, putat, obeliscos apud ipsos Aegytios in usum inveniendae meridianae lineae inserviisse, & pilas iam tum iis fuisse superimpositas. Multiplici utrumque, ut solet, eruditione illustrat. Plinium sic emendat: *cui par fieret umbra Romae brumali die sexta hora*. *L. A. Muratorii*, *de Bose*, *Euleri*, & *Christiani L. B. de Wolff*, nunc in medium

Cap. XXV. Cap. XXVI. Cap. XXX. C. XXXV. Cap. XLII. Cap. XLIV. Cap. XLV. Cap. LI. Cap. LXI.

Cap. LXII. dium afferuntur epiſtolæ. *Heinſius* noſter V. Cl. addit, veriſimile
ſibi videri, in regione regularum ad lineam meridianam,
ſeu ad ſtratum lapidem adiunctarum, applicatam fuiſſe aliam
pilam, pilæ auratæ in apice obeliſci poſitæ æqualem, eum
in finem, ut prior poſterioris umbram directe excipere poſſet.
Eidem *Heinſio* noſtro debemus diſſertationem hic adiunctam,
Io. Chriſtoph. Mulleri, præſide *D. Io. Guil. Bayero* A. MDCCVI.
Cap. LXIV. de hoc obeliſco in Noricorum Univerſitate habitam. In
menſura obeliſci, & eius uſu, occupatur, & cum auctoribus
C. LXVIII. præcedentium epiſtolarum ſatis conſentit. Sequitur *Pariſi-
enſis academiæ humaniorum litterarum & inſcriptionum* re-
ſponſum, quo negatur omnino, mathematicum, Manlium
perperam dictum, omnium primum campi Martii obeliſco,
pilam, ad umbram in ſemet ipſam colligendam, addidiſſe.
Cap. LXX. Hanc excipit notitia cuiusdam anonymi hiſtorica, de campi
Martii obeliſco, Benedicto XIV. ante obeliſci erectionem ex-
C. LXXIII. hibita. Finem operis facit epiſtola *Iacobi Stuart*, Angli,
qui, dum erueretur obeliſcus, præſens omnia oculis ſuis ſolli-
cite perluſtravit. Laterum obeliſci declinationem graduum
C. LXXIV. 15. in occidentem invenit. Omnes obeliſci partes diligenter
C. LXXIX. dimenſus eſt, & a ſuprema eius cuſpide ad baſin ſtylobatæ
inſidentem invenit Anglicanos pedes 71. uncias $5\frac{1}{2}$ accurate:
altitudo autem ſtylobatæ erat accuratiſſime quinta illius al-
titudinis pars; nimirum pedum Anglicanorum 14. $291\frac{3}{5}$. Se-
Cap. LXXX. cundum pedis veterum Romanorum menſuras, quales adhuc
variæ lapidi inciſæ extant, pedes tales 82. cum dodrante, quam
proxime continet obeliſci altitudo. Hinc Plinius XXLII,
non CXXV, ſcripſiſſe putatur. Diviſa longitudine particula-
rum Pariſienſium $96587\frac{91}{72}$ per $73.\frac{3}{4}$: prodit menſura pedis
$1309\frac{787}{1062}$. Iam vero hæc menſura ita congruit cum *Cappo-
niana* illa $1309\frac{4}{72}$, ut pro eadem fere aſſumi poſſit: pes au-
C. LXXXI. tem ille *Capponianus* reliquis omnibus, ipſo *P. Revillas* teſte,
Cap. eſt nitidiſſimus, & omnium optime conſervatus. Palmos
LXXXVII. Ægyptii cubiti 250, ſive cubitos 41, palmos 4, altitudo noſtri
obeliſci continet, aſſumta cubi menſura pedis Anglicani
$1\frac{715}{1000}$, quippe quæ omnium eſt accuratiſſima. Hinc *Diodo-
rus*

rus, qui huic obelisco tribuit cubitos CXX, non ita scripsisse putandus est: sed XL. Et quid verosimilius, quam quod librarius *ρκ* pro *μα* scripserit? Ad usum obeliscorum progreditur vir diligentissimus, eosque, cum pyramidibus, astronomiae inserviisse primis temporibus, licet postea ad luxum quoque adhibiti fuerint, arbitratur, rationibus fultus non contemnendis. Qua ratione illud fieri potuerit, docet; immo existimat, propter annum Aegyptiacum, motui solis non correspondentem, & propter Nili inundationes, necessarium fere fuisse talem usum. Tandem mirum in modum, mathematicis, & aliis rationibus adductis, facit verisimile, non in urbe Heliopoli: sed Thebis, erectos fuisse illos, de quibus nunc sermo est, obeliscos. Cap. XCI. Cap. XCV.

TRATTATO DELLA SFERA, &c.

hoc est,

TRACTATUS DE SPHAERA, ET INTRODUCTIO ad Navigationem, in usum nautarum, Auctore IOANNE PAGNINO, Hydrographiae Professore Melitensi sub sacra religione Hierosolymitana.

Venet. anno Iubilaei 1750, impress. Io. Bapt. Recurti, 4 mai. Alph. 1 plag. 8. Tabb. 27.

Satis superque iam docet ipse titulus, *Operis* praesentis institutum. Introductio nimirum est ad artem navigandi, & quidem eam partem, quae est astronomica, & a sphaerica doctrina potissimum pendet. In *duas* itaque *Partes* opus dispescitur, quarum *prima* de sphaera, *altera* de ipsa navigatione, agit. Post praemissa generalia, ad sphaerae cognitionem necessaria, primo de tellure, circulis variis ad eam pertinentibus, ipsiusque mensura tractatur. Dein explicatur motus solis, & solutio problematum huc spectantium. Porro de fixis, & planetis, eorumque motu & phaenomenis, nec non de mundi systematibus, agitur. Exponuntur deinceps affectiones sphaerae coelestis & terrestris, e praecedentibus resultantes; cum doctrina ventorum, & pyxidis magneticae. Ultimum *Caput* circa observationes longitudinum & latitudinum versatur, ubi tra-

ditur instrumentorum huic usui inservientium constructio, & correctio, ipsorumque ad definiendas latitudines applicatio, denique præcipuæ investigandarum longitudinum methodi. In *altera* de arte nautica *Parte*, primo docetur cursus navis varius, inprimis autem Loxodromiæ natura & proprietates, ac problemata ad eam spectantia. Hinc Quadrantis reductionum constructio & usus explicantur. Traditur dein methodus cursum navis æstimandi, varias correctiones in præcedentibus adhibendi; doctrina fluxus & refluxus maris, eiusque potissimum in portibus vel oris stabilitas. Denique perhibetur constructio mapparum hydrographicarum, secundum varias conditiones describendarum, ipsarumque usus ad resolvendas quæstiones; cui finem imponit modus formandi diarium nauticum, nec non delineandi incharta figuram portus, oræ, & similium, e duabus nempe stationibus, ope pyxidis magneticæ. Ex allatis facile patet, nulla alia in præsenti *Tractatu* contineri, quam quæ vulgo in omnibus eius tenoris cursibus pertractari solent. Sed nec instituti ratio aliter voluit; suoque proposito censendum est satisfecisse scriptum, quo omnia bono ordine, debitaque cum perspicuitate exponuntur. Atque istud hic factum esse, merito laudamus.

NOUVELLES REMARQUES SUR LA LITHOtomie, &c.

hoc est,

NOVÆ OBSERVATIONES DE LITHOTOMIA: item de separatione penis & amputatione mammarum. Auctore M. PAULUCCI, Chirurgo Academico Florentino, Maiestatis Imperialis Alumno.

Parisiis, 1750, octavis, plag. 14, tab. æn. V.

Cum variæ sint calculum ex vesica trahendi methodi, in eo potissimum diversæ, quod varius in vesica locus sit, qui, hac vel illa ratione secantibus, incidendus est; ideoque primarium illud Auctori visum est esse, quo pelvim in varias regiones, inque varia divideret triangula, ut liquido constare possit, quæ vesicæ pars, qui musculi, quæ vasa obveniant, si hæc vel illa præ-

præoptetur methodus. Depicta hunc in finem & lineis divisa pelvis est, figura singulari; reliquas studio omissas nunc esse declarat in prologo. Quamvis enim pro variis, quæ definiri nequeunt, circumstantiis, vesicæ forma, & ad externas partes lithotomo incidendas relatio, plurimum variet, prouti aliter aliterque vesica repleta, & sic plus vel magis expansa est, vel prouti intestina, maxime rectum, vesicæ situm mutant, & prouti inter secandum, ad situm ægri, eiusque ætatem aliquid redit; minus tamen errorem committendi periculum est, si pelvis chorographia, quæ semper constans est, subductis ad hominem rationibus, mente teneatur firmiter. Negatur, vesicæ aliquem sphincterem proprium datum esse, qui incidatur, sed carnem eam, quæ collum vesicæ stringit, ab ani sphinctere oriri, & strictius vesicæ cervicem amplecti, asseritur. Determinatur triangulum aliquod, *vacuum* Auctori dictum, in quo nihil sit, quod offendi possit præter cutem, pinguedinem, musculumque forte transversalem, nec hunc quidem semper, præter etiam vesicam eiusque tumorem, qui compresso abdomine inter secandum eminet. Evitandæ autem sunt haud minimæ diametri arteriæ, quæ, læsæ, magnam omnino sanguinis vim funderent, illa scilicet *Ischio cavernosa*, quæ in sectionibus calculi ad imam vesicam spectantibus, & illa *hypogastrica*, quæ obvenit, si supra pubem vesica inciditur. Ut omnibus paulo clarius constaret, qualis vesicæ pars, in omnibus illis secandi modis, qui hucusque inventi sunt, cultello subsit, terminos Græcos invenit Auctor, qui locum ubi incidendum est, significant. *Hypocysteotomiam* vocat sectionem calculi omnem, qua vulnus in ima vesicæ, & illa, quæ rectum intestinum respicit, parte, infligitur. *Epicysteotomia* illa est incisio, quæ supra os pubis fit, quorsum etiam illam refert, quam *Fourbert, Gallus*, in *Nouvelle methode de tirer la pierre de la vessie* 1743 proposuit. Ille enim quamproxime ad ossium pubis symphysin incidit vesicam, supra eius collum, & ita quidem prostatas haud vulnerat: ast, arteriam Ischio cavernosam ne offendat, maximum incurrit periculum. Ex illis, quæ sub vesica fiunt sectionibus, illa Celsiana antiquissima, *Urethrotomia* est unice, dum bulbus eius inciditur, & calculus talis ducitur, qui vel in

cervice veficæ, vel haud procul abinde eft, & ita fe gerit, ut poftquam digitum ano immifit chirurgus, propelli verfus vulnus poffit, quæ methodus pueris magis commoda quam adultis eft. Quodfi autem, præter urethram, etiam veficæ collum inciditur, *Urethrocyfteotomia* celebratur. Vix potuit illa antiqua Celfi methodus, quæ ad usque Guidonis de Cauliaco tempora exercita fuit, in folius urethræ vulnere conftitiffe; fi enim grandiufculus & faba maior calculus eft, educi ille, nifi collum veficæ graviter affligas, haud poteft. Steriles evafiffe illos, quibus ita calculus fectus fuit, *Aetius* refert; neque enim aliter fieri poteft, quam ut veficularum feminalium oftia, poft tale vulnus, coalefcant penitus. Parum fane ab antiqua illa differt recentior, quam *Ioannes de Romanis* fub initium Seculi XVI exercuit, *Marianus autem Sanctus Barelitanus* perpolivit, &, *de Lapide vefica per incifionem extrahendo*, libello, Venet. 1535, defcripfit, unde etiam ab eius nomine *Mariana* dicta fuit. Quamvis autem urethra incidatur hac fectione, introducto ante cathetere fulcato, veficæ tamen collum, nifi parvus calculus eft, intactum manere nequit, quin laceretur peffime tenaculis, ad magnum illum apparatum pertinentibus; nec novum hoc eft, cum etiam Avicenna, tenaculis, ad confringendum educendumque calculum uti iubeat. Penitus ergo deferuerunt hanc methodum recentiores, nec nifi tunc, ubi fubingreffus in urethram calculus fuit, exercita eft ab *Heiftero* & *Morando*. Cum aliquando *Petrus Francus*, maiorem, quam qui urethra educi poffet, calculum exfcindere vellet, nec quicquam, urethrotomia, proficeret, epicyfteotomiam, aut illam hypogaftricam, qua fupra offium pubis fynchondrofin vefica inciditur, inftituit. Hæc una huic fectioni ineft difficultas, quod urinæ, per vulnus, in cellulofum peritonæi contextum, effluant, & pernitiofiffimum pus ibidem excitent. Ingeniofiffimus *Paullucci* hanc mendam correcturus, fequens proponit auxilium. Dilatatorium invenit duplici crure per elaterem diftento conftans. Cruribus fericum molle prætexit: hoc apertum fervatur vulnus. Deinde ubi calculus vulnere extractus, & fpongia tenui, quam flexile manubrium fuftinet, exterfa penitus vefica eft, introducitur

tur

tur per vulnus cannula, intra quam acus est triquetra. Haec versus tuber ossis, & illum locum, ubi lateralis calculi sectio institui solet, adigitur. Si cannulae os tactu chirurgus percipit, secure compunget; etiamsi autem tactui obvium illud non est, adigere tamen absconditam intra cannulam acum triquetram potest, directioni confisus, qua instrumentum cum tubere ischii mente aequat. Transfossa acu foramen relinquitur, per quod, eiusdem cannulae ministerio, flexilis ex argenteo filo fistula indbci, inque vulnere relinqui potest, quo hac artificiali urethra, urinae fluant, donec & summum vulnus coalescat, & urethra suo fungi incipiat officio. Consulit etiam, summum vulnus, sutura nodosa, comprehensis simul musculis, suere, & vesicae vulnus abdominalibus carnibus adglutinare. Verum consultius est, infra secare vesicam. Describitur urethrocystеotomia *Morandi* & *Fagelii*, qui, post urethrae vulnus laterale supra prostatas factum, vesicam ipsam vulnerare haud verentur, deinde extracto calculo cannulam in vulnere relinquunt, ne illud, ubi glutinatum est, sub cicatrice ulcus alat, quae lateralis sectionis menda est. Adiiciuntur historiae operationum, quibus calculi exsecti fuerunt. Alter libellus, qui prioris sequela est, continet varias operationum historias, quae penem virilem, mammamque muliebrem attinent. Si cancer glandem penis destruxit, atque illud, quod putridum est, a sano separari oportet, totus penis, introducta ante in urethram cannula argentea, fortiterque adducto lato filo, strangulatur in parte sana. Emoritur quidquid infra ligaturam est. Febris etiam accedit, quam venaesectio lenit. Inducta cicatrix corpora spongiosa praecludit; urethra, immisso cereo, dilatata est. Praefert tamen Auctor amputationem, cum tantum ex haemorrhagia periculum haud sit, quae, compresso versus symphysin ossis pubis utroque penis corpore, facile sistitur. De mammarum, quas cancer invasit, exstirpandarum rationibus, multa adducta sunt utiliter, praeter enim exempla, regulae adiectae sunt practicae. Veluti artis ignorantiam prodit, resolvere velle tumores mammae in durum corpus elatos, omnique vita destitutos: ita temeritatis est, recentes tumores exstirpare velle propediem, quos spes superest discuti inter-

norum

norum medicamentorum usu, posse. Est in utroque libro vasta eruditio, antiquarum sententiarum suppellex, & doctrinarum insignis perspicuitas.

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG, PHYSIOlogiae P. P. Ord. Colleg. B. M. V. Colleg. & Soc. Reg. Boruss. Scient. Sodalis, Institutiones Pathologiae, Praelectionibus Academicis accommodatae.

Lipsiae, ex officina Gleditschiana, 1754, 8.
Plag. 12.

Laudatum Virum, postquam ille, doctrina, scriptis, fama, & vitae academicae celebritate, iam satis inclaruit, laudare velle, supervacaneum est, quando novi eius labores scholastici, quos brevi scriptione nunc adumbrabimus, diserte loquuntur. Animus *Celeb. Autoris* erat, primas doctrinae de morbis ducere lineas. Igitur hoc sibi agendum ubique proposuit, ut statum hominis *aegroti* ad illum *sani* aestimet, eandem in constituendis morborum ordinibus seriem, quam illa est, qua actiones sani exponi in physiologia solent, servaturus. Quantum homo aegrotus, ab actionum suarum integritate recedat, *Parte prima*, quae *Nosologia* est, exponitur. Haec de morbis in universum agit, ast symptomatologia exponit de singulis. Tunc aegrotare ut plurimum dicuntur homines, cum in actionibus universalibus aut particularibus notabiliter deficiunt; si qui enim ex causa individuali cito fatigantur, non tam aegroti quam debiles appellari solent. Morbus impedimentum actionis est ex causa obsistente, & efficiente, quo minus agere organa possint, involvens conditiones corporeas, praeter naturam mutatas; etiamsi enim omnes morbi per corporis leges mechanicas explicari nequeant, quando animae operationes laeduntur; aliqua tamen semper, cum sanare intendimus, assumenda mutatio corporis etiam in illis, quae animam impediunt, aegritudinibus, est, uti sanguis atrabiliarius in melancholia & mania. Differentiae mor-

morborum essentiales illæ sunt, quæ in partium corporis nostri, vel simul, vel seorsim affectarum, discrimine ponuntur. Sunt igitur aliqui morbi, quorum idea plus ad fluidorum mutatorum indolem revertitur; fluidorum *quantitas* & *qualitas*, formam morbi quandoque sistit. Quantitatis est, deficere eo usque, dum actio languescat, quod est κενεαγγία, abundare eo usque dum hoc ipsum fiat, quod est πληθώρα. Hæc triplex est, *obesa*, *debilis*, *cacochymica*. Cum fluidorum crasis a naturali aliena est, *cacochymia* in universum status ille dicitur, quæ triplex est, *spissitudo*, *tenuitas*, *acrimonia*. Spissitudo duplex est, pituitosa atque atrabiliaria. Acrimonia non, nisi in salibus, quærenda est; erit ergo *acida*, *alcalica*, atque illa, quæ ex oleis alcali iunctis nascitur, *rancida*. Possent & aliæ vix definiendæ esse acredines, quæ tamen ex prioribus, mixtis, nascuntur. Solidæ partes ideam dominantem morbi sistunt, cum vel nisus illarum erga se suaque fluida, atque ille, vel excedens, vel deficiens, cumque cohæsio illarum læsa est. Hinc fibræ rigidæ atque laxæ notio, quæ spasmum & debilitatem exponit. Cum laxum aliquid est, eius cavitatem auctam esse oportet, ἀναστομώσει, si ora extrema vasis dilatata; διαπηδήσει, si membranæ coercentes suis liquidis perviæ; διαιρέσει, si canales tota sua fabrica divisi, sunt. Cum autem aliquid strictum est, cavitates canalium imminuti erunt. Hoc vario modo efficitur; cum transituro liquido vasa non satis patent, solius diametri vitio, ἔμφραξις est; quando tumor vicinus vas comprimit, θλίψις; si parietes vasis tument στενοχωρία; si humores vasa prætereunt, a collateralibus abrepti, & vasa deinde concidunt, συνίζησις est. Ex his omnibus nascitur σύμφυσις, cum vas in solidam fibram concrevit. Hos morbos, utpote in minimis fluidis solidisque naturam positam habentes, *similares* appellant. Ex quibus, aggregatis, fiunt morbi partium compositarum, viscera & organa constituentium; horum morborum, quos propterea *organicos* appellant, conceptus, ex fabrica læsa, ex motu fluidorum per solida læso, horum copia, inopia, atque indole depravata, sistitur. Humor spissior in angusta vasa ductus, *obstructio*; sanguis ruber in serosa ac lymphatica vasa compulsus omnis, irruente a tergo

 san-

ſanguine, per vim vitæ, renitente ſpaſmo, *inflammatio* appellatur. Sanguis extra vaſa, *ecchymoſis*; ſerum aberrans, *hydrops*; aer in cellulas egreſſus, *emphyſema* dicitur. Sunt & aliæ differentiæ, accidentales ideo dictæ, quod a cauſa ipſa actionem impediente haud deſumuntur; magni tamen ubique momenti ſunt. Præ ceteris attendendum diſcrimen eſt *Idhiopathiæ*, cum pars ex ſe ipſa; *Sympathiæ*, cum ex conſenſu, pars afficitur: nec minoris momenti eſt ſcire, an aliquis morbus tempore prior ſit, quæ *protopathia*, an poſterior, aut ex priore natus, quæ *deuteropathia*. Illa quoque, ut alias prætereamus, magni facienda eſt diſtinctio, quando morbi, duratione ſua, diſcrepant, ſuntque *acutiſſimi*, *acuti*, *chronici*; vel cum illi temporum ſuorum ſequelam aliam atque aliam habent, atque vel *continentes* ſunt, vel *continui*, vel *intermittentes*. *Pars altera* Aetiologiam ſiſtit, doctrinam de cauſis, quæ ſemper ſunt corporeæ, nam & imaginatio, cum ſenſationem irritatam ſupponit, phyſicum quid eſt. Illæ omnes, vel extra nos ſunt, vel in nobis fiunt; priores non agunt, niſi adſit aliqua ex internis, quas remotas, prædiſponentes, appellant, quando illæ occaſionales ſunt, procatarcticæ, ipſa autem conditio, cuius mutatio morbus eſt, proxima ſeu formalis appellatur. Cauſæ occaſionales ſunt omnis res, applicatu vel ingeſtu nocens, cum adeſt prædiſpoſitio. In harum cauſarum expoſitionibus, conſuetum ſex rerum ſic dictarum non naturalium ordinem *Celeberrimus Auctor* ſervat, deque illis ita agit, ut erudita ſcriptio, tam *cauſalis*, reſpectu morborum, quam *diætetica*, reſpectu ſervandæ ſanitatis, atque etiam *prophylactica*, intuitu præcavendi morbi, dici poſſit. De cauſis autem prædiſponentibus, non ſemper actuoſis, ſed diu ſæpe latentibus, intra hominem ſemper reperiundis, ita agit, ut illas commode ad *plethoram*, *cacochymiam*, *temperamenta*, *heterogenea*, *calculos ſcilicet ac vermes*, atque ad *obſcurum imaginationis effectum*, reduci poſſe arbitretur. Denique cauſa proxima eſt, qua poſita, morbus ponitur; ablata, morbus ceſſat. Pars tertia *ſymptomatologiam* ſiſtit. Omnis morbus, cum ſano accidit, *ſymptoma* dicitur; alioquin ſymptoma illud eſt, quod ex priori morbo, tanquam cauſa ſua, oritur, veluti, quod ex di-

diversa causa morbo accedit, e. g. cum ophthalmia anorexiæ adhæret, *epigenomenon* appellatur. Prima symptomatum classis, sub idea actionum vitalium læsarum sistitur. Motus sanguinis per cor, & connexa illi vasa, vel celer est in febre quavis, vel lentus, idque, vel a defectu motoris in lipothymia, syncope, vel a viscididitate, quæ erga hydropem levcophlegmatiam prospicit. Concitatur motus cordis in febre, ob spasmos, ob viscididitatem inflammatoriam, ob acre irritans. Irregularis denique cordis motus, in eius palpitatione ponitur. Nihilo minus actiones vitales læduntur, ex impedimentis transituro per pulmones sanguini nascentibus; hæc possunt esse varia, vel fistulam respirationis comprimentia, vel asperæ arteriæ fines, aliaque vasa, cellulasque pulmonum ipsas, farcientia, *pituita, sanguis, concretio tophacea*, atque ea, quæ latera thoracis mobilia coercent, atque vel in ipsis thoracis parietibus, vel visceribus thoraci prope iunctis, habitant; ex quibus omnibus *asthma* oritur, cuius species pro gradu resistentiæ variant, *δύσπνοια* atque *ὀρθόπνοια*. Si exilis est respiratio, *ἄπνοια*; si intercepta subito, *catarrhus suffocativus* audit. Unico hoc exemplo, curiosæ, perspicuæ, suisque momentis innixæ distinctionis ac descriptionis morborum, lectores, quanta huius libelli, illis, qui artem vel docent, vel discunt, futura sit utilitas, intelligere poterunt. Pars IV *Semioticam*, sive tractationem de signis morborum, sistit. Signa, phænomena sunt, quibus status corporis mutatus declaratur, quæ vel ex causis agentibus atque corpori applicatis, vel ex illarum effectibus & actionibus vario modo impeditis, disci possunt. Cum causæ præcedentes, nunc vero absentes, præsentis status significationem edunt, signa dicuntur *ἀναμνηστικά, quæ memoria repetuntur*. Ea autem, quæ coram nobis sunt, & præsentem morbi causæque statum indicant, *diagnostica*, atque ex his illæ, quæ veram morbi ideam sistunt, *pathognomonica* appellantur; ast quæ morbi eventum attinent, *prognostica* dici moris est. Præsentem morborum in fluidis positorum statum, necessarii illorum effectus indicant. Plethoram adesse docent, difficilis sanguinis per pulmones sanos, ex levi motu corporis, transitus, cita defati-

gatio, calor a pastu auctus, somni turbulentia. Hæc vera est, cum facies florida, corpusque simul strictum, ast *obesa* est, cum corpus tumidum laxumque conspicitur. Plethoram debilem, facies pallida, a motu cito florida, cito iterum decolor, pulsus debilis, atque a parvo motu celer, ostendunt. Eadem, quam quæ in hoc exemplo est, perspicacia, in detegendis variis cacochymiæ speciebus, usus Noster est, quodque signa morborum in solidis hærentium attinet, simili artificio illa detexit, quando *laxitas*, ex habitu corporis obesi, pulsu molli, debili, secretionibus serosis ac pituitosis; *spasmus* ex invita ac violenta contractione musculorum, dolore sub internis partibus, ast sine signis inflammationis; *debilitas* ex defectu actionum quavis; *unitas* denique *soluta*, ex illis, quæ de vasis exesis, ruptis, vexatisve, aut alio modo destructis, fluunt, indicitur. Luculenta non minus morborum compositorum signa sunt. *Obstructio simplex* ex tumore partium, sine evidenti motu febrili, secundum differentiam in statu naturali observatam, atque ex materiæ obstruentis indole; *illa autem inflammatoria*, exinde, cum dolor, rubor, & pulsus durities accedunt, discitur. Quæ diversa morbi tempora, eiusque eventum indicant, signa, *prognostica*, ex actionum mutationibus determinatis intelliguntur. Actiones vitales, mutatus pulsus atque respiratio, ut signum, explicant, & pulsus quidem, qualis in morbo est, cum illo sani comparatus, cordis vigorem, debilitatem, eiusdemque systolas, brevi vel longiori mora distinctas, atque intervallorum distantias, æquales, inæquales, significat, veluti fortis, debilis, magnus, parvus, durus, mollis, æqualis, inæqualis est, atque exinde ad resistentias cordi factas, vires vitæ superstites, aliasque ægri conditiones, probabilem morbi eventum, separationes fluidorum criticas, concluditur. Respiratio quoque circulationis humorum rationem indicat, atque illa vel ab organis, vel a viribus organa moventibus, varias mutationes, ut signum considerandas, recipit; cum, si vires tantum respicimus, illam vel plenam, magnam, profundam, vel, ex opposito debilem, vacuam, atque parvam esse, sentimus; cum autem causas ingres-

greſſui aeris, ac libero ſanguinis progreſſui obluctantes, atque organorum fabricam hoc alioque modo mutatam perſpecturi ſumus, ad actionis huius celeritatem, frequentiam, tarditatem, raritatem, intermiſſionem, exſpirationis auctæ modos, aliaque eiusmodi momenta, animum advertimus. Sic quoque actiones animales, uti vigent vel flaccent, atque actionum naturalium determinata aliqua conditio, multum, veluti diagnoſi, ita & prognoſi, lucis affundunt. Nec minus clare loquuntur ſigna, quæ de excretis per ſudores, de ſputo, urinis, ſanguine, fæcibus, ſumuntur; illi enim liquores multum diſcrepant, uti materia morbi ipſa, vel tenaciter ſolidis fluidisque adhuc inhæret, vel moveri incipit, vel vere mota eſt, aut motibus vitalibus plus minusve obluctatur. In hisce mutationibus *criſis* ponitur, quæ vox, generali ſignificatu, iudicium de quovis morbi eventu ſiſtit, ſpeciali autem ſenſu modos indicat, quibus vis vitæ ſuperſtes, cauſas morborum vel mutat, quod *lyſis*, ſeu *criſis reſolutoria*; vel expellit, quod *criſis evacuatoria* appellatur, quæ etiam ſtricte loquendo *criſis* dici ſuevit. Neque enim in omnibus morbis aliquid de corporibus excedit, ſed humor vel novas dotes vitales accipit & mutatur, vel ad partes, in quibus minus periculum eſſe poteſt, transfertur, quod eſt *metaſtaſis*; his omnibus ſua dedicata ſunt tempora, quæ *critica*; ſui adſcripti ſunt motus, qui *critici* appellantur. In his omnibus hominis ægroti mutationibus deſcribendis, dubium ſupereſt, maiorine perſpicuitate, an dicendorum ordine maiori, uſus *Clariſſimus Auctor* fuerit.

PAULI M. PACIAUDI CLERIC. REG. PRESBYteri Diatribe qua Græci Anaglyphi interpretatio traditur.

Romæ, 1751, quartis, cum duabus imaginibus ære expreſſis. plag. 4.

Anaglyphum Græcum, circa quod hoc opusculum versatur, in ipsa libri fronte exhibitum, oculis offert virum iuvenem & puellam æqualem, illum sedentem, hanc coram adstantem, dextras iungentes; super capitibus autem volas manuum expansas duas. Inferius subscripta leguntur tribus versibus hæc verba: ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΤΗΤΟΥ ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ. Quæsiverat Nicolaus Oddo, cui libellus inscriptus est, ab auctore, quidnam sibi vellent geminæ manus expansæ in hoc marmore conspicuæ. Ad hanc quæstionem respondere, præcipuum est argumentum huius libelli. Primo loco igitur affert auctor e coniectura quandam interpretationem, quam illud symbolum ferre ipsi videbatur. Putabat nempe, eo ad connubium amborum in marmore exhibitorum hominum alludi, quandoquidem olim consveverint novi coniuges *in manum convenire.* Unde *manus*, etiamsi non iunctæ, pro symbolo fidei, concordiæ, pietatis, pacis, adhibitæ fuerint. Propterea in signis militaribus erectas manus conspici, velut admonitionem dicti sacramenti non violandi. Probabilius tamen ipsi deinceps visum fuit, has manus indicare *lamentationem fletumque ob eius vitæ exitum, non quotidianum & vulgarem, sed celerem & intempestivum.* Sententiam hanc toto libello tueri satagit, in quam eum deduxit attenta lapidum sepulcralium contemplatio, in quibus illud ipsum symbolum conspicitur, & qui eos posuerunt, de præcoci defunctorum excessu, deorumque erga humanum genus malevolentia & crudelitate, queruntur. Exempla talium lapidum aliquot producit, Auctor, in quibus etiam hæc est inscriptionis nondum editæ particula:

Infelix Mater tollit ad astra manus,
Incusatque Deos, incusat denique Parcas.

Præ ceteris ipsum moratur inscriptio quædam Græca, ad hunc quoque pertinens numerum, & apud Gruterum pag. MCXXIX. 1. exstans. Offenderat eam in codice quodam manuscripto Martii Milesii Sarrazani, e quo variantes quasdam

dam lectiones profert, secundum quas monumentum illud sic constituit & interpretatur:

ΣΥΝΟΜΑ. ΣΟΙ. ΚΑΠΙΤΩΛΙΣ.
ΘΕΟΣ. ΕΞ. ΕΡΓΩΝ. ΕΠΙ. ΕΠΕΤΑΙ.
ΠΑΡΕΧΩΝ. ΤΑΣ. ΝΟΤΟΥ. ΧΑΡΜΙΑΣ.
ΦΑΙΝΙΠΠΟΣ. ΚΑΙ. ΚΑΠΙΤΩΝ. ΚΑΙ. ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ.
ΠΑΙΔΕΣ. ΟΡΦΑΝΟΙ. ΟΔΥΡΟΜΕΝΟΙ.
ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ. ΜΝΗΜΗΣ. ΧΑΡΙΝ.

Nomen tibi est *Capitolis. Deus*, tuus tutor, *ex difficultatibus* vitæ te abeuntem, *iuxta sequitur*, *præbens* modo *austri gaudia. Phanippus & Capiton & Marcellus, filii orbi & lugentes, dulcissima memoriæ caussa*. Viderint Græce docti homines, num hæc concoquere possint. Antiquariorum gentem, longe petita & improbabilia affectare, videtur etiam hic locus evincere. Quid *austri gaudia* Nostro sint, ne ignoretur, sciendum, eum insulas beatorum in regione mundi australi collocare, & ad antarcticum polum putat illis navigandum esse, qui contendere illuc velint. *Quid si ergo*, interrogat, *auctor epigrammatis, pro ipsis beatorum insulis, australem oram, per hypallagen scripserit?* Imagine porro duorum hominum dextras iungentium, putat indicari fidem, quam seu uxor, seu filia, moribundo marito patrive addixerit. Observat quoque, manuum sublatarum symbolum in Græcis lapidibus frequentius quam in Latinis occurrere. Occasione formulæ, ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ, increpat Bouhierium propterea, quod Astorium, imaginarii monumenti Alcmanis, poetæ Laconis, interpretem, ob inscitiam Græcæ linguæ exsibilaverat. Verba nempe, ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ ΚΑΙ ΣΥΣΤΕ, verterat Astorius, *vale & tace*, tanquam si mortui loquaces essent, & silentio opus haberent. Civem suum pecasse fatetur, sed mitius habendum fuisse contendit, explicationemque meliorem substitutum it, ΚΑΙ ΣΥΣ ΤΕΡΠΕ: sed revera clavum, quod aiunt, clavo excutit. Æque infelicem & affectabundum eruditionis ostentatorem se videtur in explicatione alterius Græci anaglyphi, quod pag. 26 ære expressum conspicitur,

ex-

hibuisse. Mulierem illud exhibet bene comptam, togatam, tutulatam, cum adstante puellula, quæ vasculum aliquod in manibus gerit. Sepulcralem hunc titulum esse vel ipse asseverat Paciaudus. Unde pronum est in eam coniecturam venire, matris defunctæ hic exhiberi imaginem, filiæque inferias, τὰς χοάς, matri ferentis. Noster autem putat, maiorem feminam esse puellam nubilem, marito desponsam, quæ nuptiis instantibus, Dianam, virginum præsidem, adeat placatum, ne sibi ob exuendæ virginitatis ceptum consilium irascatur; adstare illi ancillulam κανηφόρον, cum cistella donarium continente, Dianæ offerendum. Cætera, non prorsus contemnendus est hic libellus, & tenet numerum inscriptionum nunc primum in lucem emissarum. Tenuis quidem illæ sunt argumenti: inest tamen aliqua non inficeta, quam operæ pretium ducimus, Criticis lapidariis hic loci reddere. Habet illa, in quo ingenium exerceant. Est e Museo Tusculano Em. Card. Passionei, his concepta verbis:

DIS MANIB.
DOMESTICO. QVI. VIXIT. ANN. XVI.
HOC. MIHI. NOSTER. ERVS. SACRAVIT.
INANE. SEPVLCRVM. VILLAE. TECTA. SVAE.
PROPTER. VT. ASPICEREM. VTQVE SVIS.
MANIBVS. FLORES. MIHI. VINAQVE.
SAEPE. FVNDERET. ET. LACRIMAM. QVOD.
MIHI. PLVRIS. ERIT. NOSTROS. NAM. CINERES.
POLLENTIA. SAEVA. SVBEGIT. EST. ET. IBI.
TVMVLVS. NOMEN. ET. ARA. MIHI. NEC.
TAMEN. AVT. ILLI SVPER. CRVDELIA. BVSTA.
AVT. ISTAS. SEDES. NOSTRA. SVBIT.
ANIMA. SED. PETAT. ASVRIOS.
PETAT. ILLE. LICEBIT. IBEROS. PER.
MARE. PER. TERRAS. SVBSEQVITVR. DOMINVM.
M. CAERELLIVS.
SMARAGDIANVS. FECIT.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Septembris Anno MDCCLIV.

Pars I.

IMPERII GERMANICI IUS AC POSSESSIO IN Genua Ligustica eiusque ditionibus, a primis originibus usque huc repetita ac vindicata, fide monimentorum tum impressorum, tum anecdotorum praecipue, quorum codicillus adiectus est, additis tabulis aeneis ac indice.

Coronidis vice iuncta sunt:

1) *Petri Baptistae Burgi, de dominio reipublicae Genuensis in mari Ligustico tractatus;*

2) *Anonymi dissertatio, de rescindendo contractu Finariensi, cum vindiciis iurium Imperii;*

3) *Andreae de Andreis eiusdem argumenti libellus.*

Hannoverae, apud Nicol. Foersteri & filii heredes, 1751, 4 mai.

Alph. 5.

Quo certius est, interesse dignitatis sacri nostri imperii, ut Genuensis reipublicae rationes accurate perspiciantur, firmisque argumentis, quae ex nullo alio loco, nisi historiarum thesauris amplissimis depromi possunt, demonstretur, omnino eam decus suum & maiestatem, augustissimorum Imperatorum nostrorum beneficiis & liberalitati debere, hosque de sua in Genuenses pote-

ſtate nihil unquam remiſiſſe: eo maiores gratiæ habendæ ſunt eruditiſſimo operis huius auctori, quem perilluſtrem *Senkenbergium* eſſe omnes confitentur, pro ſuſcepto & feliciter confecto arduo hoc & difficillimo labore. Opus certe tanta diligentia, tanto variæ lectionis apparatu, tanto iudicio, tanto denique, quod hiſtoricum maximopere decet, animi candore conſcripſit, ut omnium bonorum, harumque rerum peritorum, laudibus efferatur; operæ igitur pretium eſſe credimus, de eo copioſius diſſerere, ne verbis ſolum, ſed re ac luculentis commentationis ſpeciminibus, doctiſſimum librum commendare videamur. Initium orationis faciemus a perilluſtris Auctoris diſputatione, quæ iure ſuo primum locum obtinuit; deinde vero ad cetera, quæ ei acceſſerunt, ornamenta, progrediemur. Abſolvitur illa decem capitibus, quorum octo priora argumentis pugnant hiſtoricis, duo poſteriora aliis, iisque haud minus certis ac ſolidis. *Primo*, tota controverſia, ab initiis civitatis illius, repetita eſt. Nomen urbis, cuius prima memoria apud *Livium*, antiquisſimum eſt *Genua*, ineptumque cenſetur a viris doctis medii ævi ſcriptorum inventum, quo Ianuam dixerunt, effeceruntque, cum idem nomen *Genevæ* imponerent, ut perperam civitas Liguſtica cum Allobrogum urbe confunderetur. Conditores eius Gallos Ciſalpinos fuiſſe, ex *Livio* ſatis aperte colligitur. Hic dum alibi tradit, naves Carthagine *Albingaunos, Ligures, Genuamque acceſſiſſe:* nec recedit a veritate, *Albingaunos* eſſe eosdem cum *Ingaunis:* facilis eſt & probabilis coniectura, *Genuam* dictam eſſe, quaſi *Ingauniam*, perinde ut *Senarum* urbem a *Semnonibus* appellatam eſſe conſtat. Quodſi vero quis malit ex Latio nomen hoc repetere, illudque a Liguſtici ſinus forma, genu ſimili, inventum eſſe cenſeat; nec huic ſententiæ contradicendi cauſſa ſubeſt. Civitas hæc, poſt Pœnorum cladem reſtaurata, celeberrimum emporium fuit, ac ſeculis mediis, modo cum Piſanis, modo cum Venetis, modo cum Florentinis, diverſa fortuna, de principatu, de poſſeſſionibus, de libertate, dimicavit. Beneficiis tamen Caroli V. Imp. & Philippi II. Hiſpan. R. libertatem conſervavit, feli-

felicioremque reip. ſtatum, modo a Gallis, modo a Sabaudo tentatum, ad noſtrum ævum tranſmiſit, adeo, ut inter principes & potentiſſimas Europæ respublicas numerari ſoleat. Variarum calamitatum, quibuscum adhuc conflictati ſunt Genuates, vera cauſa eſt in ingenio eorum, mirifice inconſtanti, beneficiorum immemori, & ad res novas nimis proclivi; cuius rei documenta omnis hiſtoria, Guelficæ inprimis & Gibellinæ factionum, bellorumque inter Auſtriacam Gallicanamque domum geſtorum memoria, abunde perhibet. Quamvis autem adhuc Genua non plane nullius in Italia ſit potentiæ, multa tamen de priſtino ſuo ſplendore amiſit; adeo ut mirandum ſit, controverſiam de præcedentia, ut loquuntur, non ſolum Venetis, ſed Germaniæ etiam principibus, Cæſarem eligendi iure poteſtateque conſpicuis, moviſſe. *Secundi* capitis hæc eſt ſumma. Id unum tradiderunt hiſtoriarum ſcriptores: Genuam tenuiſſe Romanos, Liguribus poſt primum Punicum bellum domitis, cuius portus, unicum quaſi in ora maritima Romanorum præſidium fuit. Translata ſede imperii Conſtantinopolim, Liguria primum Æmiliæ conſularis fuit; ſingularis provincia facta, usque dum, auctoritate Græcorum Imperatorum, Gothis, qui totam Italiam occupaverant, cederet. Gothici regni caput fuit Mediolanum; Genua vero Liguriæ, ab Æmilia ſeiunctæ, ducibus ſubiecta, primum quidem a Theodeberto, Francorum rege, capta fuit, dein ad priſtinum dominum, Imperatorem Græcum, rediit. Cum Longobardi regnum ſuum in Italia conſtituerent, noſtra urbs, diœceſi Mediolanenſi adiecta, duci eius paruit, a Rotharide ſub finem Seculi VI. occupata, Alpibus Cottiis adnumerata fuit, quas Aribertus, Longobardorum rex, Pontifici Romano tradidiſſe legitur: donatio, quæ rectius de certis curtibus & patrimoniis, quam de tota urbe, capitur. Tranſiit poſthæc, cum reliqua Italia, in poteſtatem Carolingorum, qui regendam eam commiſerunt Comitibus; fabuloſa vero & riſu digna ſunt, quæ *Folieta*, ut pro patria mentiretur, de Hadumarii Comitis dignitate, & Corſica a Genuatibus acquiſita, commentus eſt. Carolingorum imperium ſecuta eſt triſtiſſima

Italiæ facies, quam varii regni usurpatores misere vexarunt. Genua, non solum domesticis dissidiis, sed invasionibus quoque Saracenorum, haud levem accepit cladem; instauratis tamen ab Ottone M. pristinis Germanorum iuribus, hæc quoque urbs victori cessit. Pergimus ad caput *tertium*. Ottonum & Henrici II ævo, haud dubie pars Marchiæ Ligusticæ fuit; neque id alienum est a veritate, Genuam singularem fuisse Marchiam, ast non maiorem, sed minorem, maiori subiectam, de quarum discrimine docte hic disputatur. Ab eo tempore caput tollere cœpit Genua, a Marchionis quidem vicini, Henrici III. tempore adhuc, imperio non exemta: sed tamen habuit magistratus a Germaniæ regibus datos. Magistratus hic fuit Marchio, qui Imperatoris nomine ius dicebat; nec ullo pacto demonstrari potest, Genuæ, perinde ut aliis in Germania Italiaque civitatibus, ab Imperatoribus concessum fuisse privilegium propriæ iurisdictionis, quæ eo tempore per *Advocatum*, a Germanis *Vogt*, ab Italis *Podesta* dictum, deinde per Scultetum, administrari consuevit. Marchioni adduntur Consules duo; hi tamen non iudicis, sed assessoris tantum officio, prout consuetudo & mores, in iudiciis Cæsaris provincialibus recepti, postularunt, fungebantur. Videtur tamen Genua ab Henrico IV. vel V. ab hac Marchionis potestate liberata, ac perinde ut Pisæ, Mediolanum, Cremona, nulli, præter Imperatorem, subiecta fuisse. Suos tum proprios magistratus habere cœpit. Testari hanc in rem videntur formulæ pacti, ab Henrico V. cum Venetis facti, a *Ludewigio*, *Schiltero*, aliis, editæ, quas cum idem *Schilterus*, *Graswinkelius*, *Conringius*, in confictæ antiquitatis suspicionem vocant, rectius a scribis depravatas & interpolatas, quam suppositas esse, adfirmat noster. Mortuo Henrico, Genua cum Longobardis ceteris a partibus Conradi Suevi stetit, auxiliisque deinceps contra Rogerium latis, de Lothario Saxone insigniter est merita. Accedimus ad *quartum Caput*. Genua, Imperatorum liberalitate, mercatura, sacris prædis, aucta, sensim sensimque ad *libertatis*, quam iactat, fastigium pervenit. Ornarunt sane eam Imperatores;

tores; ſed non magis quam alias regni civitates. Conradus III civitati monetæ ius conceſſit, more tamen iſtius ævi neceſſe fuit, ut averſæ numi, imperatoris aut imaginem, aut nomen ſaltem, adderent, quod adductis exemplis probatur; neque tamen auream monetam cudendi data Genuenſibus fuit facultas. Commode hinc, æque ac ex aliis huius ævi monimentis, colligitur, ſummam auctoritatem Conradi III fuiſſe in Italia. Friderici I ætate memoratur quidem *Marchio* Genuæ; ei tamen nihil negotii cum civibus fuit, ſed diſtincta ac ſeparata Marchia a civitate: nec inepta eſt *Muratorii* coniectura, hos Marchiones eosdem cum Eſtenſibus fuiſſe. Fridericum I. Genuates, non ſolum verbis muneribusque, in campis Roncaliis venerati ſunt, & acceperunt ab eo mandata; ſed etiam ab ipſis offenſus, eos iuſſit M. marcarum dare mulctam, ac de exſtruendis mœnibus deſiſtere. Fuſius hæc cum eſſent enarrata, recte inde colligitur, Friderico omnem in Genuam competiiſſe poteſtatem. Dum *regalia* Imperatori ceſſa eſſe traditur, quænam illa ſint, eo magis disquirendum fuit, quo maior hac in re *Radevici* & *Hugolini*, qui libros feudalium compilavit, eſt diſcordia. Spectant huc *iurisdictio*, *moneta*, *ducatus*, *marchia*, *comitatus*, utpote quos ſibi ſervavit Fridericus; Genuatibus autem dedit uſum & reditus Marchiæ Savionenſis, & Vintimigliæ. *Conſules* eligere illis permiſit; *cenſum annuum* & *militiam terreſtrem* remiſit; non *maritimam*, quæ, ceteraque omnia, relicta ſunt Auguſto. Secuto tempore Genuenſes, cum Mediolanenſibus & Alexandro P. M. faviſſent, iterum iram Imperatoris commoverunt: compoſita tamen hæc ſunt, & cum Imperator ad exequenda maxima conſilia, de Sicilia potiſſimum, ſe accingeret, denuo privilegia civitatis & poſſeſſiones, poſſidebat enim Liguriam maritimam, confirmavit. Cuius rei teſtis eſt diploma, quod *Muratorius* primus dedit, accuratius tamen a noſtro Auctore illuſtratum. Patet inde, Genuates ſua omnia, extra & intra urbem poſita, feudi loco accepiſſe, ſalva ſumma Imperatoris poteſtate. Permanſerunt poſtea in ſuo officio conſtanter, ac dum Imperator Bariſonem, Genuenſibus devotum ac vectigalem, Sardiniæ

regem creavit, orta hinc longa Genuensium cum Pisanis controversia. Contendebant illi, Sardiniam ad se pertinere, Friderici beneficio, quod Pisani negarunt, Cæsaris iudicio banno damnati. Tacemus reliqua obsequii Genuensium erga Imperatorem documenta. Nec Henrico VI. defuerunt, acceperuntque ab eo privilegium, quo vetera illa, fidelitas, iurisdictio, & servitium, confirmata; nova tamen etiam beneficia addita sunt. In eorum numero habentur *Marchia in comitatu*, *Podium*, sive *castrum Monaci*, *castrum Gavii*, quæ feudi iure illis concessa sunt. Item nova sunt, quæ ex vectigalibus in Sicilia, de præscriptionis & fodri immunitate, largitus est. Pro eodem Imperatore deinde fortiter feliciterque pugnavit Genua, cum contra Neapolitanos & Siculos bellum gereret. Sicilia vero capta, nihil inde tulerunt Genuenses, quamvis id ægre ferrent, & querelas ad Imperatorem deferrent; nec tamen a partibus Suevicæ domus abduci se passi sunt. Henrico mortuo, primum Philippo Suevo, dein Ottoni IV. paruerunt, & officia, quæ ab illis postulabat, præstiterunt. Cum Fridericus II. ad imperium accederet, confirmavit pristina Genuensium iura, deditque novum diploma, quod quamvis ingentia beneficia, e. g. ius de non evocando, de pondere ac mensura, de non danda pecunia vel obsidibus, enumeret; fidelitatem tamen, servitia, ceteraque servata fuisse omnia, testatur. Præterea alia quoque obedientiæ & subiectionis Friderico dederunt specimina, a nobis brevitatis causa silentio iam prætereunda. Ultima tamen eius ætate, rebelles & ipsi facti, fecissent profecto libertatis iacturam, nisi fato aversus fuisset casus. De Conrado IV. nihil accepimus. Conradino fidem servarunt, neque post eius tristissimum interitum, ad Caroli Andegavensis potestatem reduxit eos Pontifex; sed usque ad Rudolphum Habsburgicum cum illo gesserunt bellum. Huius temporis prima est *libertatis* mentio; vocis tamen hanc esse vim, ut *facultatem agendi id, quod cuique facere libet, nisi quid vi, aut iure prohibeatur*, doctissime probatur. Nullam denique concludit A. aliam fuisse Genuæ libertatem, quam quæ est Germaniæ civitatum, id est, talem, quæ summum imperium Augustorum haud

haud tollat. *Caput quintum* a temporibus Rudolphi I. usque ad Carolum IV. procedit. Post interregnum Genua obsequium non exuit; Rudolphus eam expressis verbis inter fideles imperii numeravit; nec dubium est, quin more suo praefecerit etiam illi Procuratorem. Legatos certe illuc misit, Rudolphum Cancellarium, eiusque fratrem, Berengarium, ordinis S. Ioannis equitem; *actaque Vaticana* testantur, praestitisse illis Genuates fidelitatis iuramentum. *Cuspinianus* ergo insigniter fallitur, qui primus sine teste finxit, eo tempore iura imperii in Genuam, emtione venditione dissoluta. Erroris huius causa ex iis repetenda est, quae historici, harum rerum parum periti, satis inepte de bello Flisci, vicarii Imperatoris, in Thuscia gesto, prodiderunt. Certum sane est, Rudolphum Florentinis nihil vendidisse, nisi ius suos eligendi magistratus, & domania imperii. Utrunque tamen ita fuisse comparatum, ut nexus imperii nequaquam dissolveretur, civitatum liberarum Germaniae testantur exempla. Haec tamen in Genuenses non cadunt, cum illi omnia haberent. Extraordinariae tamen collationes, & servitia, illis non sunt remissa. Adolphus rex, vicarium suum in Lombardia constituit Matthaeum vicecomitem, eundemque Albertus I. confirmavit. Henrico VII. primo recusarunt iuramentum, a singulis praestandum, non subiectionem; sed per procuratores iurarunt, eique, quae ab illis exspectabat, praestiterunt officia. Imo ipsa privilegia civitatis confirmandi formula ita est comparata, ut Genuam imperio subiectam fuisse, manifesto inde pateat. Nec prorsus inepte sentiunt Itali, libertatem tunc Genuam amisisse; parum tamen prudenter egisse imperatorem, idque consecutum esse, ut reliqui Itali, propter austeritatem erga Genuenses & Pisanos, deficerent. Fusius haec persequitur Perill. Auctor, & rationes *dominii*, sive *Bailiae*, quam Genuenses ad XX annos Henrico concesserant, latius explicat, antequam ad Henrici VII mortem pergat. Hoc e vivis sublato, Genua agnovit Robertum Neapolitanorum regem, vicarium imperii, a Pontifice Maximo, tanquam vicario imaginario, constitutum; sed Gibellinis valde invisum. Huic per-

permiserunt dominium generale, præter iura certa, pontifici relicta. Gravior sequebatur inter Gibellinos & Guelfos controversia. Illi, civitate eiecti, faciebant cum Ludovico Bavaro, ac occupata urbe, expulsoque Roberto, Simonem Boccanegram constituerunt *ducem & dominum.* Tristiori tamen fortuna brevi ad id adducti fuerunt, ut se Archiepiscopo Mediolanensi, Ioanni Vicecomiti, dederent, eique dominium generale committerent; salvo tamen imperiali dominio. Exciderunt dein hoc iure præsules Mediolanenses sub Carolo IV. ac instaurata Genuæ pristina reipublicæ forma, *Boccanegra* denuo dux creatus fuit. Plenius urbem hanc Carolo subditam fuisse, alia testantur monimenta, e quibus constat, Genuam multo minora sibi vindicasse, quam Norimbergam, Francofurtum, Vlmam. Accedimus ad *Caput sextum.* Quamvis a Mediolanensibus nondum plane liberata esset urbs; Venceslaus tamen, primis temporibus, de imperii iure nihil remisit. Domesticis bellis, Genua, sui non compos, & Imperatori diffidens, Carolo VI, Galliæ regi, salutem suam credidit; nec solum tamen expressis verbis dominio imperii fuit prospectum, sed ipse etiam Venceslaus, vicariatum imperii Gallis concessit; brevi negligentiæ istius pœnas daturus. Sub Ruperto, Genua, a vicario imperii, marchione Montisferati, eidem imperio fuit recuperata; nec dubitavit, a Sigismundo petere auxilium, immo & confirmationem privilegiorum accepit. Idem deinde castigavit rebelles, ac duci Mediolanensi permisit, illos ut sibi, tanquam vicario, subiiceret; nec tamen quies restituta, sed omnia turbida fuerunt, cum Albertus II. brevem vitam finiret. *Capitis septimi* initium A. duxit a Friderico III. quem, Genuam Alphonso Neapolitano vicario nomine regendam commisisse, credit. Hic nimio erga cives odio id effecit, ut se denuo Carolo VII. Gallo traderet, qui urbem Francisco Sfortiæ Mediolanensi, feudi loco, concessit; admodum variam tamen sub horum regimine experti sunt Genuenses fortunam. Nec tamen solum Mediolanensis iura imperii servavit, sed ipsa etiam urbs, quæ sensim resipuerat, ad Maximilianum I. confugit, atque ab eo impe-

impetravit, ut eam defendendam contra Gallos susciperet, eique amplissima daret privilegia, illustria Caesareae potestatis documenta. Repetita fuit occasio, luculentis testimoniis testatum faciendi, urbem imperio subiectam esse; nec secus agi cupiebant Genuenses, qui hoc modo se a Gallorum iugo liberari intelligebant. Historia Caroli V. plena est speciminum iuris imperii in Genuam. Bis a Gallis vindicavit Genuam Carolus, eique libertatem impertivit, ita, ut servaret supremam potestatem, & servitia ab illa exigeret. Quamvis egregiis urbem ornarit beneficiis: civilem tamen perinde ac criminalem iurisdictionem exercuit, & dum eam constanti formula *suam civitatem & cameram* dixit, haud obscure significavit, pertinere eam ad sacrum imperium. Formula haec postea quam doctissime explicata est, luculenter conficitur, Genuam omnino ipsam, imperio se subiectam esse, cognovisse. Capitis *octavi* haec est brevis summa. Ad Ferdinandum I miserunt Genuates legatum obedientiae; sed ipse etiam de spolio Finariensi cognovit: ac quamvis causam eorum agere sibi sumeret *Manochius*, Iureconsultorum tamen Italicorum cohors, summam Augusti in Genuam potestatem ab ineptiis eius vindicarunt. Totam controversiam tunc, Caesaris auctoritate compositam, causamque Anton. Flisci itidem ab eo iudicatam fuisse, certo constat. Similia iurisdictionis exempla reliquerunt Maximilianus II, Rudolphus II, & Matthias; nec solum firmarunt pristina privilegia, sed exegerunt etiam tributa. Cum Ferdinandus II. ad imperium accederet, legatis confirmationem privilegiorum liberaliter indulsit: Ferdinandus vero III. recusavit quos petierant antea honores & titulos ampliores, post tamen concessit; sed soluta taxa. Leopoldum denique & Iosephum non solum Genuenses solenniori legatione prosequuti sunt; sed dederunt etiam stipendia, quae postulabantur. Idem honor Carolo VI. Carolo VII. &, quem Deus servet, Francisco I. habitus fuit. Quae ita ex historiarum monumentis copiose enarravit perill. Auctor, ea uberiores continent probationes gravissimi argumenti, quas *Capite nono* pertractavit. Cuncta, quae ad Genuensium rempubli-

 cam

eam pertinent, imperii Germanici esse, eique accepta ferri, luculenter demonstrat. Cum rem per singula capita persequitur, hæc notasse sufficiet. Libertas Genuæ, & totum regimen, sunt sacro nostro Imperio subordinata. Omnes terræ, quas illa tenet, feuda sunt Imperii. Iurisdictio, tam civilis quam criminalis, eidem subest. Agentes Viennæ, ut alii subditorum coerciti. Leges Imperii observat. Ius belli & fœderum ei non est liberum; sed a Cæsare defendenda. Moneta ex privilegio cuditur. Salis commercium habet itidem ex privilegio. Leges Imperii ad eam pertinent. Mittit legatos observantiæ ad Imperatorem, petitque confirmationes privilegiorum, & ubique imperium sequitur. Capite denique *decimo*, dissidia scriptorum de hoc argumento diligentius persequitur A. Primus, qui iniquiorem imperio animum significavit, *Baldus de Perusio* fuit, eumque secuti sunt *Andreas Barbatia, Phil. Decius, Iacobus Menochius, Dominicus Tuschus, Ridolfinus de Sabloneta, Cardinalis de Luca, Raphael a Turri*, & *Petrus Baptista Burgus*. His partim Genuensium ære corruptis; partim rerum gestarum & iuris imperitis, facile ignoscitur: vix tamen ferendum est, eorum partibus accessisse Germanos quosdam, *Knichenium, Zechium*, alios. Nec tamen defuerunt, qui veritatem profiterentur. Ex Italis in hunc censum veniunt, *Petrus Bizarus, Lud. Ant. Muratorius, Phil. Argelatus, Angel. Decius, Paulus a Castro*, quorum nonnulli, dum contra Imperium pugnare videntur, revera Genuam ei subiectam esse concedunt. Ex Germanis ingenue id, quod res est, demonstrarunt *Hartmannus, Paurmeister, Limnæus, & Oldenburgerus, Conringius, Struvius, Mascovius, Ioann. Reinhardus, Christ. Gottlob Reinhardt, Haberlinus*, ceteri. Argumenta, quibus sententiæ falsæ patroni uti solent, levioris sunt momenti, nec probari possunt; sed rerum gestarum auctoritati manifesto repugnant. Eius generis sunt vani clamores, Genuam in possessione esse omnimodæ exemtionis ab imperio: eandem libertatem præscriptionis titulo tenere: datam eam esse a Carolo V: Genuenses pro arbitrio sibi adscivisse dominos: regnum Corsicæ, vectigalia Sardiniæ, Hieroso-

rosolymitani regni, Ducatum reipublicæ, de suprema potestate testari: post Carolingicos extinctum esse imperium: ius ei fuisse condendi leges, & quæ reliqua sunt fabularum. Totam hanc tractationem sequitur, *primum*, explicatio numorum, quos perillustris A. ex magnis operibus collectos exhibuit: *deinde* codicillus monumentorum, quo diplomata aliqua, de iure Cæsaris in Genuam documenta, eaque octoginta octo continentur: *tum Petr. Bapt. Burgi, de dominio Serenissimæ Genuensis reip. in mari Ligustico libr. II; & dissertatio politico-historico-iuridica de iustitia rescindendi, tum ob publicam necessitatem, tum ob publicam utilitatem, alienationem Marchionatus Finarii, factam in serenissimam rempublicam Genuæ, ipsamquê provinciam iterum iungendi Mediolani dominio, a quo avulsa fuit, reluctantibus lege & fine unionis, olim demandata ab augustissimis Maximiliano I. & Matthia, huius nominis unico; nec non & vindiciæ supremi imperialis dominii, adversus Turrem, Genuensem scriptorem, & adsertorem libertatis Genuæ cum omnimoda independentia a Romano Germanico imperio*, quam nonnulli a consiliario Mediolanensi, *Colla*, conscriptam esse volunt; denique *enucleatio iuris immediati sacri Romani imperii super urbe Genua eiusque statibus, una cum chronologica actuum serie exercitæ singulis seculis imperialis iurisdictionis, humillime dicata sacræ Cæsareæ & Regiæ catholicæ maiestati, augustissimi Caroli VI. potentissimi Romanorum Imperatoris, Germaniæ, Hispaniarum, Bohemiæ, Hungariæ, cet. Regis, cet. invictissimi Italici regni iuris propugnatoris*, cuius auctor fuit *Andreas de Andreis*. Accessiones istæ eo maioris pretii sunt, quo doctius elaboratæ, atque ineditis documentis refertæ, adeo, ut de illis iterum editis, publico nomine, perillustri *Senkenbergio* gratiæ agantur, quæ possunt, maximæ.

HISTORIA TREVIRENSIS DIPLOMATICA & pragmatica, inde a translata præfectura prætorio Gallorum, ad hæc usque tempora, e genuinis scripturis eruta, atque ita digesta, ut non solum ius publicum particulare Archiepiscopatus & Electoratus Trevirensis in

suis fontibus plenissime exhibeat; sed & historiam civilem & ecclesiasticam Germaniae, eiusque singularia iura, publica & privata illustret.

Tomi III.

Aug. Vindelicor. & Herbipoli, sumtibus Martini Veith, 1750, fol.

Tomus I. ab anno Domini CCCCXVIII, usque ad MCCCI, Alph. 10. plag. 16. f. æn. 3. Tomus II. ab anno MCCCI, ad MDLXVII. Alph. 10. plag. 15. f. æn. 15. Tomus III. ab MDLXVII. ad anno MDCCXLV. Alph. 11. pl. 21.

Egregium, ac patriae nostrae gloriosum opus nuntiamus, quo Trevirensis Electoratus historia mirifice potius illustratur, quam narratur; nec exigui momenti est utilitas, quae inde ad totius sacri nostri Imperii res gestas redundat. Non quidem ignoramus, iure suo praedicari a doctis viris mirificam *Browe-ri* aliorumque diligentiam, in explicanda ornandaque Trevirensi historia; hocque nomine felices esse existimamus Trevirenses, quod luculentis operibus expeditum sit hoc argumentum: ingenue tamen fatemur, summam hanc felicitatem, ad summum gradum pervenisse, studio ac industria reverendissimi ac perillustris viri, *Io. Nicolai ab Hontheim*, Episcopi Myriophitani, & suffraganei Trevirensis, cui insignem hanc, quam indicamus, monimentorum Trevirensium collectionem acceptam ferimus. Gratiae itaque publicae agendae ei sunt, quod votis precibusque doctorum satisfecerit; nec recedimus a veritate, dum spem nostram ab ipso non solum aequatam, sed superatam etiam esse censemus, quamvis nullos exhibeat Trevirenses annales, neque uberiorem rerum gestarum proferat narrationem. Vastum hoc opus tribus maxime partibus constitutum est. Videmus enim primo loco diplomata ipsa, aliaque historiae Trevirensis documenta: deinde doctissimas observationes, quibus lux illis accenditur: dissertationes denique, cum singulis seculis praemissas, tum singulis tomis

aeque

æque præfixas, ac adiectas. Commentationum, quas ultimo loco notavimus, in primis ratio habenda est, propterea, quod non solum erudite elegonterque scriptæ sunt; sed etiam in illas ea omnia in unum locum congesta, quæ per totum opus quasi dispersa iacent. Ita difficillimæ arduæque quæstiones feliciter expeditæ sunt. Quare nec alienum a nostro officio est, in illis percensendis diligentius versari, significareque, quodnam singularum sit argumentum, quidque præ ceteris memoria dignum ibi deprehendatur. Initium itaque ducendum est a *dissertatione* de *æra fundati Episcopatus*, Tomo primo præmissa. Inter omnes convenit, haud deesse historiarum scriptores, qui, dum nulla re delectantur, nisi ab ultima repetatur antiquitate, in eo eruditionis gloriam positam esse sibi persuadent, ut seculo a virginis partu primo Treviris episcopum fuisse tradant. Quorum errorem ut Cl. Autor recte confutaret, breviter demonstrat, qua ratione sententiam illi suam probare, quove modo ad ea respondere debeant, quæ contra illos forte pugnent. Impudenter proferunt varios antiquissimorum episcoporum catalogos; cum manifestum sit, spurios & fictos esse præsules, quos illi inter Maternum & Agritium collocant. Sequioris ævi hoc fuit inventum, ut, cum Maternum seculo primo Trevirensium sacra gubernasse falso traderetur, ad conciliandum opinioni pondus, barbara excogitarent nomina, eaque Materno adiicerent, quem ab Agritio trium seculorum intervallo disiunctum fuisse voluerunt. Certius est, Maternum initio Seculi IV floruisse; nec repugnat ei coniecturæ, si omnia rite expenduntur, traditio, de cuius auctoritate copiose disputavit Reverendissimus Auctor. Quæ hanc consequitur, *dissertatio pravia, de vario Trevirorum statu usque ad exitum seculi* exponit, nominatim de urbis origine, nomine, libertate, populis, finibus, quos ad solem orientem Rhenus, ad occiduum Mosa, ad meridiem Mediomatrices, ad septentriones Pœmanni, Ceræsi, Segni, Condrusi, terminarunt. Ipsa urbs in Ardenna silva sita fuit, ac variis ornamentis splenduit, fortitudine nimirum bellica, ac felicitate civium, nec minus gentium minorum clientelis.

 Roma-

Romanis quidem subiecti erant Treveri; fruebantur tamen libertatis aliquo temperamento, ac *Taciti* aetate Imperatores saepe numero domicilium suum ibi collocarunt. *Augustae* nomen, a colonia Augusti, quae eo deducta fuit, accepit. Praeterea veteres scriptores commemorant, curiam ac senatum urbis; laudant viros iuris ac legum peritos; nec silentio praetermittunt ea, quae ad id pertinent, ut de magnitudine, opulentia, & magnificentia urbis, magnifice iudicemus. Cum primae Belgicae provinciae, imo totius Galliae metropolis esset, sedem suam ibi fixit praefectus praetorio; nec exiguum decus id civibus conciliavit. Monumenta quaedam, suspectae satis fidei, nobis de Euchario supersunt, quem alii Seculo I. alii rectius II. salutarem de Christo doctrinam ibi nuntiasse tradunt. Post Constantinum magnum, cuius aevo tuebatur metropolis nomen dignitatemque, quater a barbaris gentibus vastata fuit. Quo accidit, ut Romani sedem praefecti praetorio Arelatum transferrent. Subiecerunt sibi deinde urbem Franci. Ad Ripuarios referebatur: Colonia censebatur metropolis; Trevirorum autem civitas regebatur a comite. Singulis his, quae strictim attigimus, nonnulla memoria digna sub Romanis ac Francis adiecit A. *Seculo VI.* nova praemissa est *dissertatio*, cuius hoc est argumentum. Trevirensium urbs, Ripuariorum regibus subiecta, constituto Francorum regno, ac in Austrasiam & Neustriam diviso, Austrasiae accensebatur. More suo prope hanc urbem varia fuerunt regibus Austrasiae palatia. Quorum nomina cum diplomata nobis servent; nec parum referat, accurate illa scire, diligentius ea persecutus est Auctor Nos igitur nomina ista repetemus.. Palatia itaque fuerunt: 1) Treveris; 2) in ipsa urbe *adhorrea;* 3) Palatioli, quod una hora ab urbe distat; 4) Epternaci; 5) Decimae; 6) Scolinare, seu Scolinake, cui hodie Schoeneke nomen est; 7) Confluentiae; 8) Andernaci; 9) Sentiaci, id est Sinzide; 10) Octendi; 11) Pheusae; 12) Bopardiae; 13) Vesaliae; 14) Isenburgi; 15) Weilburgi. His enarratis, pergit A. ad describendam opulentiam magnificentiamque Archiepiscoporum, atque excutiendas

das origines templorum, Metropolitani, S. Maximini, S. Eucharii. Trevirensem ecclesiam semper fuisse metropolin, cum aliis persuadere studet, primatus huius origines, altius repetitas, exponit. *Dissertationis Seculo VII.* praemissae initium factum est ab enarrandis pagis archidioecesis Trevirensis, in quos ex consuetudine regni Austrasiae divisa fuit. Haud abs re esse videtur, & istos hoc loco recitare, quia satis expeditum est, quanta utilitas ex eiusmodi commentationibus, ad Geographiam medii aevi, artemque diplomaticam, redundet. Percensentur a Nostro, adductis notatisque diplomatum suffragiis, pagus Wabrensis, Metingoviensis, Alsoniensis, Indiacensis, Nilachowensis, Sarachowensis, Albegovensis, Blesensis, Ardennensis, Nudochi, Surensis, Carosgovensis, Bedensis, Mosellensis, Hunsruckensis, Nachgoviensis, Eiflensis, Megenensis, Trechirensis, Loganensis uterque, superior & inferior, Angerisgovensis, Einrichensis. Pagos hos sensim archiepiscopi sibi subiecerunt, iuraque metropolitana conservarunt; dioecesana vero, aucto ecclesiarum & monasteriorum numero, insigniter protulerunt. *Seculo VIII.* opes ecclesiae auctae sunt aeque ac villae, quae ad eas pertinuerunt. Notanda inprimis nobis videntur, quae de Milove, priscarum chartarum hoste, observavit A. Hac aetate res ecclesiae Trevirensis a potestate comitum exemtae sunt, & Archiepiscopis subiectae; qua de re varia nobis supersunt monumenta. Eodem beneficio ornata fuerunt nonnulla monasteria, iisque privilegia de eligendo Abbate & mundiburno concessa, Archiepiscopi autem ad varia officia aulae Imperatorum admoti. Nec silentio praetermissae sunt scholae, & expositum est, qualis earum fuerit facies *Seculo* IX. Paucis allatis de forma reip. Germanicae sub Imperatoribus & regibus *Carolingis*, demonstrat A. Trevirenses Lothario quidem, in divisione filiorum Ludovici pii, cessisse, eo tamen mortuo, Ludovico Germanico fuisse subiectos. Bona ecclesiae Trevirensis libera fuerunt a comitum auctoritate, ipsaque urbs Archiepiscopo paruit. Sacrorum praesules eligebantur a rege, clero, & populo; consecrabantur a comprovincialibus; Teutgaudes vero, cui Pontifex

tifex Rom. priſtinam ademit dignitatem, illuſtre poteſtatis papalis in Germania exemplum eſt. Primatum epiſcopi per Belgium extenſum eſſe, facile probatur. Enumeravit deinde A. viros, doctrina ea tempeſtate apud Trevirenſes illuſtres, in quorum numero Amalarius, Bertulfus, Theganus, Wandelbertus, Rhegino, eminent; ſcholarum autem prima fuit Prumienſis. Pergimus ad *diſſertationem*, *Seculo X* præfixam. Mortuo Zuentiboldo, Lotharingia rediit ad Germaniam, cui nobiliſſimam illam provinciam Henricus auceps vindicavit. Patet ergo, quo vinculo tum Lotharingia cum Germania cohæſerit; nec inepte rationes exinde repetuntur, quare Archiepiſcopis Trevirenſibus archicancellarii nomen tributum legatur. Summæ huius dignitatis origines ad ævum Zuentiboldi referendæ ſunt; quamvis ea tempeſtate haud perpetuum fuerit præſulum Trevirenſium ornamentum. Diviſione Lotharingiæ in ſuperiorem & inferiorem facta, Trevirenſis urbs, pars quidem fuit provinciæ ſuperioris; nec tamen ducibus eius, ab Imperatoribus conſtitutis, paruit, ſed Archiepiſcopis: poſteaquam vero ille ducatus in varios principatus fuit dilaceratus, cauſæ ſuæ haud defuerunt epiſcopi, quin potius mirifice in augendis ſuis iuribus laborarunt. Hoc tempore caſtris munita fuit contra barbaros provincia, quam illi invadere conati ſunt. Ius eligendi antiſtitem erat adhuc penes clerum & populum. Primatus iura, non ſolum firmavit Ioannes XXII. P. R. ſed patet etiam ex variis monumentis, nominatim primum locum obtinuiſſe Archiepiſcopum a Nuntio Apoſtolico: imo, ſi nullus adeſſet Nuntius, ab Imperatore & Rege Romanorum. His enarratis, adduntur nonnulla de viris doctis, ſpeciatim de Silveſtro II, P. R. Egberto, Henrico, Ruotgero, Luitolpho, ceteris, ſed & de ſcholis clericorum ſecularium S. Matthiæ & S. Maximini, item Mediolacenſi ac Epternacenſi. *Seculo XI.* Archiepiſcopus, resque eccleſiæ Trevirenſis exemtæ fuerunt a ducibus Lotharingiæ, hincque, auctis opibus curisque civilibus, & acquiſitis vaſallis, adiunctus fuit præſuli vicarius in pontificalibus; ſive ſuffraganeus. Territorium adminiſtratum fuit per advocatos, vicedominos, & comites. De primatus

matus iuribus dubia quidem quæſtio, certum tamen eſt, alia ſpectaſſe ad Belgicam provinciam, alia ad Galliam Germaniamque. Quod attinet ad Belgium, poteſtatem habuerunt præſules, ſynodos provinciales convocandi. Commemorantur denique ſcholæ monaſticæ, quibus canonicus quidam præfuit, *Scholaſtici* nomine conſpicuus. *Seculo XII.* quamvis præſules a clero populoque eligerentur; Arnoldus II tamen & Henricus II. a ſolo Capitulo conſtituti ſunt. Orta de inveſtitura epiſcoporum lite, transactio, ann. MCXXII. facta, ſero apud Trevirenſes obtinuit. Vicedominorum auctoritas, qua illi abuſi ſunt, minuta fuit, eorumque poteſtas Archiepiſcopis reſtituta: imo & comites Palatini renuntiarunt iuri advocatiæ. Nec ſilentio prætereundum eſt, Archiepiſcopos uſos eſſe iure armorum, munitionum, fœderum; curiam habuiſſe feudalem, miniſterium ſplendidum, item officia aulica; aſſecutos etiam eſſe dignitatem legati apoſtolici, ac ſacerdotum conventus coegiſſe. Nec literis defuerunt ſtatores & vindices, ex quibus Bruno, Albero, Tarlandus, Baldericus, Ioannes I, ceteri, præcipue eminent. Ad *Seculum XIII.* diſſeritur de origine Electoratus, quam ad Ottonis IV. Richardi, Alphonſique ævum referendam eſſe, ſtatuitur. Archicancellarii dignitas Trevirenſibus ſimul reſtituta fuit: muneris autem ampliſſimi fines ſola Gallia non continebantur; ſed Rudolphi I ætate extenſi quoque fuerunt per Burgundiam. Inprimis liberales ſe Imperatores præbuerunt in ornandis Archiepiſcopis; ſublatis autem advocatiis particularibus, nobilibus commiſſis, poteſtas eorum inſigniter fuit aucta. Turbulentus Germaniæ ſtatus id effecit, ut feuda caſtrenſia (Burglehen) erigerentur, ac ad defenſionem caſtrorum, aliaque negotia bellica, milites, datis feudis, conducerentur. Commodam hic nactus eſt Clar. Auctor occaſionem, de feudis Trevirenſibus diſputandi, eaque natura ſua eſſe maſculina, comprobandi. Ius Romanum eodem tempore in fora Trevirenſium introductum fuit, atque in locum curiæ epiſcopalis officialis ſuffectus; item ſtabilita archidiaconorum poteſtas; nec raræ exſtiterunt ad curiam Romanam provocationes. *Tomum* hunc *primum*, cuius diſſertationes

iam persecuti sumus, claudit elegantissima, *de sigillis Archiepiscoporum Trevirensium*, dissertatio, qua, servato temporis ordine, quo quisque præsul Treyirensis sigillo usus sit, A. ostendit, ac selecta doctrinæ heraldicæ capita illustrat.

Tomi secundi dissertatio prima res *Seculi XIV* attingit. Henricus VII. Imperator, primus per litteras regalia feuda archiepiscopis concessit, quæ non solum definiendis archidiœcesis terminis egregie inserviunt; sed demonstrant etiam, præsulibus iura eminentiora in urbem competiisse. Ipse Electoratus in varias divisus erat Satrapias: singulis præerant Burggravii, de quorum officio, & de cellerariis, iureque collectandi, de regali fluminum, de iure recipiendi Iudæos, a Carolo IV. concesso, de vectigali, Caroli IV. liberalitate aucto, docte disputatur. Archicancellarii munus per Galliam & Germaniam Trevirensibus confirmatum fuit; prærogativa usi sunt primi suffragii in eligendo Cæsare, & iure fœderum. Vasallagiorum, castrorum, castrensiumque numerus amplificatus, ac varii nobilitatis gradus sunt constituti. Austrægarum institutum receptum fuit, ac amplissimum ius concessum, alienata imperii feuda redimendi, & tutelam impuberum suscipiendi. Divisa archidiœcesi in superiorem & inferiorem, opus quoque fuit, ut duæ essent curiæ ecclesiasticæ. Tandem de viris illius seculi doctis agitur, de Balduino & Cunone, Archiepiscopis, de Ludolpho de Saxonia, Ioanne de Livonia scriptore *vitæ Balduini* anonymo, ceteris. *Seculum XV.* illustrarunt publica pacta, cum vicinis Statibus facta, antequam solennis illa pacis publicæ formula anno MCCCCXCV. publicaretur, quibus Austrægarum auctoritas stabilita, eorumque iure definita sunt varia commerciorum fœdera, conventiones super teloniis, vectigalium accessiones. Præterea militaris res bene ordinata fuit; cum Gallis pax servata, & bello inter hos atque Austriacos orto, neutri parti faverunt Trevirenses, caussis ad id adducti legitimis, neque imperio noxiis. Capitulum cœpit electoribus præscribere leges, *capitulationis* nomine satis celebres; anno MCCCCLVI. Comitia frequentia fuerunt, nec clerici a contributionibus immunes. Litteris, uti

uti in omni fere Germania, ita etiam apud Trevirenses, nova lux adfulsit: in collegio S. Germani constituta est schola publica, & amplissimum erectum musarum domicilium, Academia Trevirensis, de cuius archicancellariis, magistris in theologia, decanis, & professoribus iuris, aliisque, differit Auctor, ac viros doctos, qui ea tempestate doctrina floruerunt, addit, inter quos Nicolaus Cusanus, Ioannes Trithemius, & Adolphus de Assindia, principem locum sibi vindicant; nec indigni fuerunt, de quibus diligentius differeret. Sequuntur nonnulla de infelici alchymiae studio. *Seculo XVI.* ad confirmandam publicam pacem, singularia foedera inita sunt, cum Moguntino, Palatino, & Hasso, milesque perpetuus conductus fuit. Comitia provinciae celebrata sunt, quibus tres interfuerunt ordines, cleri, equitum, & oppidorum; tributa solverunt clerici & comites vasalli; verum inter equites & ceteros ordines orta fuit lis de tributis, quae illi recusarunt, ab ann. MDLXXV. usque ad ann. MDCXXIX producta. Ius archiepiscopi in urbem impugnarunt cives; nec levioris momenti fuerunt utriusque partis argumenta: adiudicata tamen fuit res Archiepiscopo, sententia Imperatoris & camerae ann. MDCLXXX. Tricae,, sacrorum causa natae, cum Trevirensium nonnulli religioni emendatiori se praeberent addictos, ita compositae sunt, ut protestantes urbe eiicerentur; controversia vero diuturna, inter Archiepiscopos & Abbatem S. Maximini agitata, ita tandem finita est, ut hic Praesulem dominum suum agnosceret. Pauca adduntur de iurisdictione Papae ac Nuntii apostolici; de officio archicancellarii per Galliam Germaniamque Trevirensibus commisso, eiusque exemplis recentioribus; de professoribus theologiae, rectoribus, ac procancellariis, & litteratis viris, Ioanne Henenio, Georgio Virneburgio, Petro Binsfeldio, Ambrosio Pelargo, Io. Bertelio, Bernardo de Luxemburgo, Matthaeo Agricio, Ioanne Leinero, Barthol. Latomo, Guil. Kyriandro, ceteris. In fine typis descripta est *dissertatio, de monetis Archiepiscoporum,* qua praesulum electorumque numos, servato temporis ordine, percenset A. postquam observavit, obtinuisse eos ius monetae

 sub

ſub Carolingis, ac *Eccardum* confutavit, qui Trevirenſia numiſmata Imperatorum, non Electorum nomine, ſignata fuiſſe, contenderat.

Accedimus tandem ad *tomum tertium* præſtantisſimi operis, cui præmiſſa eſt *chorographia Trevirenſis*, *eccleſiaſtica & civilis*, ſatis copioſa; nec tamem ita comparata, ut fides ei omni ex parte haberi queat, quippe, teſte Cel. Auctore, non ex monimentis publicis, ſed privatis tantummodo, compoſita. Maioris itaque pretii eſt *diſſertatio*, rebus *ſeculi* XVII. & XVIII. illuſtrandis conſecrata, ubi de fœderibus capituli ordinumque adverſus obtruſos epiſcopos, de modis iuſtis ad ſummam præſulis dignitatem perveniendi, nimirum electione, poſtulatione, ac papæ Romani iudicio de dubia electione. Papa confirmare ſolet electum; confirmato Auguſtus confert feuda regalia; inveſtitus homagium a ſubditis recipit. Ubi archiepiſcopus de priſtino munere removendus, eique temporalia adimenda ſunt, olim ſolius electorum collegii, noſtra ætate conciliorum conſenſus requiritur. In comitiis provincialibus Abbas S. Maximini primatis locum tuetur. Ius collectandi competit electori: nobiles taem a ſolvendis tributis exemti ſunt. Quantum clerus pendere debeat, olim dubia & controverſa quæſtio fuit; noſtra vero ætate definita, ita ut ſolvant:

Clerus archidiaconi ſuperioris 87. imper. 52. alb.
Clerus archidiacon. inferior. 98 imp. 57 alb. 6 den.
Status ſeculares archidiac. ſup. 472. imp. 12 alb.
Status ſecular. archidiac. inf. 340. imp. 46. alb. 6 den.

Ubi de contingente imperii quæſitum, res ann. MDCLXXXI. ita fuit compoſita, ut circulus Rhenanus ſuperior ad exercitum S. R. I. mittat

In ſimplo 600 equites, 2707. pedites.
In ſeſquiſimplo 1000. equites, 4060½ pedites.
In triplo 1800 equites, 8121. pedites.

Simili

Simili ratione memoria dignum eſt, ſæpenumero neutri parti acceſſiſſe, modo circulum electoralem Rhenanum, modo electorem Trevirenſem. Academiæ Trevirenſis inſignia facta ſunt incrementa, maxime auſpiciis sereniſſimi *Franciſci Georgii*, qui noſtra ætate ſacris Trevirenſibus præeſt. Fuſe poſtea de ſuffraganeis, vicariis generalibus, cancellariis, profeſſoribus iuris, officialibus, aliisque legitimæ diſciplinæ conſultis, nominatim *Goldaſto* & *Chriſtoph. Lehmanno*; de medicis ac hiſtoricis, & in his de *Browero*, diſſeritur. Opus totum explicit *diſſertatione de ſcriptoribus hiſtoriæ Trevirenſis*. Agitur hic *primum* de diptychis, quæ nihil præter nomina epiſcoporum exhibent: *deinde* de Scriptt. qui Sec. IX & X. *geſta Trevirorum* tradiderunt, eorumque principe *Golſchero*, cuius annales *Acherius*, *Leibnitius*, & *Calmetus* typis curarunt excudendos: de *vitis S. S. Eucharii*, *Valerii*, & *Materni*, quas *Bollandus* d. 29. Ian. exhibet, licet errore manifeſto a *Golſchero* conſcriptas, *Eberhardo* tribuat: de *hiſtoria inventionis Celſi*, itidem a *Bollando tom. III. Febr.* pag. 392. edita: de *hiſtoria XVI. martyrum* Bopardenſium, apud eundem *Bollandum tom.* IV. Auguſt. p. 556. de *hiſtoria martyrum Trevirenſium*, quam illuſtris Auctor primus nunc, e tenebris erutam, produxit in publicam lucem: *denique* de recentioribus quibusdam ſcriptoribus, quorum nomina tam illuſtria tamque celebrata ſunt, ut ea recenſere iure ſuperſedeamus. Satis itaque dixiſſe nobis videmur de diſſertationibus ac commentationibus, quæ a reverendiſſimo auctore, illuſtrandis diplomatibus, præmiſſæ ſunt. Non adulamur Auctori, dum ingenue fatemur, laudandam ac prædicandam eſſe ſummam illuſtris viri diligentiam, quam in eis conſcribendis collocavit. Nihilo minus haud minore laude digna eſt opera, quam ad colligenda, diſponenda, ac explicanda hiſtoriarum monimenta adhibuit, quæ in unum hoc corpus congeſſit. Horum tantus eſt numerus, tantaque copia, ut MCCCXCV. ſiſtantur. Maximam eorum partem in *diplomatum* cenſum referendam eſſe manifeſto patet, adeoque iure ſuo, vaſtum opus, *hiſtoriæ diplomaticæ* nomine tituloque or-

 natum

natum fuit. Nec tamen sibi temperavit A. quin alia quoque historiarum documenta adderet, quæ licet haud sint diplomata, nostro ævo, quod iure diplomaticum dixeris, tantopere expetita; insignem tamen lucem historiæ Trevirensi accendunt, licet ipse haud neget Editor, singula nec eiusdem fidei, nec eiusdem pretii esse. Non deerunt sane, qui mirentur, repetita hoc loco esse, decretum *Honorii* & *Theodosii* A. A. quo præfectura prætorio Arelatum transfertur; nonnullas epistolas *Sidonii* Apollinaris; *Fortunati* quædam poemata, speciatim *hodæporicon*, &, quæ toti operi finem imponit, narrationem de ingressu electoris Trevirensis in urbem Francofurtensem, eligendo augustissimo nostro imperatori Francisco: varias item de rebus civilibus & ecclesiasticis constitutiones, huiusque generis sexcenta alia. Facile tamen hæc possunt ignosci, si cogitemus, ubi quinque monimentorum partes constituuntur, quatuor esse ἀνεκδότους. Observationes, quibus singula explicantur, illustranturque, ita sunt comparatæ, ut quatuor earum classes queant constitui. *Aliæ criticæ*, ubi de fide diplomatum disputatur: *aliæ historicæ*, ubi & sensus eorum ex scriptoribus coævis exponitur, & quæstiones geographicæ, historicæ, atque genealogicæ, facile expediuntur: *aliæ iuridicæ*, iuri publico & privato Trevirensium explanando consecratæ: *aliæ* denique *grammaticæ*, quæ circa barbaras voces enodandas versantur. Sic nihil facile prætermissum est, quod ad rectius capiendam scriptorum sententiam pertinet. Ne exempla deesse videantur, provocamus ad elegantes illas observationes, de auctoritate diplomatis, quod Dagobertus Irmingardæ filiæ concessit, T. I. p. 87. dubia alioquin & controversa: de ruinis amphitheatri apud Trevirenses Romani, T I. p. 649. ceteras.

D. CAROLI GOTTLOB HOFFMANNI, SS. THEOL. Prof. Prim. Reg. Elect. Consist. Assess. & rel. VARIA SACRA, seu Opuscula Academica, maximam partem publico nomine conscripta.

Vitem-

Vitembergæ, Impensis Ephraim Gottlob Eichsfeldii, 1751, 4. Alph. 1. plag. 15½.

Offert hic nobis Ven. Hoffmannus collectionem libellorum, maximam partem publico academiæ nomine conscriptorum, ne, separatim prostantes, proxime interitum experirentur, sed utilitatem omnino suam, & eximiam quidem, pro doctrina tanti viri, in ecclesia retinerent. Nomine *Variorum Sacrorum* Auctor librum hunc insignivit, aliorum virorum doctissimorum exempla secutus; quod ad varias res sacras hæc collectio litteraria pertinet, prouti ex indice *commentationum* patebit, quem, cum summa rerum dictarum, lectoribus iam exhibemus. Primo Pag. 5.
occurrit *programma de discrimine fidei divinæ & humanæ*, ubi, post enodatam fidei significationem, & eius, quod divinum & humanum est: discrepantia duplicis huius fidei ponitur, primo in ratione *principii* & originis, secundum quam, humana fides ex viribus intellectus humani; divina vero, ex gratiæ divinæ mediis, oritur. Utraque fides deinde differt ratione *subiecti*. Illa cadere potest in omnes homines, quot- 10.
quot iustam debitamque operam in rerum divinarum contemplatione adhibent; hæc vero tantum in Christianos, eosque 11.
solos, nec eos omnes, sed in vere pios & fideles cadit. Ra- 13.
tione *obiecti* differt utraque porro fides. Humana, accipit 14.
articulos fidei, quos vulgo *mixtos* vocare solemus: divina, maxime omnium fertur in Christum, totius generis humani redemtorem. Intuitu *formæ*, illa hominem, vel certa, vel probabili ratione, movet ad assensum, estque convictio mentis de hac & illa veritate, propriis naturæ viribus producta; hæc vero est intima mentis convictio, ab ipso Spiritu sancto, per verbum divinum & sacramenta producta, omnem fluctuationem plane excludens. Ex his omnibus nectitur solida fidei 16.
divinæ & humanæ definitio, cui usus huius doctrinæ contra 17.
Naturalistas, & Theologiæ Naturalis abusum, quin & Reformatos, & alios, additur. In *secundo programmate* ad 25.
quæstionem respondetur, quare *Iosephus cædem infantum Bethlehe-*

medium huius ſcriptionis aſſeritur, Simeonem ſenem, *Luc:* Pag. 73.
II, 29. 30. preces ſuas non ad Deum patrem, ſed ad Spiritum
S. dirigere; ſecus quam alii docent. *Septimo* loco de *angelica* 81.
animarum piarum aſportatione in ſinum Abrahami, ad *Luc.*
XVI, 22 pie docteque diſſeritur. Tres deinde ſequuntur diſ- 91.
ſertationes, de *variis modis, tranſitum ad Ruthenorum Sacra*
excuſandi, ubi *prima* ſectio quæſtionem definit, an hodierna
ab antiquiori Ruthenorum religione diſtet? quod in *ſecunda* 109.
& tertia ſectione continuatur, & inde fruſtraneæ excuſationes
tranſitus ad Ruthenorum ſacra oſtenduntur. *Undecima*, 121.
& ſequens, una cum decima tertia, pertinet ad *Hernbutianorum* errores in doctrina de Deo Patre, creatore cœli &
terræ, agitatos; qui a Ven. Auctore diligentiſſime propo- 141.
nuntur & confutantur. Pergimus hinc ad *decimum quartum* 171.
programma, quo quæſtio diiudicatur, an *Magi*, qui ex oriente ad Ieſum recens natum venerant, *fuerint Hiſpani? ad* 175.
Ps. LXXII, 10. Multa creduli ſcriptores, de Magis, ad Chriſtum, nativitatis ſub tempore, venientibus, fabulantur, quæ digna vix ſunt ut recenſantur. Inter alia memoratu digniora, occurrit etiam id, nonnullos interpretes, Hiſpanos illos fuiſſe, contendere, ubi quidem ad *Pſalmum* noſtrum acerrime provocant, in quo vocabulum תרשיש occurrens, ad *Tarteſſum*, Hiſpa- 179.
niæ Bæticæ non incelebrem locum, detorquere audent. Verum enim vero, falluntur oppido illi enarratores odæ Davidicæ, in qua nec vola nec veſtigium apparet de Magis, ſub nativitatem Ieſu, ad urbem Hieroſolymitanam profecturis; ſed in univerſum, de converſione omnium gentilium ad Ieſum agitur, poſt huius mortem, & aſcenſionem ad ſupera, tunc temporis feliciter conficienda. *Decima quinta* ſcriptio *de lucta Iacobi*, 187.
cum angelo incerto, ad *Geneſ. XXXII*, 24 agit, & inprimis circa modum luctandi eſt occupata, per vocabulum אבק deſignatum. Sed ἅπαξ λεγομένη hæc eſt vox, & quis in tan- 189.
tis tenebris ſatis clara luce omnia perſpiciat? Celeberrimus 192.
Auctor, quid hac de re ſentiat, ſequentibus deſcribit verbis: nos exiſtimamus, amicam, ſeriam tamen & vehementem, deſcribi concertationem, qua Angelus cum Iacobo

diu disputans & collocutus, tandem discessurus, grata quidem,
sed multa vi, brachiis manibusque Iacobi, abiturientem vehe-
menti amplexu retinentis, se extricare molitur. Quo autem
maiorem fidem adhibet, hoc fortius retinetur a Iacobo, hoc
magis & gemitu, & fletu urgetur ab eodem, ut ne prius dis-
Pag. 195. cedat, quam data divina benedictione. Quæ ad hanc sententiam
ornandam, atque amplificandam, quin etiam vindicandam
pertinent, plura sunt quæ eo loco proferuntur, quam ut chartæ
203. nostræ capiant. Succedit hinc *commentatio* de *paupertate*
mentis ad *Matth. V, 13;* olim iam *Bibliotheca Theologicæ Co-*
lerianæ inserta, & typis heic repetita. Contra *Moshemium*
perscriptam hanc fuisse dissertationem, inter doctiores
viros constat. His adduntur aliæ, olim iam in pu-
blicum Lipsiæ emissæ dissertationes Academicæ, quarum ti-
tulos saltem hic cum lectoribus communicare sufficiet.
Agit scilicet *decima septima* de *antiquitatibus*, *frustra*
217 - 236. *in sacro codice quæsitis*, anno 1734, publici iuris fa-
cta: deinde *prælectio* occurrit *philobiblica*, Lipsiæ quon-
239. dam habita, de *correctione fraterna* ad *Gal. VI, 1.* Post
261. illam *Observatio exegetica* ad *Ies. XI, 1.* ex germanico idio-
mate translata in Romanum, additur, in qua duplex verbis
Iesaianis contineri paradoxon affirmatur, quorum *prius* admi-
265. randam Iesu conceptionem & nativitatem significat; *posterius*
autem admiranda adolescentiæ ipsius facta indicat. *Vicesima*
269. scriptiuncula ultima est, & continet Epistolam olim ad
Colerum perscriptam, de *Pachomio* Monacho singularis quæ-
dam enodantem. Quam iucunda & fœcunda in hac diligenti
libellorum collectione, facile alioquin intereuntium, do-
ctrinæ variæ Theologicæ sit messis, neminem credimus
ignoraturum, qui vel hanc nostram levidensem operam
inspexerit: sed longe plura sunt quæ ex ipsis fontibus
poterunt hauriri, quæque haustus avidos, ad *Hoffmanniam*
hanc scaturiginem non ducent, sed rapient.

IOAN-

IOANNIS ERNESTI STIEFF, PHILOS. AC MEDIC. Doctoris, & in urbe Patria Practici, & Cæsareæ Academiæ Imperialis Naturæ Curioſorum membri, Deſcriptio Bolidis.

Vratislaviæ, die IX Febr. A. MDCCL. obſervatæ.

Die IX. Februarii, tertio iam audito quadrante poſt decimam veſpertinam, per noſtram atmoſphæram Bolis inſolitæ magnitudinis ruebat, quæ dum in cœlo tunc admodum ſereno ignem conceperat, oculis, ſub magnitudine trium aut duorum pollicum, conſpiciendam ſe exhibuit. Quo magis poſtmodum deſcendebat, eo ſub maiore diametro apparuit, tandemque paululum ante diſruptionem ad unum cum ſemiſſe pedem accrevit. Ut globus luſorius, motu duplici, & circa axem, & quoque progreſſivo, in linea ex obliquo deorſum directa, per atmoſphæram, a plaga Africi ad Cæcias devolvebatur. Color eius ſub initio erat pallidus, deinde rubeſcens. Tempus, intra quod Bolis rapidiſſime mota iter ſuum abſolvit, vix unum minutum primum refert. Splendor ſucceſſive creſcens, ſpeciem efficaciſſimi fulguris exprimebat, quam ob rem plerique noſtratium in urbe, iſtud phænomenon pro fulmine habuerunt, in hac ſua opinione tanto magis per ſubſequentes fragores confirmati. Cum apparentem diametrum 6 vel 8. pollicum haberet, lunæ plena facie ſplendentis vivacitate, Bolis noſtras oras illuminare cœpit: nam tunc nobis propior, plures, ac efficaciores radios, ad nos demittere potuit. Acquiſita poſtmodum ultima molis magnitudine, quadraginta circiter pedes a terra adhuc elevatus globus, prope pagum *Scheitnig*, in loco ultra mille fere paſſus ab urbe diſſito, in quatuor fruſta diſſiliit, quæ, donec in fluvium Oderam caderent, ignem ſuum retinebant.

Quibuscum de hac Bolide locutus ſum, omnes ac ſinguli, mihi loca diverſa denominarunt, ubi hanc decidiſſe putarant noſtrates, ſed omnes illorum relationes, qui iſtam in plateis viderunt, erroneas mox declaravi, ob altiſſima ædificia, ad varias ſenſuum fallacias occaſionem præbentia. Colono cui-

 dam

dam tunc in itinere versus hæc confinia occupato, bolis in silva prope *Schwitnig* cecidisse videbatur. Ast nec ullum huius rei in fruticeto vestigium, nec quidpiam globi disrupti inventum fuit, imo ibi habitantes, globumque cadentem videntes, contrarium affirmarunt. Id quod etiam, relictis aliorum meteorum sub libero cœlo in Oderam cadere spectantium testimoniis, miles præsidiarius, ad distantiam aliquot centum passuum, in propugnaculo satis alto excubans, asseruit: cui tanto magis credendum est, quia simul eiusdem relatio, cum aliis in hoc quoque convenit, quod lumen, splendor, ignis & fumus, ex nunc evanuerit, cum frusta globi disrupti nisi in Oderæ flumen cecidissent, aut in silvam, aut in domibus, aut alibi amburere, succendere, ardescere, & fumare oportuisse consequeretur. Licet eiusmodi Bolides, muros, lapides, & tectilia lateritia, nec incendere, nec discutere possint, quoniam illæ, igne non in summam cuspidem, qualis est fulminum, concentrato, corpora tangant; tamen tectilibus stramineis & scandularibus, variisque aliis materiis, facile flammam concipientibus, ignem suum communicare solent, cujus rei varia prostant testimonia. Igitur mihi legenti, a fulminibus ex cœlo sereno missis aliquid incensum & combustum fuisse, idem potius aliquando per Bolidem, dum ardet, adhuc descendentem, factum esse videtur, quam vulgus pro fulmine habuit. Nam quo rarius fulmen ad nos usque demissum, eo frequentius globus ardens in cœlo sereno conspicitur.

Statim post Bolidis dissolutionem, tres iteratos fragores sonoros ac tonitrui simillimos audivimus, qui ob minorem a terra distantiam, cumplurimis in urbe ac in suburbio ædificiis, etiam ad quindecim usque passus ex loco ubi cecidit, tres ictus ita communicarunt, ut magna fenestrarum trepidatio exinde produceretur. Hinc incolæ nonnulli, qui non ipsam viderunt Bolidem, sed fragores tantum audiverunt, tria tormenta bellica, pulvere pyrio prægravata, ad signum militaris desertionis displosa fuisse, opinati sunt. Ad apparentiam meam, sub cœlo admodum libero, Bolis figuram fere sphæricam semper retinere videbatur, sed ob tantam motus sui velocitatem, figura

gura hæc exactius determinari nequit, cum corpus rapidissime motum, longeque remotum, plane aliam ostendat figuram, quam in quiete, & propinquius visum, ostensurum fuerat.

In tractibus atmosphæræ, quos globus pervagatus est, tramitem vaporum seu fumi, materiæ combustæ, fumo, qui ex combusto sulphure oritur, simillimi, ad breve tempus reliquit.

Nunc quasdam meteorologicas observationes, ad explicationem Bolidis necessarias, addere consultum credidi.

Februarius.	Tempestates.	Ventus.	Altitudo Mercurii.	Gradu Thermom.
D. 3.	Nubilum cœlum. a meridie serenitas vaga. Gelu subitum.	Zephyronctus. SW.	30, 16	52.
D. 4.	Tempestas serena. Frigoris asperitas. Aurora Borealis permagna, ignei coloris.	Zephyro-Boreas. WN.	30, 18.	54.
D. 5.	Serenum. Intensius gelu. Aurora Borealis insignis sed pallidior.	Subsolanus. O.	31, 22.	56.
D. 6.	Cœlum fere semper clarum, postea tenuibus exhalationibus nebulosum vulgo *Hegerauch*. Gelu.	Subsolanus O.	31, 22.	51.
D. 7	Gratissima serenitas, postea *Hegerauch*. Gelu non resolutum.	Boreas. N.	31, 21.	47.
D. 8.	Mox nubes, mox phœbus. Frigus continuum.	Zephyro Boreas WN.	30, 19.	39.
D. IX.	Cœlum utplurimum, vesperi vero perfecte serenum. Gelu.	Zephyrus W.	30, 17.	30.
D. 10.	Nubilum Cœlum. Gelu.	Subsolanus.O	30, 15.	31.
D. 11.	Nubes. Gelu.	EuroAust.OS	29, 13.	30.
D. 12.	Serena temperatiorque tempestas ad regelationem tendens.	Auster. S.	30, 20.	25.
D. 13.	Dies innubis. Tempus calidum. Regelatio subita.	Euro Auster OS.	30, 20.	20.

Alt

Altitudinem Mercurii ex tubo Torricelliano, frigus autem ex duobus thermometris æqualibus, 80 graduum caloris, & 100 graduum frigoris, cognovi. Unum eorum hiemalibus obſervationibus præſertim inſerviens, in camera cum apertis feneſtris verſus ſeptentrionem; alterum in alia camera verſus meridiem aſſervatur, in qua vero ob viciniam hypocauſti calefacti, non adeo ſeverum frigus ſentiendum, quamvis feneſtra fere ſemper aperta ſit. Varietas locorum, ubi hæc duo thermometra pendent, differentiam 10 vel 11. graduum efficit, licet, quando in pari loco ambo affixa ſunt, pares eosdemque gradus oſtendant. Obiter hic annotandum eſt, quod in meo Thermometro, ſumma per hiemem præterlapſam obſervata frigoris aſperitas, liquorem bina vice haud ultra 62 gradus, ſæpius vero ad 40. 45. 48. 50. 52. 54. 55. 56. 58. gradus depreſſerit. Hoc licet obſervationi, per novellas noſtras nuper publicatæ, contrariari videatur, tamen cum aliorum hic loci circumſpecte inſtitutis obſervationibus conſentit.

Subſequenti die, de loco, ubi hanc Bolidem cecidiſſe dicebatur, anxie ſollicitus fui, quo aliquid de relicta combuſta materia, ad perquirendam per experimenta indolem eius, acciperem. Mihi quoque ipſum locum perveſtigare animus erat, & ea occaſione me de illo clarius inſtrui poſſe ſperabam; Clariſſimus BARHAM a) tradit, ſe in Iamaica eiusmodi globum ardentem, diametro pyroboli æqualem, ex cœlo in terram cadere vidiſſe, & ubi cecidit, foveam parvam cum multis foraminulis inveniſſe tam profundis, ut adſtantes bacillis ſuis illa perſcrutari non poſſent. Sed ſpes mea ad has perquiſitiones cum ipſa Bolide cito periit.

Interim Bolidem iſtam, nil aliud quam maſſam conglobatam accumulatarum exhalationum ſulphurearum, ſalinarum, & nitroſarum, immo cum materia fulminis aut ſimilem, aut forſan æqualem fuiſſe, citra omne dubium ponitur. Impetuoſa huius globi disruptio in quatuor fruſta, quæcum fragore fiebat, diſſolutionem per vim ignis particularum antea coniunctarum

a) Vid. Philoſoph. Transact. No. 357. p. 148.

ctarum ostendit, neque huic dissolutioni, verum potius particulis nitrosis commixtis, causa fragoris tribui meretur. Ast licet tantum quatuor frusta visa sint, in plura forsan disruptum esse opinor. Neque ex fragore distinctius ter iterato plures vere non extitisse credendum est; nam saepius uno eodemque temporis momento, diversi fragores coniunctim fieri solent, qui pro uno habentur. Per aliquot dies ante hoc phaenomenon, ut fabula docet, coelum erat modo clarum, modo tenuibus exhalationibus nebulosum, vulgo *Hegerauch;* unde ibi multum etiam sulphuris, salium, & nitri, accumulatum fuisse liquet, ex quibus rebus eiusmodi Bolides, imo & fulmina perapte oriuntur. Id perpendenti clarius patebit ex eo, quod praeteritis mensibus Februarii & Martii, non solum in Silesiae partibus, sed etiam in aliis provinciis, permultae circa hoc anni tempus alias insolitae tempestates fuerint, quibus sine dubio venti, frequentius ex Austro flantes, multum tribuerunt. Cur vero illae conglobatae in hoc globo massulae, non sub specie fulminis ignem conceperint, causa ex aucta per frigus compressione particularum forsan petenda est. Etenim aestivo tempore, plures, & magis extensae massulae sulphurearum, salinarum, ac nitrosarum particularum, in atmosphaera latius, quam hieme, dispersae latent. Sufficit, quod idem globus nunc descriptus, ex eiusmodi globulis minoribus, per cohaesionem particularum similium coniunctis, dum fulminat, aut successive, aut, ut nobis apparet, in continuata positi serie comburentibus, exortus fuerit.

Dantur etiam Bolides sine fragore dissilientes, cuius indolis unam e. a. 1750. die XII Aprilis, *Hafniae*, ordinum ductor ex castello vidit. Erat illa initio corpus lucidum, magnitudinem maximi planetae ex duplo superans, quod postmodum, terrae propinquius, speciem globi splendentis, & diametrum quatuor pedum referebat, tandemque sensim dissipatum evanuit a). Ardentem hunc globum, ex sulphureis tantum particulis

---

a) Ita quidem in novellis relatum est.

ticulis compoſitum fuiſſe, ex pallido colore, & ex eo ſimul colligitur, quod ſine fragore extinguebatur a).

Noſtra inſuper Bolis, ignem ex fortiori frictione, & vehementi motu particularum concepit, ut idem de igne fulminis alibi demonſtrare tentavi b). Supra monui, quod hæc etiam, quo propius acceſſerit, eo in maius volumen ſe extenderet; & merito dubito, an idem eventus novo cuidam acceſſui novarum particularum tribuendus ſit, mallem potius huius cauſam in appropinquatione quærere, nam quodlibet corpus longius remotum, nobis ſub minori magnitudine apparet.

Diligentius quoque inquiſivi, an eadem Bolis, eodem tempore, in aliis Sileſiæ oris ſimul viſa fuerit, quale exemplum Bolidis A. 1717. d. x. Aug. per Sileſiam, Luſatiam, Poloniam, Pruſſiam, & Hungariam viſæ, egregie alibi declararunt Phyſici c). Sed omnes mihi ab amicis communicatæ relationes, hanc noſtram Bolidem, non ultra duo milliaria Germanica ab urbe Vratislavia apparuiſſe docent; ex quo, illius altitudinem vix dimidium milliare Germanicum a terra ſuperantem autumo; quod ſpatium obliquo itinere per tempus unius minuti primi multo tardiori motu abſolvit, quam Bolis a clariſſimo MONTANARIO Bononiæ A. 1676. obſervata d), quæ in uno minuto primo ſpatium 160. milliarium Italicorum pervagata eſt.

De

a) Singulare quoddam meteorum lucens, & ſine fragore evaneſcens, Halæ A. 1708. obſervatum, ab Illuſtri L. B. a VVOLFF deſcribitur in Act. his Noſtr. A. 1708. pag. 526-528.

b) In den hiſtoriſchen und phyſiſchen Betrachtungen über die Wirkungen des in einen allhieſigen Pulverthurm eingedrungenen Bliß-Strahles. 1749. 4.

c) Vid. Breßlauiſche Sammlungen der Natur-Geſchichte, I Verſuch p. 157-166. Plura in hac egregia obſervationum, ad an. 1728. usque continuatarum, collectione, exempla huiusmodi Bolidum, globorumque lucentium, relata evolvi merentur.

d) Referente MUSCHENBROECKIO in Element. Phyſic. §. 991.

De cetero, theoria fulminum, Bolidum, globorum ardentium, aliorumque meteororum ignitorum, obſervationes ſedulas pro fundamento aſſumit, & vere ex illarum defectu cauſa proſtat, cur horum phænomenon indolem huc usque minus ſufficienter cognoſcamus. Hinc deſcriptionem huius Bolidis obſervatæ, phyſices cultoribus haud ingratam fore ſpero.

VERVOLG VAN DE BESCHRYVING DER Staartſteeren, &c.

hoc eſt,

COMETARUM DESCRIPTIO CONTINUATA, item obſervationes accuratiores de ſtatu generis humani, geographica etiam, aliaque. Auct. NICOL. STRUYK, R. S. Lond. Socio.

Amſtelodami, apud Iſaac Tirion, 1753, 4.
Alph. 1 plag. 5. Tab. æn. 3.

Miſcellanea ſunt, quæ Auctor hic edit, & augmenta ſcriptorum, quæ olim emiſit. Igitur quædam delibare nobis ſufficiet. Cometarum orbitam parabolicam, hanc enim phænomenis explicandis ſatis exactam eſſe credit, ex tribus obſervationibus definire docet. Claſſes deinde Cometarum conſtituit, pro diverſa quantitate minimæ illorum a ſole diſtantiæ, & pro orbitarum ad eclipticam diverſis inclinationibus; *Dærfelium* noſtratem, virum rerum cœleſtium peritum, dignumque cuius memoria conſervetur, appellat, datque illi, nemine docente, in foco parabolæ, quam *Hevelius* iam orbitam cometis præſcripſerat, ſolem poſuiſſe, obſervationes vero eius non accuratiſſimas eſſe, fatente ipſo *Dærfelio*, monet; catalogos cometarum ſupplet, & *cometarium* deſcribit, orbitas terræ, lunæ, & variorum cometarum, debita forma ex cupro fabrefactas, debitoque ordine coniunctas complexum, cuius ope, cometæ in illo exhibiti phænomena, terræ dato tempore conſpicua, oculis ſubiiciuntur. Ad reliquam aſtronomiam

progressus, eclipses varias examinat, utilitatemque inventi sui de eclipsibus annis 521 ad eundem anni diem, non horam, redeuntibus prædicat, ad theoriam quoque circumiovialium emendandam aliqua confert. Ad Geographiam pertinet, milliare quod *Germanicum* vulgo vocant, gradus pars 15, definitum ex Peruvianis Gallorum observationibus, sumto inter maximum gradum & minimum sphæroidicæ telluris medio, pedum rhenanorum 23664. Mercurii in sole Maii 6. 1753, visi observationes plurimas Anglicas & Gallicas recenset, & illis ad emendaudam planetæ theoriam utitur. Deinde *nova inventa Geographica* exhibet, primum vero agit de iis, quæ in partibus Asiæ, & borealis Americæ, Russici imperii auspiciis plerumque detecta sunt, & quæ Clar. *de l'Isle* nuper edidit. Porro ex navium variarum diariis, multa edit ad *Novam Hollandiam* & *novam Guineam* pertinentia, inprimis vero tabulam accuratiorem insularum quas *Papoas* vocant; & hæ regiones, quam erronee, in tabulis vulgatis, etiam melioribus, repræsententur, exemplis ostendit. Plurima etiam communicat ex Abbatis *de la Caille* epistolis, a promontorio *bonæ spei* missis. *Kolbium*, quæcunque mensurari vel observari in *Capite b. Sp.* possunt, miserrime exhibuisse, & ita ut vix agnoscantur, *de la Caille* refert. Ipse montium quorundam altitudines dimensus est methodis geodaeticis, magna cura, *diaboli* ped. rhen. 3106, verticis orientalis *tabulæ* 3302, occidentalis 3353, *leonis*, 2085, omnes supra horizontem maris. Barometri etiam descensum observavit, cui satis convenire cum altitudine geometrice investigata, *Bouguerique* regula, *Struykius* ostendit. Gradum in Capite *de la Caille* commode & exacte dimensus est sexpedarum 57037, penduli autem longitudinem ped. par. 3. digit. $8\frac{1}{100}$.

Iam altera libri pars sequitur, *de statu generis humani*, Capita multa complexa. Pagorum variorum Batavicorum incolas numerat, hincque generalia quædam infert, qualia sunt: numeros incolarum natorum quotannis esse in ratione $23\frac{1}{2}:1$ ex matrimoniis 16, uxoribus annos ætatis a 20 ad 45 agentibus nasci quotannis liberos 5, matrimonia circiter annos $12\frac{2}{5}$

durare, ex 62 autem quotannis 5 morte dissolvi. Porro variarum urbium & regionum incolas enumerat, medio numero ex pluribus annis si fieri potuit collecto, ut Romæ habitare 141695 qui sacris Romanis addicti sacra cœna paschatos tempore utuntur, mori quotannis 5587; *Amboinæ* degere 73777. Curiosa etiam sunt, quæ de navigantibus refert, eorum in navibus ex Hollandia ad caput bonæ spei iter facientibus, interdum ex 170 aut 183 unica navi contentis, unicum periisse, interdum tertiam partem; plures mori si iter longius duret; totum iter Indiæ orientalis, itu redituque absolutum, quintam circiter hominum partem absumere, esse vero inter eos milites multos, & alios, maris molestias perferre nescios. Puerperarum etiam quantus numerus, hoc vel illo post puerperium tempore moriatur, observari suadet, exiguumque eius observationis specimen exhibet; plura vero habet de geminis, fassus, nunquam tam multa de his rebus legenti, obvenisse sibi quinos natos, & ad baptisma delatos, nisi ante paucos annos, ubi duo eiusmodi exempla nova publica retulerunt. Comitissæ vero Hennebergensis incredibile illud puerperium liberorum 365 ingeniose explicat, verosimiliter ostendens geminos illam enixam esse, puerum *Ioannem*, puellam *Elisabetham* appellatam, factumque id anno 1266 die passionis dominicæ, quem diem monimenta indicant; ille vero hoc anno sequitur Martii 25, festum annuntiationis, a quo exorsi sunt eo tempore annum; dictum ergo est forte, comitissam tot liberos peperisse, quot dies in anno elapsi sint, indeque fabula nata, cuius præter naturalem incredibilitatem, & hæc elucet absurditas, tantam puerorum puellarumque multitudinem, duobus saltem nominibus fuisse appellatam. Iam ad durationem vitæ humanæ progreditur Noster, & emendatis aliquibus in *Halleii*, quæ primam fere in hæc inquirendi viam monstravit tabula, annos climactericos denarios, quos *Süssmilch* in libro egregio, *die gœttliche Ordnung beym menschlichen Geschlechte*, septenariis illis & novenariis substitui posse suspicatus est, facile explicat: cum enim non exactam satis annorum suorum rationem teneant homines, & quibus ad deca-

dem quandam annorum deeſt unus vel alter annus, vel quibus abundat etiam, decade illa ætatem metiantur, mirum non eſt, plures in decadibus mortuos videri, qui revera uno alterove anno ſeniores aut iuniores deceſſerunt. Reliqua libri, utilibus monitis, de vitalitiis reditibus, tontinis, collegiis viduarum, occupantur.

A DISSERTATION UPON ORIUNA, &c.

hoc eſt,

DISSERTATIO DE ORIUNA, QUÆ UXOR CArauſii, imperatoris Britanniæ, fuiſſe dicitur, numis illuſtrata.

Londini, 1751, 4.
Plag. 5½ Figg. æri inciſ. Tabb. 2.

Occaſionem huic diſſertationi conſcribendæ numus dedit nuper repertus argenteus Carauſii, cum capite feminino in averſa facie, & inſcriptione: ORIUNA AUG. Poſſeſſores contendebant, nomen hoc fuiſſe uxoris Carauſii, & in Galliam numum mittebant, ut ſua, quod ſperabant, auctoritate, regia quæ Pariſiis floret ſcientiarum academia, hanc opinionem fulciret. Diſſertationis, quam nunc annuntiamus, Auctor, aliam prorſus fovet ſententiam, &, uxorem Carauſii nequaquam intelligi poſſe, ex ſilentio auctorum & monimentorum, argumentis etiam aliis, ſatis bene evincit. Ut autem, quid ſibi velit hæc inſcriptio, coniecturis & documentis adſequeretur, alios Carauſii numos conſuluit, quorum undecim addit in tabula æri inciſa, eosque accuratius, ut aſſerit, & melius, repræſentat, quam in hiſtoria Carauſii *Genevrieri* fuerant exſculpti. Huius Auctor numos ipſos nunquam inſpexerat: noſter autem omnes ipſe poſſidet, unico excepto, qui capita iugata refert Carauſii, & ſolis. Reliqui numi vel ſolem oſtendunt, vel ſororem eius, Dianam, vel denique cervum Dianæ. In quibusdam inſcriptio eſt: ORIENS AUG. Caput Oriunæ in illo, de quo nunc præcipue agitur, numo, corona laurea ambit, vel

vel diadema: collum autem uniones ornant. Manu flagellum gerere videtur, vel potius ramulum, & in tergo pharetram, vel laurum, vel facem. Tota imago coronæ inclusa cernitur, forsan laureæ. Ex his omnibus Auctor dissertationis coniecturas format, *Oriunam* significare solem, seu Mithram, sub forma feminina, & compositum esse vocabulum ex *Oriens* & *una*, ut *Diana* ex *die* & *Iana*, hoc est, luna; vel etiam, ab *Orione* derivandam esse hanc vocem, & accusativum esse, pro *Oriona*, vel nominativum ipsius *Orionis*, sub forma feminina; vel vocem *Oriuna* pro voce *Oriens* ab imperito artifice sculptam esse; vel denique *Orienam*, seu *oriunam* cognomen fuisse Dianæ, sive Lunæ. Certe imago, Deam quandam repræsentat, nempe Dianam, vel etiam Palladem, quod ea tota corona, tanquam divinitatis symbolo, circumscripta cernitur. Quæ notanda forent circa hanc dissertationem, occasione alterius dissertationis, a *Car. Clarkio* conscriptæ, cum lectore mox communicabimus. In fine Noster, omnibus, qui numos ad Carausium pertinentes possident, alios eiusdem, vel alius imperatoris pro iis offert, si commutare velint: suam enim, quod Carausium spectat, collectionem integram optat.

SOME CONIECTURES, &c.

hoc est,

CONIECTURÆ QUÆDAM, ANTIQUUM numum spectantes, qui Elthami in Cantio fuit repertus, Autore CAR. CLARKE, Collegii Baleolensis Oxon. Socio.

Londini, 1751, 4 mai.
Plag. 5. cum fig. numi æri incisa.

Doctissimus Auctor, qui iam de numis Hebræis, Samaritanis, Græcis, & Romanis, opus prelo commisit, de suæ

etiam patriæ numo antiquissimo sermonem nunc instituit, vel potius occasionem inde sumit, latius in doctrinam de re numaria evagandi. Maxima enim dissertationis pars, in genere de historia & usu rei numariæ exponit, in primis, quantum ad Britanniam spectat; quæ tamen omnia non adeo ignota sunt, ut hic repetenda fuerint. Numus, quem Noster interpretatur, in aversa facie lunam & stellam, vel solem, ostendit, in quatuor areis sibi invicem oppositis. Altera facies crucem ostentat, qualem Galli *gringolée* vocant: sed num hic aliquid significet, aut quid sibi velit, Noster non audet definire. Ad *Richardum I.* referendus erit hic numus; ille enim rex stella & luna in sigillis usus est, & non statim post obitum patris regem se appellari voluit; quæ causa esse potest, cur nec imaginem numus referat, & inscriptioné careat. Pondus numi invenitur 15 grana cum dimidio, ut adeo sestertium Romanorum æquet, qui idem pondus habuit. Adulterato constat argento, quale tunc temporis, propter Iudæos & Flandros, in usu plerumque fuit. Raritas huius numi vel a peregrinatione sacra petenda erit, quam suscepit Richardus I. & quæ magnam argenti vim ad exteros transtulit; vel causa eius rei esse potest, quod hæc Richardi moneta non in Anglia cusa fuit, sed in alio regno, ut illis temporibus sæpius factum esse reperimus. In appendice, anonymi de *Oriuna* dissertationem sub censuram Auctor vocat, paulo acerbiorem. Ex numi cuiusdam inscriptione: CARAVSIVS ET AVGVSTA SVA, ostendit, Carausium uxorem habuisse: concedit tamen, numum, de quo hic agitur, de uxore Carausii non esse intelligendum. At pro ORIVNA legi vult FORTVNA, ut FAVSTINA in quodam numo pro AVSIINA. Symbola, quæ hic conspiciuntur, non quidem usitatissima sunt in imagine Fortunæ: at reperiuntur tamen, & hic forsan, ex Nostri sententia, peculiariter ad nobilem quandam feminam spectant, in cuius honorem cusus fuit hic numus, & quæ in re quadam ardua Carausium adiuvit, unde etiam *adiutrix* vocata esse potuit

in

in alio numo huic simili. Tantum de re dubia, quae forsan definiri nunquam poterit, donec alius numus, vel aliud monimentum, reperiatur, unde maius certiusque lumen accipere liceat.

DE ANTIQUA INSCRIPTIONE NUPER EFFOSSA in Melitae urbe notabili, dissertatio Comitis IO. ANTON. CIANTAR.

Anno 1749, 4. plag. 3, cum tribus figuris aeneis.

Explicatur in doctissima hac commentatione insigne antiquitatis monimentum, nostro aevo in Melitae urbe effossum, quod eo maiori attentione dignum nobis videtur, quo magis ex iis varia, de quibus adhuc inter eruditos disceptatum fuit, curatius nobis intelligere licet. Exhibet vero istud monimentum hanc, quamvis detritam ac mutilam, optimam tamen inscriptionem:

. . . . . IPI MEL. PRIMVS OMNI . . . . .
. . . . . ITITEM AEDEM MARMO . . . . .
. . . . . LLINIS CONSACRAVIT. ITEMP . . . . .
. . . . . RONAO COLVMNAS. IIII. ET PARA . . . . .
. . . . . ET PODIVM ET PAVIMENTV . . . . .
. . . . . CAVIT IN QVOD OPVS VNIVE . . . . .
. . . . . LITATIE SVA HS CX DCCXCII SQ . . . . .
. . . . . ELITENSIVM DESIDERIVM O
RIS CONLATIONE D. D.

Monet vero, si interpretationem ipsam marmoris respicimus, illustrissimus auctor, verba IPI legenda esse *municipii:* IT in linea secunda: *fecit* vel *dedit*, seu: *posuit:* LLINIS in linea tertia: *Apollinis:* PARA *parascenium:* PAVIMENTV . . . . CAVIT pavimentum aedificavit: IN QVOD OPVS VNI-

VE

VE . . . . LITATE seqq. *in quod opus universum ex liberalitate sua dedit sestertios nummos centum denos mille septingentos nonaginta duos.* Addit, verba in linea septima s. q senatum fortasse Melitensium exprimere, ea vero, que αμέσως sequantur, sic esse interpretanda: *ob Melitensium desiderium ob merita eius aris collatione dedit, dicavit.* Vocabulum detritum in prima linea: OMNI, & alterum, quod in quarta habetur: RONAO, non audet explicare, etsi fuerunt, qui hoc posterius *Andronao* legendum esse vellent, quoniam apud *Vitruvium* occurrat *andrun,* quod *locum virorum angustum* significet.

Res utut sit, ex ipso hoc marmore multa, & disci egregie, & disputari solide possunt. Videmus ex eo, Melitam municipium fuisse, quod ex nullo lapide tam clare, quam ex hoc, potest demonstrari; quod reliqua, quæ adhuc ea de re adducta sunt, & quorum ibidem illlustrissimus Auctor meminit, municipii potius Gaulitani, quam Melitensis, memoriam servant. Discimus porro, Melitensium magistratum, PRIMI, seu ΠΡΩΤΟΥ titulum gessisse, vocabulumque τȣ̃ πρώτȣ apud *Lucam Act.* XXVIII. 7. esse nomen dignitatis & muneris, non vero, ut nonnulli volunt, excellentiæ seu eminentiæ privatæ inter cives, propter opes aut facultates. Colligimus deinde ex hoc lapide, inter Melitensium numina etiam Apollinem, & quidem sine dubio Pythium, quod is Pœnorum, Melitæ insulæ colonorum, numen fuit, fuisse: Melitenses eo tempore, more Romano, ædes sacras, solenni ritu consecrasse, templaque sua columnis exornasse. Probare denique ex eodem nobilissimo saxo possumus, Melitenses, quod hic parascenii & podii mentio fit, theatrum habuisse.

Hæc omnia, aliaque, illustrissimo auctori amplissimam occasionem præbent, de variis antiquitatis eruditæ capitibus, pro more suo, id est, solide & docte disputandi. Eo vero præcipue referenda esse ducimus, quæ de municipio Melitensi: de
Pag. 5. titulo τȣ̃ πρώτου: de municipiis Romanis, eorumque diversa
7. conditione: de Apolline, inprimis de Apolline Pythio, eiusque

que in Africa cultu; de consecrationibus templorum apud Pag. 9.
veteres Romanos: de columnarum pro numinum differentia, 11.
in templis statutarum, diversitate, pro qua, aliis diis Ionicum, aliis Doricum, aliis Corinthiacum, genus, proprium quasi & consecratum erat: de parasceniis & podiis in theatris vete- 14.
rum: de discrimine, quod olim inter pavimentum & musi- 16.
vum fuit: de sestertiis veterum, eorumque conditione, di- 20.
versitate, valore, ac pretio, ex antiquis monimentis eleganter est commentatus.

PAULI MARIÆ PACIAUDI, CLER. REG. PRESbyteri, de rebus Sebastiani Pauli, Congregationis matris Dei, Commentarius epistolaris, ad SCIPIONEM MAFFEIUM.

Neapoli, 1751, 4, excudebat Novellus de Bonis. plag. 13.

Cum ex *Sebastiani Pauli*, hominis, sibi, & vetere necessitudine, & studiorum communione, coniunctissimi, morte, opinione omnium maiorem animo cepisset dolorem clarissimus epistolæ huius Auctor: ad Scipionem Maffeium, Marchionem, non generis magis splendore, quam doctrinæ gloria, illustrem, de vita eius perscribere constituit; ut, quoniam communi causa angebantur animo, eodem quoque solatio ambo levarentur. Ille vero *Lucæ*, quæ est Tusciæ annonariæ urbs inprimis nobilis, ortus, egregiamque nactus indolem, Deo se, florente adhuc ætate, in religiosam servitutem devovisse, ac Clericis Regularibus nomen dedisse, perhibetur. Legendis quotidie scriptoribus Latinis probabilibus, orationis emendatæ, perpolitæ, plenæ ac teretis facultatem consecutus esse; neque tamen nihil temporis etiam scriptoribus Græcis tribuisse, dicitur. Quorum linguam, etsi per se, sine cuiusquam institutione, arripuit: tanti tamen eam fecit, ut auditorum animis

frequenter inculcaret illud Erasmi: *Nullis in litteris nos esse aliquid, sine Graecitate.* In philosophia traditur Platonis disciplinam secutus esse; ita tamen, ut nec physicorum inventa accecurate meditari praetermitteret: cui rei testimonio sunt, in Miscellaneis Venetis, enarratio, qua poemation I. B. Richerii, continens planetarium Newtoni *σύστημα*, interpretando explanavit; & ad calcem libelli Valisnerii, de *origine fontium* epistola, qua illius viri sententiam confirmat. Praeterea etiam attigit poeticen, ac, perlectis melioribus omnis aevi poetis, poeticen Muratorii, adiecta praefatione, formis litterariis excudi curavit; veterum ecclesiae doctorum, Graecorum maxime, poeseos studium, uno libro complexus est, Maffeiique tragoediam, Meropen, observationibus suis illustravit, tandemque ingenii laude iam clarus, Arcadum aliorumque collegiis adscriptus est. Quo facto ad sanctiorem disciplinam mentem appulit, in eaque brevi tantos fecit progressus, ut ritus quosdam peculiares ecclesiae Neritonensis eleganti libro expenderet; eruditam *prolepsin* de adorati a Christianis asinini capitis calumnia conscriberet; de ecclesia Lucensi, ad patres concilii Lateranensis, sub Benedicto XIII. ageret; de ratione ieiunii in feriis esurialibus iudicium suum interponeret; *patinam argenteam Forocorneliensem* describeret; aliaque multa perficere animo meditaretur. Quoties in litterata marmora incidebat, constitisse, & in pugillaria ea retulisse dicitur. Numos etiam, signa, & anaglypha, considerate contemplatus est, cuius rei in testimonium, additiones eius ad *Beverinum de ponderibus & mensuris;* & *mantissa de numis Byzantinorum;* item *commentarius in numum Valentis;* *disquisitio de nomine divi apud antiquos;* *iudicium de tribus MStis graecis*, citantur. Neque tamen aevi medii omnis generis acta & diplomata neglexit, sed ex tabulariis, duo illa spissa volumina, *Codice diplomatico del sagro militar ordine Gerosolimitano*, evulgavit. Quo libro consecutus est illud, ut non solum universae ordinis illius historiae conscribendae cura eidem demandaretur; sed Carolus etiam VI. Aug. Rom. Imperator, regni Neapolitani

tani hiſtoriographum, diplomate honorifico eundem conſtitueret. Quantam hiſtoriæ literariæ notitiam habuerit, tum appariturum eſſe Auctor credit, ubi *Bibliotheca degli Scrittori Geroſolimitani* prodierit in publicum. His ſtudiis deditus, exquiſitam ſibi bibliothecam in ædibus S. Brigittæ Neap. inſtruxit; neque minus elegans eidem muſeum adiunxit. More etiam ſummorum virorum, alebat commercium litterarium cum Orſio, Salvinio, Lazzarino, Manfredio, Fontaninio, Santinello, Valiſnerio, Garellio, Zeno, Caryophilo, L Valetta, Blanchinio, Muratorio, Ægyptio. Ipſe Benedictus XIIII, cum Bononiæ degeret, iucunda eius conſuetudine perfruebatur. Imo impetravit denique ab amicis nonnullis, ut ædes ipſius, ſtatis diebus, frequentarent, & tempus eruditis disputationibus impenderent. Morum formam, χαρακτῆρα Græci dicunt, talem ei tribuit auctor, ut omnium amore, ſuo merito, dignus habeatur. Redux Vindobona Neapolin, valetudine ſæpe numero incommoda fuit, tandemque in mortiferam λευκοφλεγματίαν incidit, qua annos natus LXVI. menſes VII. dies XVI, diem ſupremum obiit. Curavit numum æri incidendum auctor, qui Pauli imaginem vultumque exhiberet, cuius typum huic commentationi præmiſit. Extrema etiam pagina, indicem operum, ab eodem editorum, ſubiicit, quorum ſunt numero XXXII. quæ hic repetere non licet. Hoc affirmare non dubitamus, ad felicitatem Pauli pertinere, laudatorem habuiſſe tam facundum atque elegantem. Pag. 9. 10.

TYPOGRAPHICAL ANTIQUITIES, &c.

id eſt,

ANTIQUITATES TYPOGRAPHICÆ, SEU Hiſtoria typographiæ Anglicæ, & antiquorum Angliæ typographorum. Catalogus librorum ab iisdem impreſſorum inde ab anno 1471. usque ad annum 1600. Appen-

dix de statu typographiæ in Scotia & Hibernia, qualis iisdem annis fuit. Auctore IOSEPHO AMESIO, *Regiæ Societatis Scientiarum Socio, & Secretario Societatis antiquitatum.*

Londini, 1749, 4.
Alph. 3. plag. 9. cum figg. ær.

Artium origines plerumque dubiæ sunt & obscuræ, nec punctum illud, quo cœperunt, facile deprehenditur ab iis, qui aliquibus seculis post inventas tales artes animum ad conscribendam earum historiam appellunt. Idem fatum typographicam artem mansit; & non minus acriter de eius in suam patriam introductione Angli inter se certarunt, quam de prima eiusdem inventione inter Germanos & Batavos fuit disceptatum. Plerique primam *Oxoniæ* typographiam fuisse contendunt, & *Caxtonum* iam A. C. 1461. suam eo artem attulisse probare satagunt. Recentiores, ubi rem curatius examinarunt, & in loco & in tempore erratum fuisse odorati sunt, partim etiam argumentis non contemnendis idem probatum dederunt. Hos inter referendi sunt *Conyers Middleton*, in *dissertatione de origine typographiæ in Anglia*, 1735 in lucem edita, & Anglico sermone conscripta; *Ioannes Lewisius*, in quibusdam ea de re sparsim editis scriptis; & noster *Amesius*. Ad priorem classem pertinent *Richardus Atkinsius*, in *origine & progressu artis typographicæ*, quem librum 1664. edidit; *Iosephus Moxon* in *exercitationibus typographicis*, 1683. editis; *Samuel Palmerius*, in *historia typographiæ*, 1733. in lucem evulgata. Quam *Antonius Wood*, in notissimis eius *Athenis Oxoniensibus* sententiam foverit, satis constat. Quæ autem *Ioannes Bagford* ea de re senserit, nobis non liquet, cum eius scripta, quantum scimus, nondum edita sint. Allegantur hi Auctores a nostro: sed raro, & litibus eorum ipse vix unquam se immiscet. Ea scilicet esse indoles *Amesii* videtur, ut a disceptionibus abhorreat. Suam potius industriam ita lectori probare studet, ut nihil afferat, nisi quod ipse vidit, aut e certis rerum monimentis hausit. Eum

in

in finem, non modo ipse sibi non contemnendam copiam vetustissimorum & rarissimorum librorum comparavit: sed bibliothecas etiam, & publicas & privatas, magno studio perquisivit, tum quoque doctorum virorum ope & auxilio adiutus fuit. Ordo, quem mente concepit, & quem tenuit, est partim geographicus partim chronologicus. Primum Angliae, tum Scotiae, tandem Hiberniae historiam typographicam proponit. In Anglia ordinem primo civitatum servat, & ultimo loco generalem, quam vocat, typographiae historiam addit. In hac partim illos libros recenset, qui ab Anglis extra Angliam impressi sunt, partim spicilegium inserit eorum tum operum, tum documentorum, quae in prioribus omissa fuerant. Ubique, & typographos, & libros ab ipsis impressos, secundum seriem annorum collocat: tum illos libros, ubi annus impressionis non constat, in fine ponit. Initium ubique facit vita typographi, quantum de ea constare potuit: tum libri sequuntur, quos impressit. Adduntur privilegia typographis concessa, si quae reperiri potuerunt, nonnunquam etiam icones, symbola, emblemata, aeri incisa. Signa praecipua variorum typographorum in fronte libri conspiciuntur; alia, cum iconibus, & speciminе typorum, ipsi textui sunt inserta, vel peculiaribus tabulis incisa. Librorum vetustissimorum initium & finem apponit Noster, ut ii, qui hos libros possident mutilatos, eos complere queant; quod consilium magnopere laudamus. Diligentiam ubique adhibet summam, & notas hinc inde addit, ne catalogum tantum librorum edere videatur. Complectitur autem hoc opus libros in Britannia impressos inde ab anno 1474. usque ad annum 1600. Nec negari potest, compilationes annalium typographicorum multis in locis inde augeri posse, aut emendari. Liceat & nobis inde quaedam excerpere, quae alibi non facile invenias, & quae tamen notari merentur. Typographorum enim catalogum heic inserere, vix operae pretium fore putamus. Id solum monemus, vitam primi in *Anglia* typographi, *Guilielmi Caxtoni*, a *IoanneLewisio*, A. C. 1713. esse evulgatam. Primus, quem *Caxtonus* impressit *Colonia* A. C. 1471 liber, fuit *historia Troiana*, ex Gallico *Radulphi Fabri*, ab ipso *Caxtono* in Pag. 1.

Pag. 5. Anglicum sermonem translata. Anno C. 1474 primum in *Anglia* librum prelo subiecit, de *ludo scacchorum.* Obiter notamus, Nostrum affirmare, anno demum 1457. artem typographicam fuisse inventam. Prius autem hoc factum fuisse, ex nostris Auctoribus satis constat. *Caxtonus* ipse Anglus fuit: illi autem, qui proxime ab ipso secuti sunt, ex Germania aut Belgio in Angliam venerunt, partim etiam *Caxtono* in Germania socii fuerunt. In

79. his inprimis notandus venit *Wynandus* (*Wynken*, vel *Wynkyn*) *de*

69. *Worde.* Hic primus in Anglia typis Arabicis, Hebraicis, & Chaldaicis usus est, cum A. C. 1524 *Roberti Wakefeldi* librum imprimeret, cui titulus: *de laudibus & utilitate trium linguarum, Arabicæ, Chaldaicæ, & Hebraicæ, atque idiomatibus Hebraicis, quæ*

113. *in utroque testamento inveniuntur.* In *novis statutis a Richardo Pinsono*, A. C. 1497. impressis, reperitur declaratio Richardi II, Urbanum VI verum & indubitatum esse Papam, quæ postea, in aliis editionibus, omissa, & hinc supposititia, aut nunquam edi-

116. ta putata fuit. Idem *Pinson* impressit *missale ad usum insignis & preclare ecclesie sacrum*, ex quo libro desponsationum formulas tunc usitatas Noster adducit, quales etiam postea, p. 136. & 213, ex aliis missalibus affert. In *sermone* quodam *Fratris Hieronymi de Ferraria*, quem idem *Pinsonus* A. C. 1509 prelo subiecit, primos impressos diphthongos notavit Noster: primam autem *Romano*, seu *albo charactere*, impressam vidit orationem *Richardi Pacei*, A. C. 1518. a *Pinsono* excusam. Ex libro, *con-*

122. *suetudines Londinenses* dicto, & A. C. 1521. a *Pinsono* divulgato,

123. notat Auctor, regis tunc patrimonium (livelyhood) 5000 libras per annum: expensas autem domesticas 24000, fuisse.

142. Apponit nomina vicecomitum (*Sherifs*) in Anglia, ex *Tabula libri Assisarum & placitorum coronæ* a *Ioanne Rastello* impressa.

143. Idem *Rastellus* primam *Statutorum* Anglica lingua epitomen

147. edidit, ex qua præfatio typographi hic apponitur. De monetæ in Anglia variatione, ex libro, cui titulus: *oblectamentum populi*, quem idem *Rastellus* impressit, notatu digna adducuntur.

224. *Raynaldus Wolff* primus fuit, qui regia auctoritate, Latinis, Græcis, Hebraicisque typis usus est. Librum, qui inscribitur: χρισιανισμοῦ σοιχείωσις, εἰς τὴν τῶν παίδων ὠφέλειαν ἑλληνισὶ

καὶ

καὶ λατινιςὶ ἐκτεθεῖσα, & quem *Ioannes Day*, A. C. 1578, impressit, æqualem esse *Stephanorum* editionibus pronuniat Noster. *Thomas Gibson*, typographus, primas in N. Test. Pag. 186.
concordantias composuit A. C. 1535: *Ioannes Merbeck* autem in universa Biblia. Has *Richardus Grafton* impressit, qui 199.
& *Alcoranum Franciscanorum* prelo commisit. Formulæ in 212.
baptismo usitatæ, ex *manuali ad usum percelebris ecclesiæ Sarisburiensis*, per *Ioannum Waylandum* impresso, allegantur.
Ex epistola quadam *Ioannis Elders* ad *Robertum Stuardum*, 213.
episcopum Cathaniensem, forma corporis *Philippi*, Hispaniarum-regis, fuse & curiose describitur, & de unione Anglicanæ ecclesiæ cum Romano-catholica differitur. Primum pre- 219.
lum versatile adhibitum fuit ad librum Anglicum, cui titulus: *Nativitas hominum*, alias: *liber mulierum*, quem impressit A. C. 1540. *Thomas Raynaldus*. *Guilielmi Seres*, ty- 247.
pographi, ætate, librarii, privilegia typographis concessa ipsis extorquere cupientes, nihil effecere. Liber, cui titulus: *An-* 314.
glorum prælia &c. Auctore *Christophoro Oclando*, in omnibus scholis legi & exponi iubetur. Liber ille atheus *Iordani Bruni: Spaccio della bestia trionfante*, a *Thoma Vautrol-* 356.
lier, A. C. 1540. impressus, 28 libris postea venditus fuit. *Oxoniensis* quidem Academia satis cito typographos 437.
accepit: sed anno iam 1468, quod plures volunt, *Hieronymi expositionem in symbolum apostolorum* ibidem fuisse impressam, a Nostro recte exploditur. Miramur, *Palmerii* eum ne verbulo quidem meminisse, qui pag. 128. & 132. suæ *Historiæ* omnes nervos intendit, ut *Caxtono* hunc librum vindicaret, & nova, ut id probaret, argumenta ex chronico quodam vetere, & MStis, produceret. Sed nec chronicon illud, quod ipse fatetur *Palmerius*, fidem meretur, nec cetera id argumenta evincere possunt, & iam *Middletonus*, *Lewisiusque*, odorati sunt, in numero anni ab impressore fuisse erratum, & legendum esse 1478 non 1468; quod eo magis nobis arridet, quo plura exempla extant, annum impressionis falso fuisse indicatum. *Caxtonum* illum librum non impressisse, ex forma typorum probat Noster. Primus 455.
Can-

Cantabrigiæ, impressus liber 1478 fuit, *Fratris Laurencii Guilelmi de Saona, ordinis minorum, sacre theologie doctoris, noua*
Pag. 463. *rhetorica.* Idem primus fuit liber in *fano S. Albani* impressus.
464. De *chronico S. Albani*, seu *fructu temporis*, fusior notitia le-
467. ctori suppeditatur. *Eboraci* primus, quem vidit Noster, per *Hugonem Goës* impressus fuit liber A. C. 1509; *Pica*, siue
468. *directorium Sacerdotum. Tauistokiæ* A. C. 1525. impressa fuit translatio Anglica *Boëtii de consolatione philosophiæ, per Thomam Rychardum*, monachum, quem Noster pro illo typo-
470. grapho habet, qui postea Parisiis inclaruit. *Sud-verca Petrus Treueris*, A. C. 1514, impressit *Catonis disticha*, & po-
474. stea plures alios libros. *Cantuariæ* primus, nempe *Psalmorum*, liber impressus fuit A. C. 1550. per *Ioannem Mychell.*
475. *Ipswici*, seu *Gypswichi, Ioannes Oswen* primus, A. C. 1548 typographiam exercuit. Idem postea *Vigorinæ* (*Worcester*)
477. A. C. 1549. *Wallienses*, vel *Cambrienses*, varii allegantur
479. typographi, sine anno. *Grenovici* unus liber A. C. 1554.
480. impressus fuit, quem tamen pro suppositítio habere Noster
481. videtur. *Nordovici Antonius de Solmpre* primus, quantum
482. constat, libros impressit: *Moulseiæ* autem *Martinus Marpre-*
490. *late.* In *historia typographiæ generali* differitur de *Ioannis Wiclefi* dialogis, libro rarissimo; item de prima N. T. An-
499. glici per *Thomam Tyndallium* facta editione. De alia N. T. translatione Anglica, cuius auctorem nescit Noster, multa
502. specimina proferuntur. De librariorum in Anglia privilegiis,
521. antiquitate & numero, pluribus exponit *Amesius.* Privilegia, quæ typographis sunt concessa, plura, quædam etiam notatu digna, partim ex *Rymero*, partim ex aliis MStis etiam,
573. inferuntur. In *Scotia* primus, qui reperitur, liber est *Brevia-*
596. *rium Aberdoniensis ecclesiæ*, A. C. 1509. impressum. In *Hibernia, Dublini*, prelum primus exercuit *liber precum*, A. C.
597. 1551, in officina *Humphredi Boweli.* A. C. 1749. eleganter libros ibidem impressos fuisse a Nostro docemur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLIV.

Pars II.

Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ.

id eſt,

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCUM &c.
Opera & ſtudio IO. IAC. WETSTENII.

Tom. II.

Amſtelodami, ex officina Dommeriana, 1752, in fol. Alph. 10.

Exſpectaverunt haud dubie dudum Lectores noſtri narrationem de altero *Wetſteniani* Teſtamenti Tomo, & Excerpta libri, quem iam ſuperiori anno in lucem prodiiſſe conſtitit. Itaque non diutius eam expectationem morabimur. Continet autem hoc alterum Volumen primum Epiſtolas Paulinas, deinde Actus Apoſtolicos, cum Epiſtolis Canonicis, & Apocalypſi Ioannea: quo fere ordine exhibentur in libris ſcriptis, eumque ſibi *Wetſtenius* deferendum non putavit. Utrique Parti, tum vero etiam Apocalypſi, ſua præmiſſa ſunt Prolegomena, de libris ſcriptis, e quibus var. Lect. ductæ ſunt; de quibus primo loco dicendum.

Codices *Epiſtolarum Paulinarum* commemorantur primum *vetuſtiores*, *Alexandrinus*, *Vaticanus*, *Ephremi*, de quibus

 iam

iam dictum primo Tomo; præter hos *Claromontanus Bezæ*, *Sangermanensis*, *Augiensis*, *Francianus* sive *Bœrnerianus*, & *Fragmentum Coislinianum*. *Claromontanum*, qui Lugduno a Protestantibus expugnata, in manus militis Helveti, atque inde ad *Bezam*, post ad fratres *Puteanos*, & hinc in Bibliothecam regiam Parisinam venit, bis accurate contulit *Wetstenius*, descripsitque accuratius *Millio*, aliisque: unde discimus, falsum esse, quod putabatur, alteram esse hanc partem *Cantabrigiensis* Codicis, multa in eo manu correctoris esse mutata, totum autem multis locis ad Italam, quam vocant, versionem esse refictum. De *Sangermanensi* s. *Corbeiensi* Codice Græco-latino primum docemur, deesse Epistolæ prioris ad Timoth. c. quinque cum versiculis 15 sexti, & partem Epistolæ ad Ebræos a Cap. XII. v. 8, eum porro nec elegantiorem nec accuratiorem esse *Claromontano*, ut *Simonio* iactatum, sed vitiosum ἀπόγραφον ipsius; quod etiam agnovit *P. Sabatierius* in Admonitione prævia in Ep. Paull. Tom. III. Versionis Italæ. Id non modo patet e Lectionum mira similitudine, sed etiam ex eo, quod primum, quæ in *Claromontano* a Correctore sunt, ea *Sangermanensis* omnia, sed eadem cum ceteris manu scripta, habet; deinde, quod, cum Corrector *Claromontanus*, dum adscribit accentus spiritusque verbis omnibus, prætermissis solis iis, quæ corrigit, scriptor *Sangermanensis* hæc ipsa verba sola, sine accentuum spirituumque notis, scripsit. Unde fit, ut hi duo Codices, in variis Lectionibus ponderandis, pro uno haberi debeant. Codex *Augiensis*, nomen duxit ab monasterio, cuius olim fuit, e quo per varias manus, tandem ad *Miegium*, Heidelbergam, & hinc per *Wetstenios* bibliopolas 250. florenis Holl. emtus, *R. Bentleium*, collatus olim Heidelbergæ a *Wetstenio*, qui Græca innumeris in locis imperite ad latinam versionem, (est enim & ipse græcolatinus,) refícta reperit, id quod etiam inspicienti Lectiones eius apparebit. Huic Codici, prorsus, in levissimis etiam erroribus, convenit *Bœrnerianus*, adeo, ut etiam ea in utroque desiderentur, quæ per incuriam librarii in alterutro omissa erant, ut quæ inter vocem eandem bis in eadem pagina occurrentem scripta erant. Ex quo clarum est, primum, alterum alte-

alterius, ut *Wetstenio* placet, aut utrumque eiusdem vitiosi Codicis apographum esse: deinde, non indicasse *B. Bengelium* inepte, ut nupero possessori, τῷ μακαρίτῃ, amore κλήματος sui, ut fit, visum, cum eum codicem inter latinizantes retulit, id quod etiam inspectio lectionum inde excerptarum docere quemque potest. Huius Codicis collationem duplicem noster habuit, alteram a *I. Fr. Gronovio*, alteram ab A. *Bynaeo* factam, cum adhuc apud *P. Francium* esset. *Fragmentum* autem *Coislinianum* XIV fol. est e Codice editionis *Euthalianae*, collatoque cum Codicibus Caesareensibus, ut librarius notavit. *Codicum* his *iuniorum* sequitur deinceps notitia n. LX, e quibus nonnulli iam T. I. descripti. In ceteris agmen ducit *Basileensis*, e quo, ab *Erasmo* correcto, typothetae expresserunt textum Erasmianae ἐκδόσεως, non satis accurate descriptus *Millio*. Sed de his Codd. omnibus separatim dicere, nimis longum foret. Agmen MSS. claudunt tria *Lectionaria*, *Scaligeri*, de quo T. I. p. 63 dictum, *Cottonianum*, & *Bodlejanum*. In Codicibus *Actorum & Epistolarum Catholicarum*, praeter *Alexandrinum*, *Ephremi*, & *Cantabrigiensem*, iam ante descriptos, vetustior unus est, cuius quidem Lectiones excerptas habuerit *Wetstenius*, *Laudianus*, olim *Bedae*, totus editus ab *Hearnio* 1715. sed idem valde interpolatus, ut bene iudicavit *Millius*, ex Italica versione: iuniores plures: in his quidam in Prolegomenis superioribus nondum commemorati, itemque duo alia *Lectionaria*. In Actis usus est etiam *Theophylacti* Commentario in Acta ex edit. *Sifani*, eumque se dicit cum editione lectionis receptae diligenter contulisse. Desideravimus tamen C. I. v. 18. lectionem ἐλάκισε, quam *Sifanus*, in vetere Codice, (e quo scil. edebat *Theophylactum*,) repertam, inseruit textui. *Apocalypsin Ioanneam* in paucis codd. reperiri constat. *Complutenses* nonnisi unum Codicem habuere, ex quo istum librum ederent: *Erasmus* quoque uno tantum, eoque mutilo & lacero, Reuchliniano, usus est: *R. Stephanus* non nisi duobus. Editae post sunt, extremo seculo superiori, & nostro, Lectiones Cod. *Alexandrini*, duorum *Petavianorum*, sex *Britannicorum*, a *Millio* repertorum, & *Seideliani* per *Kusterum*. His iam alii accessere, in quibus dolet non potuisse poni Ex-

cerpta *Cod. Monachorum S. Basilii in Urbe*, cuius specimen exhibet *Blanchinus* in Evangeliar. p. DXXV, saeculoque VII. adscribit; allata illa tamen tandem Em. *Quirini* beneficio, & in calce adiecta. Sed hic illa pernecessaria est admonitio iis, qui Opere Wetsteniano uti, & consulere eius varias Lectiones subinde, non totum Opus excutere, vel velint, vel possint: non omnium Codicum, qui in his Prolegomenis nominati, descripti, numeratique sunt, Excerpta plena habuisse, aut inseruisse *Wetstenium*. Quidam tantum nomine & fama noti fuere, e quibus nihil omnino adfertur varietatis, in quo numero est, quod dolemus, Vaticanus, quem tamen ad 1 Ioh. V, 7. citari vidimus: e nonnullis tantum una & altera lectio, ab aliquo docto viro vel per literas, vel in libro quodam indicata, proditur, ut e libro *Arkeano* ad 1 Io. V, 6. ut e Codice Card. *Passionei* ad Actorum pauca loca, ad 1. Tim. I, 4. 1 Io. V, 6--8: quidam lacunas habent, aut particulam tantum alicuius libri continent, ut de quibusdam iam ante notatum. Et tamen his omnibus sui numeri adsignati. Quod nollemus factum. Nam qui tantum consulendi caussa super uno & altero loco inspiciunt varias lectiones, cum numeros quosdam deesse vident, putant, id, de quo agitur, vel non, vel aliter esse in Codicibus, quorum numeri praetermittuntur. Quod poterat caveri, si ii tantum libri numerati fuissent, quorum integra Excerpta suppetebant. Sed studiosi a nobis admoniti, ab illo errore sibi poterunt cavere. Omnino ratio illa numerandorum, & per numeros indicandorum Codd. non satis commoda est. Nam & sub pluribus & diversis numeris, idem Codex, in diversis libris citatur, & nimis saepe ad Prolegomena recurrendum, denique lapsus nimis facilis est in numeris & perturbatio.

De forma & ratione Operis, & quoad Crisin, & quoad Commentarium, dicere, nihil attinet, post ea, quae doctiss. Collega noster de prima Parte scripsit a 1752. m. Ian. Igitur alia agemus. Lectionem, quam in Batavis receptam vocant, hoc est, *Bezae*, in paucis, incertum a quo & quare mutatam, mutavit locis sane sat multis. Sed plerisque locis illa correctio recte & ordine facta, hoc est, lectio vel *Erasmi* vel *Ste-*

Stephani &c. restituta, in iisque fere consentit cum *Bengelio* τῷ μακαρίτῃ: ut hactenus nihil sit, quod quis valde queratur. In quibusdam, si vel maxime non omnibus probetur correctio, at nititur libris multis & bonis: sed nihil refert ad sensum & doctrinae Christianae summam, quo modo legamus, ut Rom. XV, 22. ubi verba addit, quae vulgo Cap. XVI. 24. leguntur. In locis quatuor nec placebit omnibus, nec placere iure potest: ut cum 1 Cor. X, 9. pro πειράζωμεν Χριςὸν, recipit Κύριον: (Secus est 2 Tim. II, 19.) Eph. I, 1. ἐν Λαοδικείᾳ pro ἐν Ἐφέσῳ: 1 Tim. III, 16. ὁ ἐφανερώθη, pro Θεὸς ἐφανερώθη: in quo praeclare refellitur a *Baumgartio* V. C. in Vindiciis vocis Θεὸς in h. l. m. Maio editis. Act. XX, 28 pro ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ reponens Κυρίου, in quo ei se opposuit nuper Collega noster, *I A. Ernesti*, in Specimine Castigationum in Wetstenianum hoc Opus, nominatim Acta Apostol. quibus addent illatum textui παραβολευσ: pro παραβουλ: Phil. II, 30. & sublatum e textu locum 1. Io. V, 7. Dicemus breviter de iis, quae nondum occupata sunt ab iis, quos diximus, Duumviris, quae dein alii latius edisserant.

Κύριον ergo 1 Cor. *X*, 9. reponit pro Χριςὸν, primum nixus Codd. quatuor, *Ephremi*, *Coveliano 3*, *Lincolniensi*, & *Petaviano* tertio, nunc *Vaticano*, non sane contemnendae auctoritatis: sed eorum testimonium tanto minus valere debet contra tot aliorum, vel paris, vel maioris auctoritatis, consensum, quo magis constat, in aliis quoque locis, Codices aliquot, etiam bonos, e Χριςὸν fecisse Κύριον, & contra. Exempla quisque ubivis reperiet ab ipso W. notata. Laudat porro Versiones *Armenam*, *Syrae posterioris* margineın, & *Copt. MSt.* hoc est, si accurate iudicare velimus, unam, eamque non magnae auctoritatis. Haec autem, quo iure ceteris omnibus praefertur? Ceteris porro locis, *Chrysostomi*, *Cassiodori*, *Sedulii*, *Damasceni*, & *Theodoreti*, longe graviores auctores opponimus P. P. alios Graecos, inprimisque Commentarios ad h. l. *Chrysostomi*, *Oecumenii*, *Theophyl. Hieronymi*, & quidem ex ipsius *Wetstenii* lege. Neque est, quod nimis confidat loco noto *Epiphanii* haer. 42, ubi Marcion dicitur e Κύριον fecisse Χριςὸν, dudum

 in

in suspicionem merito adducto a doctissimis hominibus: neque in talibus temere unius talis viri, criticæ artis parum curiosi, (vid: quæ mox de *Basilio* dicemus,) testimonio, contra libros, & peritiores interpretes standum est. *Epiphanio* opponitur inprimis *Irenæus*, qui refellens Marcionem, tamen Χριστὸν habet. Quid ad hoc noster? E contextu clarum esse, in *Irenæo* olim fuisse: *neque tentemus Dominum*: nam eo loco docere velle, unum eundemque Deum esse Iudæorum in V. & Christianorum in N. T. Sane. At hæc ratio bene procedit etiam in vulgata lectione. Ille Christus, quem nos cum offensione Iudæorum adoramus ut Deum, est ille ipse Iehova, quem tentarunt Israelitæ in desertis Arabiæ, est ille ipse, qui in rubo ardente locutus est cum Mose. Quod deinde aiunt, Marcionem ista corruptela nihil lucri facturum fuisse; id ille concedit, sed inde hoc modo apparere dicit, Marcionem non satis perite fecisse, qui non & sequentis commatis verba deleverit. Quod est admodum leve. Nam sic tamen manet, quod obiicitur, nullam ei mutandi huius verbi caussam fuisse.

Epistolam, quam vulgo Ephesiis scriptam putant docti viri, fuere, qui Laodicenis scriptam opinarentur, ut loco noto in *Coloss.* IV, 16. consulerent, nec necesse haberent fateri, Epistolam aliquam Pauli interiisse. Fuere porro, quibus in vers. 1, Cap. I. ἐν Ἐφέσῳ omittendum videretur, ut *Bengelius*. At eo nemo adhuc processit, ut pro ἐν Ἐφέσῳ, reponendum ἐν Λαοδικείᾳ putaret, atque adeo in textum inferret: quod noster facturus erat, si ei in textu recepto quicquam mutare licuisset. Videamus breviter, quid rei sit. Argumentis utitur sex. *Primum* est, ab noto *Basilii* c. *Eunom.* II. loco, qui in antiquis libris non esse ἐν Ἐφέσῳ tradit, cui testimonio multum tribuit *Bengelius*. At, ut non dicamus, si ita sit, non propterea ἐν Λαοδ. firmari: *Basilius* decipi se passus est, ut alii Patrum in talibus, imperiti artis Criticæ. Bonus orator, disputator etiam Dialecticus *Basilius*. Interpretis & Critici nullam partem assecutus est. Itaque ista eius traditio recte repudiatur a *Simonio* Hist. Crit. des Comm. du N. T. C. 7. p. 105. *Secundum* est, quod Paulus scribat ad ignotos, e c. I, 15. cum Ephesi diu ille versatus fuerit, Act. XIX.

XIX. Hoc si valere debebat, demonstrandum insuper erat, Paulum non potuisse ad Ephesios scribere ante suum ad Ephesinos adventum, de quo Act. XIIX. commemoratur, quem *Pearsonius* vigesimo anno a conversione Pauli adsignat, sicuti ad Romanos. Neque *tertio* consequens est, quia hæc Epistola eiusdem est argumenti cum Epistola ad Colossenses, propterea esse ad Laodicenos scriptam. Nam nec necesse est, ut propter similitudinem argumenti, Paulus voluerit Epistolas communicari inter se, & ad plures Ecclesias de eodem argumento scribere potuit, sicut eiusdem, qua caput rei, argumenti sunt, ad Romanos, ad Galatas. Cui autem maxime videtur confidere, *inprimis observari* iubens, *quarto*, Ephesinam Ecclesiam e Iudæis maxime constitisse, hanc autem Epistolam ad Gentiles pertinere: id dilutissimum est. Omnes Ecclesiæ, præsertim in Asia, constitere Iudæis & Gentilibus: nam omnium initium factum in synagogis, ut Acta Apost. planissime docent. Itaque Paulus, modo cum Iudæis, modo cum Gentilibus, loquitur, in eadem epistola, & tacite subinde ab his ad illos, ab illis ad hos transit; quod vulgo non animadversum, sæpe turbas facit in interpretando. Neque denique quis facile movebitur similitudine, quam putat intercedere inter hanc epistolam, & eam, quam Christus iubet scribi ad Laodicenos Apoc. III, 17. certe non hactenus, ut contra omnes libros in textum recipiatur *ἐν Λαοδικείᾳ*. Quæ cum ita sint, haud dubie audacissimum facinus est *Wetstenii*, quod tam levibus de caussis, nullo omnino libro fultus, ista verba in textum, quantum in ipso fuit, intulit.

Minus audax est, quod pro *παραβουλευσάμενος* Phil. II, 30. reponit *παραβολευσάμενος*, adstipulantibus libris scriptis antiquis, *Alex. Clar. Sangerm. Augiens. Bærn.* & Vers. *Vulg. Syr.* utraque, *Aethiop. Arab.* viris praeterea eruditissimis, & acerrimi in hoc genere iudicii. Nec nobismet ipsis ea ratio displicet. Ceterum, de *Wetstenii* ipsius præceptis, nondum eo res deducta est, ut in textum liceat eam lectionem recipere. Codices illi, per ea, quæ supra dicta sunt, nonnisi pro tribus habendi sunt. Eos autem omnes, ipse, non falsus in hoc, e latina versione interpolatos iudi-

iudicat: (quo nomine ad 1 Io. V, 7. Codicem 34 repudiat,) e qua etiam in Syriacam, & ceteras versiones, quædam venisse suspicatur. Quid si hoc ipsum verbum inde fluxit? His igitur libris, tam incertæ fidei, hoc est latinæ versioni, quam ipse alias, ut mox videbimus, non libenter sequitur, contra omnes Græcos, non interpolatos, Commentariosque, hoc tribuendum erat, ut eorum lectio reciperetur in textum præ altera, quam omnes alii libri tuentur? Vox ipsa παραβουλεύσασθαι, sane non habet auctorem alium, qui quidem exstet, scriptorem, neque tamen propterea, cum *Scaligero, Alberto* V. C. aliisque, non Græcam pronunciaverimus. Est enim non abhorrens ab analogia. Nec impedit, quò minus, ut παραλογίσασθαι, *male ratiocinari*, sic παραβουλεύσασθαι, *male consulere*, i. e. negligere, dicatur. Nec in vitio poni debet semper, male consulere sibi, ut W. videtur. Nam profecto, qui vitæ periculum pro republica adeunt, male consulunt sibi, ut bene reipubl. consulant. Et si negligere suam salutem licet, quod alias fieri non debet, si publicæ consulere possis, id quod nemo dubitat, quidni & male consulere saluti tuæ, quod ab illo non re, sed verbis differt? Quodsi autem non dubitavit V. C. lectionem, quæ, si subtiliter rem exsequi velimus, prope sola latina versione nititur, in textum recipere: quidni saltem toleretur in textu dudum admissa lectio 1 Io. V, 7, quæ & ipsa, latinæ versionis testimonio, quanquam non ita consentientibus Codd. eius, se tuetur? Nam illud quidem haud dubie confecit, ut nondum prolatus sit Cod. MSt. Græcus, qui illa verba exhibeat, præter illum *Britannicum*, quem Erasmus vocat, noster *Montfortianum*, qui nunc *Dublini* servatur, sed quem cum eodem *Erasmo* ad Latinam versionem refictum putat. Sed satis de locis, ubi textum receptæ lectionis correxit.

In ceteris sæpe vulgatam lectionem, paucis tamen verbis, tuetur, admonens, ubi illi Codd. ADEFG, hoc est. *Alex.* & *Græco Latini* vetustiores, aliquid diversi habent, quod etiam probetur nonnullis, *consensum Græcorum librorum &c. esse sequendum*, aut alio quodam modo: sed plerumque nihil nisi lectiones varias cum suis auctoritatibus ponit, lectori iudi-

cium

cium relinquens, e præceptis artis Criticæ ferendum. In quo subinde aliter fecisse V. D. vellemus, cum esset idonea materia, aut saltem indicasse disputationes doctorum super talibus locis. Veluti notabilis est illa varietas Rom. V, 14 ubi in verbis ἐπὶ τὰς μὴ ἁμαρτήσαντας &c. olim Codd. Latt. non habebant negationem, volebatque *Hilarius*, Diaconus, Græcos libros ad latinos corrigi. Hic nihil fecit W. quam ut loca *Hilarii* aliorumque latinorum poneret. At quam facile erat, vel paucis refellere *Hilarii* rationem, vel *Simonii* ea de re bene scripta in Hist. Crit. indicare, quam etiam consentaneum; cum aliis in locis, ubi aliqua cupiditas sc. intercedebat, tam copiosus esset. Huius generis unum locum commemorasse satis habebimus. Famosa est controversia de loco *Rom IX. 5.* ὁ ὢν &c. utrum de Christo, an Deo Patre sit intelligendus. Longus est hic *Wetstenius*, ut doceat, non esse de Christo capiendum. Rationibus utitur his: Omnes veteres, & orthodoxos & hæreticos, magna confidentia appellationem τοῦ ἐπὶ πάντων θεοῦ soli Deo Patri vindicasse: itaque h. l. de Christo non intellexisse; 2) non esse credibile, Paulum obiter tantum titulum Christo daturum fuisse, quem aliis locis, ubi de gloria Christi ageret, non dederit; 3) semper Deo Patri tribui εἶναι ἐπὶ πάντων: ubi Christo idem tribuatur, adiungi mentionem Patris, a quo tantum illud acceperit; 4) Eph. II, 12 Gentiles dici fuisse sine Christo, & sine Deo, unde sequi, ut hic quoque ubi Iudæorum commoda enarrentur, duo lemmata esse debeant, alterum de Christo, alterum de Deo; 5) denique in sensu eo, quem Theologi vulgo velint, esse debere, e linguæ Græcæ rationibus, ὁ ὢν ὁ ἐπὶ πάντων Θεός. At *primum* satis constat ex *Hippolyto Epiphanio*, *Eusebio* &c. Noetianos, & ab his ortos Sabellianos, hunc locum de Christo accepisse, eumque ad defendendum errorem suum adhibuisse: unde licet colligere, veteribus eam rationem non ignotam aut inusitatam fuisse. Sed cum orthodoxi se expedire hic non possent, eo descenderunt, ut de Deo Patre solo dici contenderent τὸν ἐπὶ πάντων Θεόν: cuiusmodi quid iis & in aliis locis accidisse constat. Enimve-

ro noſtri Theologi, cum alieniſſimi ſint a Sabelliana hæreſi, tamen hunc locum de Chriſto explicant, & ſe ſatis expedire in iſta obiectione poſſunt. *Secunda* in ratione W. plane nihil conſequens eſt, nec ullo modo ea concluſio procedit. Si *Wetſtenio* non eſt credibile, at ſexcenti alii dicent, ſibi non incredibile videri. *Tertio*, quod aliis in locis Dei Patris mentio additur, cum Chriſtus ἐπὶ πάντων eſſe dicitur, id fit, quod ibi de Chriſto homine ſermo eſt, eoque exaltato a Deo. At hic de divina eius natura, ubi Dei Patris mentione non erat opus: *Ex quibus*, κατὰ σάρκα, *quoad homo eſt, Chriſtus, qui idem eſt Deus ſuper omnia.* Frigida ſane eſſet illa adiunctio κατὰ σάρκα, ſi non ſequeretur aliud, quod illi κατὰ σάρκα opponeretur. Sic Cap. I. cum dictus eſſet Chriſtus natus e genere Davidis κατὰ σάρκα, ſequitur aliud υἱὸς Θεοῦ κατὰ πν. ἁ. Itaque qui legit, ἐξ ὧν Χρ. τὸ κατὰ σάρκα, neceſſario aliquid deſiderat & expectat aliud. Atque id ipſum eſt ὁ ὢν &c. Neque *quarto* illud conſequens eſt, aut neceſſarium, ut quia Eph II. gentiles dicuntur eſſe χωρὶς Χριστοῦ, ἄθεοι, propterea & hic, in commodis Iudæorum, Chriſtum & Deum commemorari debuiſſe. Atque etiam de Deo Patre dictum ſatis in iſtis: ὧν ἡ υἱοθεσία, καὶ ἡ δόξα, και αἱ διαθῆκαι &c. quæ ſane omnia ad Deum pertinent, χωρὶς οὗ erant gentiles. Et ſi hoc loco voluiſſet de Deo P. dicere, dixiſſet, ut voluit Artemonius, ὧν ὁ ε. π. Θ. In *quinto* autem valde deſideramus Grammaticam ἀκρίβειαν, ut in Eraſmiana ratione, qui putabat vulgarem interpretationem deſiderare ὃς ὢν. Tenues Grammaticorum obſervationes ſæpe magnum uſum habent. Non ignorare debebat *Eraſmus*, articulum ὃς, quem verbum finitum deſiderat, & qui hic eſſe deberet, ſi ſequeretur ἐστὶ, ut Rom I, 25, mutari in præpoſitivum, ubi mutatur verbum finitum in participium; propterea, quod id imitatur naturam Nominis: atque eius rei exempla ſunt in omnibus Græcorum paginis. Sed in talia facile incidunt homines, cum laborant in opinione quadam ſua ſtabilienda, id quod multis doctiſſimorum hominum exemplis demonſtrare poſſemus, demonſtrabimusque alio forte loco.

loco. Similiter planum eſt, hic atriculum ὁ non modo non deſiderari, ſed plane locum non habere in orthodoxa interpretatione. An dicemus Græce: ὁ Κικέρων, ὃς ἦν ὁ ὕπατος? Nullo modo. Sed ſine articulo. Sed e N. T. exempla adponemus: quæ tria occurrunt, Io. X, 33. 34. 35. ὅτι σὺ ἄνθρωπος ὢν, ποιεῖς σεαυτὸν θεὸν &c. &c. Atque etiam is, quem ſupra memoravimus, *Erneſtus* V. C. in Præf. ad Ariſtophanis Nubes p. 38. docet, non dici Græce, τὸν θεὸν νομίζειν, ſed θεόν. Idem Ariſtoph. Nub. 365 ὁ ζεὺς ὑμῖν οὐ θεός ἐστιν, non ὁ θεός. Ceterum, quid ad hanc opinionem V. D. proſit locus Eph. IV, 5. non intelligimus. Illud autem non vident, quicunque in hoc loco argutantur, primum, doxologiam, quam fingunt, hic fore alieno loco, nec eius idoneam rationem afferri poſſe: deinde ſtructuram orationis poſtulare, ut ὁ ὢν ad proxime præcedens ſubſtantivum referatur. Nam ſic eſt ubique, etiam in δοξολογίαις, ut Rom. I, 25. Itaque, quicunque nondum occupatus præiudicio ad hunc locum venerit, eo referet, & de Chriſto accipiet. Quod ſi δοξολογίαν Dei P. addere voluiſſet Paulus, ratio loquendi tuliſſet, ut diceret, ὁ θεὸς ὁ ὢν ἐπὶ π. Sed ſatis de hoc loco.

Illud etiam de variarum Lectionum collectione monendum eſt, non ubivis ſatis diligentiæ & ἀκριβείας adhibitum eſſe, præſertim in Lectionibus Verſionum orientalium, ut notavit in Actis idem ille *Erneſtus* in libello ſupra commemorato: & in iisdem Actis, vel in Syriacæ Verſionis lectionibus, ſæpe peccatum eſſe, demonſtrandum ſuſcepiſſe cognovimus *I. D. Michaelem*, Gœttingenſem Profeſſorem, orientali literatura excellenter doctum. Lectionum omiſſarum etiam hæc exempla eſſe poſſunt. Ebr. I, 11 in lectione διαμένεις pro διαμενεῖς, omiſit laudare τοὺς ὁ. 2 Theſſ. I, 5. omiſit notare lectionem εἰς ἔνδειγμα apud *Syr. Theophyl.* &c. Tit. II, 4. in lectione οἰκουργοὺς debebat addere *Vulgatam*, quæ habet: *domus curam gerentes*, unde illa lectio nata. Nam Codd. citati, de ipſius ſententia, ſunt ad lat. verſ. correcti. Talia non pauca notavimus. Ut taceamus, ab ipſo quoque loca Patrum interdum nimis vage, interdum male laudari, ut bene monuere, & exem-

plis demonſtravere, Duumviri ſupra laudati. Itaque in talibus cauti erunt, qui uti locis ab ipſo prolatis volent.

Quod ad Commentarios attinet, non piget nos eius iudicii, quod de Prima Parte Vir doctus tulit. Nec ſatis ſe defendit *Wetſtenius* p. 880 & aliis locis. Neque tamen negamus, multa ibi bona eſſe, propter quæ cetera fortaſſe æquum fuerit condonare. Si eruditus & prudens lector acceſſerit, plurimum hinc commodi capere poterit. Nam primum præclara e Iudaicis ſcriptoribus excerpta reperiuntur; qua parte haud dubie ſuperiores omnes, etiam *Lightfootum* & *Schoettgenium*, primarios in hoc genere viros, ſuperavit; multa, eaque ſæpe egregia & utilia adferens, ubi illi nihil habent: quamquam & veſtigia quædam ſunt negligentiæ, ut cum p. 493 *Pirke Elieſer* laudatur, poſt *Ialkut Rubeni*, velut duo diverſi libri eſſent. Debebat eſſe *Pirke Elieſer* in *Ialkut Rubeni*. Sed talia peritos non impedient. Specimina quædam age adferamus: eſt enim hæc, noſtro iudicio, prope utiliſſima Commentariorum Pars, ſi quis modo recte uti poſſit. *Act. XIII, 48* ad verba *ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον*, ubi nihil habet diligentiſſimus *Schœttgenius*, affert loca bene multa Iudaicorum, in quibus homines dicuntur מוכנים vel מזומנים, *ordinati* ad *geennam*, vel *ad vitam æternam*. Ut, ſi non facit pœnitentiam, *ordinatus eſt ad iudicium geennæ*: quicunque non piger fuit ad planctum Rabbi, *ordinatus eſt ad vitam futuri ſeculi* &c. Item ad Rom. IX, 22. 23. e *Bechoroth*: R. Ioſeph. docuit: Hi ſunt Perſæ, qui *præparati & parati ſunt ad geennam*. Item e *Mechilta*: Rex dixit filiis ſuis: Filii, vos ambo *non præparati eſtis niſi ad gloriam meam*. Ex quibus planum eſt, (planius quam ex omnibus metaphyſicis diſtinctionibus & argutiis,) Iudæorum more, *ordinatos & præparatos* dici ad aliquid, quibus quid vel merito, vel culpa ſua accidit, nec quiquam reſpici ad aliquod decretum, præſertim abſolutum: nec illas formas eſſe e Latina aut vernacula conſuetudine interpretandas & urgendas nimis, ut *Auguſtinus* & alii, Ebraiſmi, omninoque interpretationis accuratæ rudes, fecere. Ad Act. VI, 1. ubi *ἑλληνισταὶ* commemorantur, quamquam alieno loco, utiliter

liter tamen, adfert Excerpta Rabbinica bene multa, e quibus apparet, Iudæos abhorruiſſe vehementer a literis & Philoſophia Græcorum. E quibus hæc ponemus: *Tempore Hyrcani & Ariſtobuli edixerunt, maledictum eſſe, qui doceret filios ſuos ſapientiam Græcorum — Maledictus ſit, qui alit porcos, & qui docet filium ſuum ſapientiam Græcorum.* Quæ congruunt iis, quæ Ioſephus de odio Iudæorum in eos, non qui utcunque Græce loqui poſſent, & hactenus Græce diſcerent, ſed qui exquiſitius litteras Græcas, & Philoſophiam Græcam. Unde intelligitur, quam parum credibile ſit, quod nonnulli volunt, Paullum, etſi Phariſæum, & ζηλωτὴν τῦ νόμυ, tamen Poetas græcos legiſſe, & philoſophiam græcam didiciſſe, hoc argumento, quod Tarſi natus fuerit, in ea urbe autem clariſſimi tum philoſophi docuerint, cum aliarum artium magiſtris. Quæ æque cohærent ac veroſimiliter concluduntur, ac ſi quis hodie, Iudæi filium haud dubie *Wolfium* & *Stibritium* V. V. C. C. audiſſe dicat, quia Halæ natus & educatus fuerit. His addenda loca egregia e *Philone* conquiſita, cum ad alios libros, tum ad Epiſt. ad Hæbreos, ut fere in promtu ſit, quidquid e *Philone* prodeſſe illuſtrandis vel verbis vel ſententiis poteſt. Similiterque in Græcis verbis illuſtratis multa ſunt bona collectanea, e quibus proficere licet iis, qui delectum facere, & ex illa farragine ſecernere ad interpretationem utilia poſſint, neque modo N. T. ſed etiam aliorum Græcorum ſcriptorum. Nam & illud notavimus, V. D. paſſim loca, quæ affert, obiter, nec male plerumque, corrigere, in parentheſi adpoſita correctione. Sic p. 372 b. in *Polyaeno*, p. 771. αὐϛῆς τὸ φιλάνθρωπον corr. φίλανδρον; pag. 380 a. in *Heſych.* ἀπφία, ἀδελφῆς ἢ ἀδελφῦ corr. ἀγαπητῆ ἢ ἀδελφῆ; p. 393. b. extr. in verbis *Libanii* Or. VIII p. 246. B. ἡγεῖται γὰρ ἄτοπον, εἰ τα πάντα μὲν γράμματα τοῖς ἄρξυσιν αὐτὸς ἐγχειρεῖ, ταῖς δ' αὐταῖς χερσὶν πληρώσει τὰ πρὸς τὺς θεὺς, poſt χερσὶν addendum putat ὐ; p. 398. a. in *Philon.* quis ſit hæres, p. 491, 18. pro ἵνα τὸν ἀδίδακτον ἐννοῆς θεὸν, τὸν ἄδεικτον legi vult; ſed hoc iam occupavit *Mangaeus*. In Ioſ. B. I. V, 5, 4. in verbis τῦ γὰρ ὐρανῦ τὸ ἀφανὲς, καὶ ἀδιάκλειϛον ἐνέφαινε, reſcri-

ſcribendum coniicit τὸ διαφανές. p. 38. in *Libanio* O. 26. p. 592. C. pro τὴν ἑτέρων ἀπορίαν, corrigit bene ἀπειρίαν &c. &c. Etiam in Geographicis collectaneis interdum reperitur, inter vulgaria multa, aliquid, quod proſit. Velut in Actis, ad nomen μύρα, eſt locus bonus ex Appiani Civilibus, unde refelli Grotiana ratio poſſit, reſcribi iubens λίμυρα. Sed ut diximus, non eſt cuiusvis, non tironum, non mediocriter doctorum, non eorum, qui in ſyſtematibus conſenuere, recte & fructuoſe hoc libro uti. In ea parte Commentarii, qua ipſe ſuam de locis difficilibus ſententiam exponit, pleraque nobis non admodum placuere: omninoque deſideravimus in his interpretationibus facilitatem illam & ſimplicitatem, qua maxime bonas interpretationes ipſosque interpretes iudicamus. Sed ab hac diſputatione nobis abſtinendum eſt, ne nimis longi ſimus. Reſtant enim alia, quæ prætermitti non debent. In quibus prima eſt Appendix, continens *animadverſiones & Cautiones ad Examen Var. Lect. N. T. neceſſaria*, numero XIX. Sperabamus, quædam nos hic addita, cetera accuratius definita & circumſcripta, reperturos: ſed nihil hic eſt, præter ea, quæ in prolegomenis, multis annis ante editis, prodita ſunt, quæ ad bene de lectionibus quibusque iudicandum, noſtra quidem ſententia, non ſufficiunt. Sed his acceſſit altera Diſputatio *de interpretatione N. Teſt.* in qua inſunt admonitiones ſeptem, bonæ pleræque. Sed quod boni ineſt, omnibus prope libris vulgaribus hermenevticis traditur, nec ullo modo ſatis eſt ad bene de interpretatione præcipiendum: ut vix intelligere poſſimus, quare hic legantur? Illud autem vix probandum, quod putat, loca, quæ inter ſe, aut veritati repugnare videantur, commode plerumque conciliari poſſe, ſi dicamus, ſcriptorem ſacrum non ſuam ubique ſententiam expreſſiſſe, & dixiſſe quid res ſit, ſed aliquando e ſententia aliorum, aut e vulgi opinione, vel incerta, vel falſa, fuiſſe locutum; quamquam vidimus, & alios ex hac ratione loca quædam interpretatos eſſe. Ex hac lege putat *acetum*, Chriſto morienti datum, a militibus per ludibrium appellatum *vinum Myrrhinum*: hinc conciliari loca, quibus *Dii gentium, idola & δαιμόνια nihil eſſe* dicantur,

eantur, & quibus *multi Dii & dæmonia seu Spiritus immundi* reperiantur: quorum illud non necessarium est; hoc, quo pertineat, quis non videt? Ex hac lege ergo fluxit mirabilis interpretatio πνεύματος τῦ ἀέρος, Eph. I. quod putat dictum e Pythagoreorum placito de spiritibus aeriis, quo multorum animi fuerint imbuti: cum pro sua scientia Græcarum literarum, & comparatione loci paralleli C. VI. potuisset scire, ἀέρα esse synonymum τῦ σκότυς, pro quo & *Homerus* & alii dixere. Huic disputatiunculæ subiecta sunt quædam, e MS. edita, *Castellionis* de interpretatione; quæ mallemus non esse edita. Pertinent autem maxime ad compositionem ἐναντιοφανῶν: quam ille proponit talem, quæ vix ulli placebit, quod ipse videtur præsensisse Castellio; adeo laborat in ea vel defendenda, vel excusanda. Separatim porro dixit *Wetstenius*, de *Interpretatione Apocalypseos*. Nova hic primum hypothesis proponitur, ceterorum somniis suavibus nihil cedens, cuius hæc summa est: Ioannem a Cap. IV. deinceps describere tum bellum Iudaicum, tum bellum civile in Italia, utrumque intra idem spatium trium annorum cum dimidio gestum; ita tamen, ut quæ cum illis connexa sunt, paulo altius repetat, subiungatque, quæ non diu post sunt consecuta. Hæc dein latius exsequitur; quæ apud ipsum legent, qui talibus pascuntur. Post hæc demonstrare suscipit, quis sit auctor interpretationis, quæ Anti-Christum de Pontifice Romano intelligi vult. Non esse docet a *B. Luthero* ac Protestantibus excogitatam, sed seculis aliquot ante prolatam, a Monachis *Franciscanis*, iis, qui *Spirituales* vocabantur, cum a *Ioanne XXII.* Pontifice, condemnati & vexati essent. Nam ea re irritatos, *Ludovico Bavaro* contra Pontificem adhæsisse, Sec. XIV & XV, cum excommunicatis a Pontiff. communicasse, & quæ de belluis & meretrice Babylonica in Apocalypsi dicuntur, ad Pontificem R. traxisse. Iam quemque videre, hos homines non esse idoneos Auctores, quos in interpretatione S. librorum sequamur: itaque *Vitringam* hoc animadvertentem, istam interpretationem Anti-Christi ad *Ioachimum* Abbatem referre maluisse, cuius tamen Commentarios se non legisse fatetur p. 1006. 1007. ceterum tamen

Pag. 889.

168.

men eundem affirmare p. 100 ↓. iam ante fratres illos *Spirituales* Sec. XIV, & *Ioachimum* e Sec. XIII, *Waldenses* sic existimasse & circa a. 1120 tractatum de Antichristo edidisse, qui dicta Apocalypseos, de meretrice Babylonica, ad Pontifices R. retulerit. Quod ad *Ioachimi* librum attinet, is editus est *Venetiis* 1527. sub titulo: *Expositio magni Prophetæ Abbatis Ioachimi in Apocalypsin*, & quidem cum privilegio *Clementis VII:* nec inest, quod Pontificem R. offendere possit.

Restat memorabilis Appendix Duarum Epistolarum *Clementis*, de quibus una cum libellis, qui de iis adversus *Wetstenium* proditi sunt, separatim dicetur.

IO. DANIELIS SCHOEPFLINI *Vindiciæ Celticæ.*

Argentorati, 1754, 4.
Plag. 20.

Origines quasdam Celtarum populi cum promisisset celeberrimus Schœpflin Alsatiæ illustratæ Tomo priore, eas hoc scripto præstat feliciter. Conturbate enim ac varie, de eis, vel primarios post humanitatem litteris restitutis excultam scriptores ait tradidisse, quod quidem ne non fieret, in re tam vetusta & obscura, raris de populo minus claro remotissimorum terrarum spaciis ingeniorum, nullis omnino domesticis litteris, caveri vix poterat, vel veterum exemplo. Quare recensu eorum accuratiore instituto, quæ de Celtarum populo, vel de Celtica, veterum scriptorum vel recentium consignata litteris invenerat, vocabulum ipsum Celtarum ad linguam eorum, qui Gallias postea dictas habitarunt, revocari opinatus posse, vetustissimos primo scriptores, ut Herodotum, ut Aristotelem, in Celtica describenda fugisse rationem, quod nos non putamus, putat. Namque tam potuit urbs clara olim intellegi, quam saltus ingens, Pyrene, neque is saltus modo hoc nomine veteribus erat, qui Hesperiam a Galliis dividit, quod unum pro explorato is, quem laudamus, ponit; verum etiam ad Lusi-

Lusitanos excurrens, & in Germaniæ fine, qua Vindelici colebant, veterum litteris Pyrenæus erat. Illis ipsis in terris, cum fons Istri sit, quid super urbis cognominis vocabulo egregiam scriptoris clarissimi sollicitamus fidem? Deinde, ubi nascitur ei triplex quæstio: Qui veteribus, aut proavorum ac nostra memoria, scriptoribus proditi Celtæ? quæ proprie Celtica? qui populi vocabulo Celtarum celebrati non sint, neque hodie putandi fuisse? plerosque veterum in suam sententiam pedibus ire, non promta semper eorum voluntate, sed ingeniosus orator, cogit. aliquos dissentire a se fatetur: ceterum errare. Nemo erit adeo iniquus, ut viro celeberrimo ne det lubens & concedat, quod contendit ille præsertim, qui Romanis & nobis hodie Galli, eos veteribus item proditos sæpe Celtas fuisse. Sed Gallias ideo solas Celticam illam veterum magnam intellectas fuisse, neque alium ullum populum, nisi Gallos, Celtico, id est, barbarorum ad occidentem, ut Græcorum sententia terras omnes dividebat, nomine comprehensos, nullo ingenii felicis tormento, si nos audit, effecturus est. Quod si tanti esset, si laudibus generis imputandum, maiores nostros, a Græculis eos parum cognitos, fuisse Celtas reputatos, hoc est, quicunque barbarorum neque Scytha esset, neque Aethiops: veremur sane, ne populi hodie multi, qui non sunt Galli, in communionem tam clari nominis sint venturi. Eam ob caussam quadrifariam dividit erroris ingeniorum recentium, quem castigat, speciem. Eorum primo, qui omnem prope Europam Celticam dicerent: deinde, qui multos populos Celtas: mox, qui nobilissimos duos, Germanos & Gallos: postremo, qui Germanos solos. Nos quidem in principio videremus, ne non in concordiam reduci sententiæ pleræque possint; specie ac verbo sæpe, non re, diversæ. Hoc enim fere unum disconvenit, e Germaniane magna Celtarum & Gallorum olim coloniæ, quas memorant communiter, an ex eis terris, quæ Galliæ postea vocatæ fuerunt, deductæ sint. Non tam id in quæstione est, quod putare hoc studio intellecto possis, dicendos eos populos Celtas fuisse, qui a veteribus hoc nomine appellantur. Deprecamur autem ab Ortelio

Cluverioque verborum vim & argumenti minus æquam: de reliquis aliquos res ac teftes expedient certi. Quod enim ille in tabulæ titulo *Europam five Celticam veterem* aufus eft prodere, quæ adiecit verba, *defcribere conabar*, facile defendunt, & enarratio eius tabulæ luculenta, quæ verbis exponit non aliam, nifi confentientem cum plerisque fcriptoribus, & fultam litteris veterum fententiam. Cluverius vero, qui egregie pugnat argumentis multis contra eam ipfam fententiam de Celtico nomine Gallis unis debito, quæ Bodini olim fententia fuerat, videtur iudicari non infpectis tabulis veris. Refponfurus ille fecundum exempla recognitionis alterius *Germaniæ antiquæ*, a. C.N. 1630 vulgatæ, cauffam dicere iubetur e libris operis illius, qui primum editi A. 1616, in quibus multa deinceps mutavit. Hoc quoque iniquius reprehenditur, quod ille, quæ fupra Iberiam fita Ariftoteli memoratur, eam Germaniam effe acceperit. Nam quæ veteres a fronte, vel a tergo effe, dextra, finiftra in orbe terrarum, in cœli plagis defignandis, tanquam augurali difciplina, vocarent, in hac urbe fermonibus & fcriptis non ineptiffimorum interpretum his fuperioribus annis meminimus exponi. Secundum eius doctrinæ rationes nunquam τὰς ὑπερ τῆς Ἰβηρίας Ariftoteles dixit Celtas, nifi qui non intra ipfam Hifpaniam, fed quicunque fupra eam, id eft, ad feptentriones Celtæ populi multi colerent. Supra, ad Aquilonem; infra, ad meridiem fita vocari, verfimillimum eft. Iam & Galli, & Germani quoque certe, feptentriones, ab Hifpania fi refpexeris, colunt.

Ceterum eximie pro fententia fua propugnans auctor celeberrimus, hoc niti præfertim poteft, quod Plutarchus Belgas ait τὴν τρίτην ἁπάσης τῆς κελτικῆς νεμομένας. Nifi Γαλατία ibi κελτικὴ intellegenda eft, & κελτογαλατία, id eft, fimpliciter ac tantum Gallia, nullo refpectu ad reliquos Celtas. Ut alia fit Celtica valens Galliam, & item alia Celtica, quæ intellegatur omnis ad occidentem Europæ totius ora Celtis habitata. At illam priorem vocabuli acceptionem, quæ adverfatur Illuftris Viri relationi, ut convenientem cum reliquis Plutarchi verbis, tuentur ibi, quantum videmus, aut coniectura

affe-

assecuti putamus, quicunque eum Latine aut Francogallice verterunt.

Sequitur iam testium utriusque litteraturæ, singulari cum diligentia peritiaque productorum, ingenti copia nubes quædam: quorum tamen aliqui, ut fit in re tam vetere, tam obscura, æque commodum videntur interrogari posse aduersus Nostrum, quam pro Illius non caussa, sed sententia & instituto. Ut verbi caussa Appianus, dum hæc verba ponit, *κελτοὶ, ὅσοι Γαλάται τε καὶ Γάλλοι προσαγορεύονται* ostendit igitur, etiam alios Celtas, præterquam quod Gallici nominis populos, dictos olim fuisse. Nam is alioqui Celtica historia Gallos & Germanos semper hoc uno Celtarum nomine miscet. Ut Cassius Dio, qua utramque Rheni ripam colere Celtas tradit. Igitur Germani quoque hinc Celtæ, ut inde Galli. Nam ibi barbararum gentium sedes certa & constans, non quidam sinus imperii Romanorum, edi videtur. Sic Suidas, *ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμόν*. Quid, quod Strabonis locus, quem non adhibuit inter testes causæ suæ locum Vir illustris, omnes prope Vindiciarum rationes evertit. Nam sic ille: *προσάρκτια μεν οὖν ἐστὶ τῷ Ἴστρῳ τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου καὶ τῆς κελτικῆς. ταῦτα δ' ἐστὶ τά τε Γαλατικὰ ἔθνη, καὶ τα Γερμανικά*. Nisi enim his verbis scriptor primarius, summaque peritia & fide, Gallorum vocabulo prorsus Germanos, & Celticæ verbo Germaniam ipsam magnam diceret, declararetque sic ea verba, quid terrarum aliud trans Rhenum, extraque fines Imperii, situm intellegeret? quo pacto tradere auderet, eos nobilissimos populos, qui nobis nunc versa ratione, & aliunde adspectantibus, Galli transrhenani audiunt, ad septentriones a Danubio profectis adiri? Ab occidente Danubium omnis, qua patet, Gallia Romanorum respicit. Nulla eius pars ad septentriones ab eo flumine tendenti pertinet. Omittamus iam Plutarchum, Pausaniam, aliosque, qui etiam magis expressa his ipsis, super ingenti Celticæ magnitudine per oras Germaniæ patente in litteras retulerunt. Latinis vero, præsertim Plinii Celticam definientis auctoritati, quid opponi possit, nos pror-

prorſus non videmus. In cuius loco altero, ſuper deſcriptione promontorii Celtici, quod & idem Artabrum, Pintiani potius ac Dalecampii, faventibus nobis, iudicium, quam librorum Plinii exempla prodita ſequitur; appellatque recognitionem Hackianam Gronovii, quæ non prorſus eſt Gronovii. In aliis item Latii veteris teſtibus citandis, non eſt diſſimulandum, eum ſubinde corruptis non optimorum librorum tabulis uti videri. Nam quod contendit, apud Livium legendum eſſe, *Alia manus Cenomanorum*, id planiſſime contra eſt. Omnes libri veteres conſenſu exhibent, *Manus Germanorum*, & recte. Iſta mutatio in *Cenomanorum*, contaminatio eſt Glareani & Sigonii, paucorumque Grammaticorum, temeraria, qui illos nempe duces, nihil per ſe exquirendo, neque, ut erat æquum, cunctando, ſecuti ſunt. Ea narrationis parte, Annali, ut dictum eſt, quinto T. Livius iam omiſerat Gallos reliquos, de quibusdam Germanis, anticipando vocabuli uſum, dicturus, qui Brixiam Veronamque tenuerint. Et hodie quoque quibusdam prope Veronam oris noſtri ſermo Theotiſcus durat. Ad ultimum eo redit Illuſtris Schœpflini omnis ratio. Quicunque populus Celtarum vocabulo olim dictus extra Gallias, Romanorum provincias, liquido celuiſſe tradatur, eum e Galliis coloniæ modo deductum aliquando fuiſſe. Id operoſe, litteris plurimis, feliciqueingenio, ut oſtendat, ſtudet. Quibus Vindiciis, ſi extundi efficique poteſt hoc, ut nemo noſtrorum cis Rhenum colentium a Græculis olim barbarus, nemo Celta, errore, ac fere generis & morum diverſorum ignoratione, communiter vocatus fuiſſe videatur, eo more, quo noſtri homines, quos ignorant, communiter Tattaros: Scythæ, qui & Turci, nos unis ſacris additos, communiter Francos appellitant: ei vero ſententiæ nos merito ac lubentes accedimus, eamque evincendi erroris laudem celeberrimo multorum prædicatione gratulamur ſcriptori.

ALOY-

ALOYSII ANT. VERNEII, EQ. TORQVATI, Archidiaconi Eborenſis, de Re Logica Lib. V. ad uſum Luſitanorum Adoleſcentium.

Romæ, apud Nic. & Marc. Palearinos, 1751, 8, Alph. 1 plag. 1.

EIUSDEM DE RE METAPHYSICA, Lib. IV.

Ibidem apud Generoſ. Salomonem, 1753, 8. Plag. 15.

Nullum librorum genus maiorem diligentiam deſiderat, quam quod iuventuti deſtinatur. Nam in iis, qui eruditis ſcribuntur, ſi quid vel rebus, vel verbis, omninoque forma diſciplinæ peccatum eſt, id innoxium facit lectorum ætas atque doctrina. At inventus fere talis fit, quales ſunt libri, quibus primum aliqua diſciplina imbuuntur. Itaque omni modo curandum eſt, ut libri huic ætati proponendi ſint, & rebus accurati, ne dediſcere cogatur poſtea, quæ temere arripuit, quod non adeo facile eſt, & verbis, totoque habitu, & forma, elegantes atque venuſti, ut mature ſenſu quodam elegantiæ imbuatur. Hoc præclare intelligens *Verneius*, Vir Ill. & Rev. elegantiſſimæque doctrinæ, inſtituit elementa Philoſophiæ proponere Iuventuti Luſitanæ, quibus recte, & ad intelligendi ſubtilitatem, & ad explicandi elegantiam, conformaretur. In quo ei res ita feliciter ceſſit, ut non habeamus inter recentiores huius generis ſcriptores, qui ei vel comparari poſſint, vel præferri. Sequitur philoſophandi rationem recentiorum ingenio excultam, nihil prætermittens, quod quisquam philoſophiæ recentioris conditor boni habeat; eiusque rationis & neceſſitatem, & utilitatem, præ vetere illa Ariſtotelico-Scholaſtica, demonſtrat. Tum vero genere ſcribendi utitur ſine κακοζηλία puro, & tota ſua forma, id quod caput rei eſt, elegante. Inprimis admirati ſumus lectionis copiam. Nam ne-

nemo est philosophorum recentiorum paulo clarior, cuius ille non scripta legerit, atque inde, quæ optima essent, delegerit, ut vix v. c. in ipsa Germania putemus esse, qui *Leibnitii*, *Thomasii* *Wolfii*, *Rudigeri*, &c. bona melius norit, aut quæ omnes bona habeant melius delecta coagmentarit. Quod ut plenius appareat, age earum partium, quæ ad manus nostras venere, summam breviter exponamus.

De *re Logica* Volumen in quinque Libros est tributum. Eorum *primus* historiam Logicæ persequitur, eiusque apud vetustissimos homines rationem, inter Græcos, Arabas, Christianos, fata, inter Scholasticos corruptelas, denique vel tentatam vel perfectam emendationem, explicat. In qua parte agnovimus, & æquitatem viri, & acumen, in iudicio de Dialecticis recentioribus ferendo. Eius generis duo exempla apponemus. Primum de *Andr. Rudigero*, alterum de *Chr. Wolfio.* „Negare non possumus, *Rudigerum* esse virum doctum, acu„tum, & qui multa utilia & nova in hoc libro (de sensu „V. & F.) exposuit, quæ alibi difficulter quæsiveris. Tamen, „si quid iudicare possumus, existimamus, eum tironibus parum „prodesse, doctis esse utilem, qui certa ab incertis valeant „separare. Nam illud novandi studium, & a trita via rece„dendi, quo *Rudigerus* agebatur, quin obscuram disputationem „ faciat, & hominem fundere ineptias cogat sæpissime, fieri „non potest: quod ipsum in *Rudigero* notamus.„

Idem est Viri Rev. de *Syrbio* & *Gundlingio* iudicium. „Hos sequitur, inquit, *Chr. Wolfius*, Germanus, magnum „nomen - - - Quod ad Logicam attinet, hæc in eo laudan„tur: 1) Nemo homo accuratiores vocabulorum definitiones „tradidit; 2) Nemo veritates acutis detexit; 3) Nemo clarius „demonstravit, & Methodo„quæ ad Mathematicam magis acce„dat. Reprehenditur autem his nominibus. 1) Artem in„veniendi a Logica separavit: Criticam perfectam non dedit; „2) minutissimarum rerum demonstrationes inutiliter conglu„tinavit; 3) exemplis, depromtis e gravioribus disciplinis, cogita„ta sua confirmat; quod tantum abest, ut illustret, ut res potius „obscuret; 4) ex nimio Algebræ studio, barbaras voces, & bar-

„bare

„bare conformatas, introduxit; 5) eodem vitio laborat, quo „reliqui ſtudiis Mathematicis addicti, videlicet ea methodo, & „eo ſermone uti, qui ab uſu familiari hominum alienus eſt: „adeo, ut ad id, quod cupit, ſcil. ad tirones imbuendos, „prorſus inutilis ſit. Logica vero, vulgata lingua conſcripta, „multo, mea quidem ſententia, imbuendis tironibus eſt accommodatior.„

Libri *ſecundi* Pars *I.* eſt de *Ideis*, altera de *earum Signis*. In illa, præmiſſis capitibus quibusdam, de partibus hominis, animi ſede, actionibus eius, & diverſitate cognoſcendi, de origine idearum; quo loco late & acute diſputat, nullas innatas eſſe, & negat, Patronos innatarum idearum intelligere ipſos, quid adfirment, cum tam varie ſententiam ſuam explicent, ut vix duo conſentiant; de vi ſenſuum in perceptionibus comparandis: his igitur ſimilibusque præmiſſis, diſcrimina idearum varia exponit, e Lockianis, & Leibnitianis, Wolfianisque fontibus hauriens. *Leibnitii* ſunt diſcrimina idearum e modo, quo ideæ res quasque repræſentant; cetera fere *Lockii*, ut de ideis ſubſtantiarum, modorum, relationumque &c. a quo ſumta etiam, ſed cum delectu, ſunt, permulta Partis alterius de verbis, & cum Clerico, in Logicis, & Critica arte, communia. Neque enim tantum inſunt ea, quæ in Wolfiana Dialectica de uſu verborum dicuntur, ſed multo plura, utilia, & idoneis exemplis illuſtrata. Libri III. Pars I. eſt de Propoſitione, tradens vulgata, ſed neceſſaria, de natura & formis propoſitionum, adiecta & mathematicorum diſtributione, præmiſſis neceſſariis de natura *iudicii*, cui reſpondet in oratione *Propoſitio*: ſimilisque eſt P. II. de *Syllogiſmo*, & diſpoſitio, & ratio. Libri IV. in quo de cognitione veri diſputatur, P. I. eſt de *veritate certa*: ubi primum, veritatem reperiri poſſe, & quibus id quaſi gradibus fiat, oſtenditur; tum modum cognoſcendi certi declarat, ubi de criterio veri agit, probans eos, qui *Evidentiam rei* notam veri faciant, cuius ille vim & genera bene declarat: denique impedimenta veri cognoſcendi commemorat, vel a ſenſibus, vel ab animi affectibus, ubi multa iuventuti ſaluberrima monita reperiuntur, vel a mentis imbecillitate, aut corruptela, e me-

e methodi inſcitia, aut præiudicatis opinionibus; denique modum demonſtrat veritatis, vel per experientiam, vel per demonſtrationem reperiendæ, fallaciarumque, vel agnoſcendarum, vel vitandarum rationem.

Liber IV agit *de probabilitate*, cum univerſa, tum ſingulis generibus, *hiſtorica*, *hermenevtica*, *morali*, & *phyſica*. In hiſtorica maxime *Rudigerum* ſequitur Auctorem, in hermenevtica *Thomaſium*; loco de hiſtorica probabilitate ſubiicit caput de librorum mendis, modo ſecernendi integros a corruptis, genuinos a ſpuriis & ſuppoſititiis, vitans adeo illud, quod in Wolfio reprehenderat, & iuventutem inſtruens veris & neceſſariis artis Criticæ principiis; denique de fide habenda teſtimonio divino. Ac fortaſſe non ſufficient ſubtilius exigenti ea, quæ de hiſtorica & hermenevtica probabilitate tradidit, Auctoribus Rudigero & Thomaſio; quorum nec ille rerum hiſtoricarum, nec hic hermenevticarum uſum idoneum habuit, adeoque nec ſatis accurate ac definite, de iſtis rebus explicare potuit: ſed tamen iuventuti ſufficere poſſunt.

Liber V denique eſt *de inveſtigatione & explicatione veri:* cuius pars prima de meditatione, lectione, & diſputatione præcipit; altera, de modo docendi, & ſcribendi libros, quo loco & de ſtilo, eius variis generibus, virtutibus vitiisque agitur, ſubiectis duobus de Pedantiſmo capitibus, lectu digniſſimis, in quibus omnia iſtius vitii genera perſequitur, non in ſchola modo, hoc eſt inter eruditos, iſtam vanitatem ſtultitiamque reperiens, ſed etiam in aula, ubi elegantiæ ſedes eſſe putatur, ubi omnium maxime irrideri homines Pedantiſmi nomine

Pag. 347. ſolent. *Neque id ſolum*, (aliud Pedantiſmi aulici & Politici genus tetigerat, & poterat plura commemorare,) *ſed doctos homines, qui ad ſuum* (*Aulicorum*) *exemplum corporis geſtum & inceſſum & habitum conformare non curant, atque aulæ verbis, plerumque nihil ſignificantibus, uti nolunt, veluti* pedantas *rident & exſibilant. Quid autem eſt, ſi non hic* pedantiſmus

357. *eſt?* Adde, in Pedantiſmi loco cenſeri, ſi quis hæreticorum libros & inventa, contemnat, quia ab hæreticis ſcripti ſint, ſi hæreticum putet, qui hæreticorum libros legat, & eruditionem

lau-

laudet. add. pag. 220. Denique concluditur opus, capite, de usu Logicæ, & appendice de arte syllogistica. Totum autem varia eruditione respersum, & vestigiis doctrinæ omnigenæ impressum est. Exempla ex historicis, Poëtis, oratoribus, optimisque scriptoribus depromta, & captui eius ætatis, cui dialectica proponuntur, accommodata. Notulæ etiam subiectæ, unde varia, & cum delectu instituta lectio, apparet, & veterum, & recentiorum. Tum toto opere candor quidam ingenuus, alienus a partium studio animus, iudicandi dexteritas, aliæque boni Philosophiæ magistri virtutes, rarissime hodie in eo genere hominum coniunctæ, agnoscuntur: quarum, quid impedit, quo minus aliquot exempla subiiciamus. De Logica deligenda agens, & sectæ, inprimisque Peripatetico-Scholasticæ Dialecticæ studium, & præceptorum Dialecticorum multitudinem, dissuadens: *Profecto*, ait, *& ego Sophista fui aliquando,* Pag. 72. *& sub Peripateticorum vexillis longum tempus militavi cum laude* — sed *Deum testor, me, tametsi etiam atque etiam de Philosophia, Theologia, de Iure, de historia, in amplissimis locis, & cum viris eruditissimis & acutissimis, disputaverim: nunquam artis regulis adiutum esse, ut aliquid probarem, sed quæ memoria suppeditabat argumenta, vis quædam naturalis mentis ad formam redigebat, iisque, quod vellem, conficiebat. Quod & plerisque viris doctis evenisse, ex eorum habeo testimonio.* Rara in Dialecticæ magistro professio! Quam præclare de disciplinis iudicet, intelligas e loco, ubi errores & vitia commemorat, quæ ex inscitia methodi nascantur: *Sunt,* 211. *qui sacra Biblia interpretantur, nec Græce, nec Hebraice sciant: qui nullam historiæ Iudaicæ & profanæ eruditionem habeant; qui plane hospites sunt in Critica arte. Sunt, qui Rom. leges e loco superiori exponant, qui nulla historiæ Rom. notitia tincti sunt, nec Ethices & Politices rudimenta vel summis labiis degustarunt. Sunt qui Pontificium ius, qui sacram scientiam docent, qui nunquam Patrum Scripta pervolverunt, & Ecclesiæ veterem disciplinam examinarunt* &c. Sed satis de Logicis, ad Metaphysica veniamus.

In qua Parte poterimus esse breviores. Nam ingenium eius idem est, quod prioris partis. Constat autem Libris IV. quorum primus exponit *historiam Metaphysicæ* doctrinæ. Metaphysicæ autem nomine intelligit eam, quæ & *Ontologia* vocatur. Lib. II. *de natura & usu eius doctrina* disputatur; quo loco disputat, Aristotelico-Scholasticos haud bene tractasse Ontologiam, sed multo accuratius recentiores, a *Lockio*
Pag. 44. & *Chr. Thomasio* excitatos, sed alios alio modo: in quo bene reprehendit eos, qui, dum vetera delere curant, tot alia addiderunt, ut eam disciplinam implicatiorem fecerint. Nam primum ipsam Ontologiam nimis strictæ methodo Mathematicæ subiecisse; ex quo necesse fuisse, ut in rebus minutis, & ita evidentibus, ut de iis nemo non stultissimus dubitare possit, demonstrandis operosi essent, existimantes, hanc demum syntheticam rationem esse: quod omnino falsum sit. Hinc consequens fuisse, ut plurima, demonstrationum illustrandarum causa, inutilia adderentur, quæ hebetarent potius mentem, quam acuerent. Cum porro Metaphysicam dicant esse disciplinam notiones communes distincte explicantem, tamen ei præter Ontologiam, de qua id vere dici possit, addidisse Cosmologiam, Psychologiam, & Theologiam natura-
47. lem, quæ Physicæ potius sint partes &c. Utilitatem porro Ontologiæ aliquam agnoscit, non tantam necessitatem, quanta vulgo putetur. Nam si quis ea teneat, quæ in Logicis de ideis claris & distinctis, de usu verborum in Philosophia, & de modo investigandæ veritatis præcipiantur, & pro re nata ad singula argumenta accommodet, carere sine ullo damno Ontologia posse, quæ nihil sit aliud, quam applicatio legum logicarum ad quædam argumenta generalia. Itaque nonnullos bene dicere, Ontologiam esse veluti Appendiculam Dialecticæ. Esse autem sic instituendam, ut ea tantum tradantur, quibus ad veritatem in ceteris scientiis, quæ quidem vere hoc nomen mereantur, non in quæstionibus metaphysicis, minime necessariis, quibus Theologia Scholastica inquinata sit, reperiendam adiuvemur, cetera resecentur. Duas porro Ontologiæ partes facit, primam *de modo cognoscendi primas*

veri-

veritates, alteram *de primis veritatibus ipsis*. Atque hæc duobus reliquis libris persequitur. Libro igitur tertio explicat, quid sint primæ veritates; eas porro, & intimo sensu, docet, & ratione, quem & communem sensum vocent, cognosci: illum cogere omnes homines, vel invitos, ad assentiendum, hunc animadvertentes modo: atque hunc sensum intimum, itemque communem, esse criterium veritatis. Post- Pag. 60.
hæc late disputatur, & diligenter, primum adversus eos, qui ullam veritatem esse negant, deinde contra hos, qui primas veritates. Earum alias sensibus percipi posse (pag. 91.), ut 84.
existentiam corporum, earumque proprietates, quarum cognitio ad vitam humanam conservandam necessaria sit, tum cetera, sine quibus societas humana stare non possit; alias etiam auctoritate, ac testimonio, ut constans hominum testimonium de re facti, sit criterium veritatis, veluti, esse urbem aliquam Romam &c. Libro autem IV. repudiata Philosophorum 173.
disputatione de Principio Contradictionis, & rationis sufficientis, qua nihil inutilius esse iudicat, quindecim Capitibus perspicue explicat notiones Ontologicas utiles, earumque usum demonstrat, tandemque disciplinarum omnium, quibus Onto- 224.
logia prodesse possit, ordinem & nexum declarat.

Hac brevi utriusque libri descriptione, & quodam quasi gustu, incensum iri speramus lectores elegantes, ut reliquas partes mox videre cupiant.

ALOYSII ANT. VERNEII, EQ. TORQUATI ET Archidiaconi Eborensis Apparatus ad Philosophiam & Theologiam, ad Usum Lusitanorum Adolescentium Libri VI.

Romæ, apud Nic. & Marc. Palearinos, 1751, 8.
Alph. 1. plag. 13.

Cum in animo haberet, Vir Ill. atque Rev. Philosophiam & Theologiam omnem, melius ac diligentius vulgari conformatam edere, in Iuventutis Lusitanæ usum, bene, & ad eius utilitatem accommodate fecit, cum impelli se passus est ab

iis, qui ingenium, doctrinam, elegantiamque Viri nossent, ut quandam quasi εἰσαγωγὴν ad utramque disciplinam ederet: quod factum est eodem tempore, quo prima Philosophiæ pars edebatur. Utraque Operis Pars, quarum prima de Philosophia, altera de Theologia agit, in tres libros est descripta, quorum simile in utraque argumentum est. Nam primus cuiusque Historiam suæ disciplinæ, alter Naturam & Usum explicat, tertius celebriores Auctores commemorat & diiudicat. Primus igitur Partis I. liber complectitur Historiam Philosophiæ, ab initio rerum usque ad nostra tempora deductam: in qua, etsi, post tot de eadem edita Volumina, nihil admodum novi reperitur, quod nec desiderat consilium operis; tamen ipsa ratio explicandi, perspicuitatem & elegantiam conservans, & omnia idoneis auctoritatibus firmans, placet. Neque tamen alibi nos reperisse meminimus, quæ de propagatione Philosophiæ Eclecticæ recentioris, cuius Auctores sine dubitatione Germanos facit, præsertim in Italia, Hispania, & Lusi-
Pag. 174. seq. tania, traduntur. Nempe, in Hispaniam, in qua recentiorem & meliorem Philosophiam contemni, narrat cum dolore *Maiansius*, V. C. in Vita E. *Martini*, tamen paulatim admissa est *Gassendi* Philosophia, religiosis quibusdam hominibus non dubitantibus eam docere atque defendere. Ex his *Thom. Vincentius Tosca*, Valentinus, de Clericis Philippi Nerei, edidit *Compendium philosophicum*, Valentiæ 1721. Voll. 5. in 8. in quo illam Philosophiam exponit, non tamen puram, sed coniungens & concilians cum Aristotelica, ne nimis irritaret tenaces Aristoteleæ rationis. Huius institutum secuti sunt Lusitani nonnulli, ex eadem Philippi familia, eamque Philosophiam, palam, tum Ulyssipone, tum aliis locis, docent; eiusque generis quidam etiam libelli prodiere. Atque etiam alii, qui apud exteras nationes solidioris Philosophiæ præceptis imbuti sunt, nominatim *Regulares Canonici* quidam *S. Crucis*, Philosophia Eclectica delectantur, eique privatim dant operam. Sed plures amatores iam sperare potest hæc Philosophia posthæc, Lusitanis adolescentibus commendata *Verneio* Auctore, & suffragatore, & quasi conciliatore: quo vix

vix melior & disertior ei poterat contingere. Nam toto *Lib. II.* primum omnia eius bona & dotes demonstrat, hoc est, necessitatem & utilitatem, in recta iuventutis institutione, in omni genere disciplinæ, in omni denique vitæ parte: deinde a criminationibus malevolorum liberat, ostendens, bonam & veram Philosophiam, non argutiis, inanibus quæstionibus, & generalibus notionibus contineri, qualis vetus Aristotelica fuit, sed eam esse, quam recentiores Philosophi colant, etsi non omnia bonæ Philosophiæ nomine digna habenda sint, quæ ab iis excogitata sint. In *Lib. III.* primum de gentilibus Philosophis celebrioribus tribus, *Platone, Aristotele, & Epicuro*, iudicatur, ceteris omnibus missis: deinde de Patribus Græc. & Lat. clarioribus, quos Philosophiam attigisse constet, ut *Irenæo, Clemente Al. Origene, Eusebio Cæs. Synesio, Arnobio, Lactantio, Augustino, Boethio:* tum de celebrioribus Arabibus, nominatim *Averroe*, & Scholasticis, quorum vitia bene monstrat, denique de recentioribus, *Cartesio, Gassendo, Newtono, Leibnitio, Thomasio*; in quorum & bonis & vitiis enumerandis, & æquitatem & acumen probat, commemoratis etiam præcipuis cuiusque sectatoribus, & qui eorum systemata, vel illustrarunt, vel novo quodam habitu induerunt. In iis, qui Newtonianam Philosophiam accommodatiorem reddere captui eorum conati sunt, qui sublimiorem Geometriam nondum plane percepere, commendat iuventuti maxime *Georg. Petr. Dumkii* Philosophiam Mathematicam Newtonianam illustratam.

Partis II Liber primus exhibet elegantissimum Compendium Historiæ Theologicæ, ad hæc usque tempora deductæ, cui simile extare non meminimus. In quo etsi interdum durior est Protestantibus, qua talibus, quod nemo mirabitur, tamen & æquus est in eorum doctrina & meritis agnoscendis, usus etiam eorum libris, & frequenter laudans. Agnoscit, instauratæ dogmaticæ & Polemicæ Theologiæ initia ab Lutheri ætate & conatis orta. Nam Lutherum & sectatores, studium biblicum, Patrum, linguarum, & literarum humaniorum, incendisse, & Catholicos, e veterno excitatos, coegisse eadem studia tractare, & meliorem Theologiam, missis argutiis Pag. 415.

 scho-

ſcholaſticis, efficere; quod dudum *Jo. Maior*, Theologus Pariſ.
Pag. 424. & *Martinus Becanus*, falſi erant. In noſtratibus, qui Dogmata
426. Theologica e PP. & Conciliis &c. illuſtravere, *Gerardi* Con-
417. feſſionem Catholicam deſideravimus, & alibi *Ant. Reiſterum*
428. pro *Reiſero* nominatum; ſed hoc operarum vitium credimus.

Liber II agit *de Natura & Uſu Theologiæ*, qui & ipſe multa utilia habet: (nam quæ ſectæ propria ſunt, neminem morabuntur;) veluti cum docet, veram Scholaſticam Theologiam, (ſic vocat, quam noſtri theticam, ſyſtematicam vocant,) longe diſtare ab argutiis Peripateticorum, eiusque neceſſitatem ad convellendos adverſarios demonſtrat: cum oſtendit, acumina & diſputationes Peripateticorum, non eſſe accommodatas ad refellendos adverſarios, Judæos, & hæreticos: expoſitoque, quæ controverſiæ tractandæ maxime ſint, non levi, monet, ſcripturæ, hiſtoriæ, linguarum, & critices notitia opus eſſe: quibus præſidiis qui careant, & bellum committere audeant, palam inſcitiam & arrogantiam in diſputando prodere. Enimvero his inanes eſſe Philoſophorum diſputationes, quæ quæſtiones de poſſibili ſine fine perſequantur, nitantur Philoſophia Peripatetica, & ideis abſtractis metaphyſicorum, nec denique ſcriptura & patribus recte utantur. *Lib.* denique *IV* primum de Codice S. utroque, eiusque verſionibus, tum de celebrioribus Eccl. PP. atque ad Sec. X. de celebrioribus Scholaſticis, Dogmaticis porro & Polemicis, denique Hæreticis, agitur: in quo capite excidit hoc doctiſſimo viro, ut Examinis Concilii Tridentini Auctorem *Melanchthonem* faceret.

PARERGA THEOLOGICO-EXEGETICA IN LUcem edita a JOANNE UDALRICO SPONSELIO, Conc. Hoſpit. Gravenreuteriani & Diac. ad ædem ordinis ruſæ aquilæ Brandenburgicæ in urbe S. Georgii ad lacum iuxta Baruthum.

Pars I.

Coburgi, apud Georg. Ottium, 1752, 8.
plag. 8.

Auctor

Auctor, cuius nunc lectoribus conspiciendam exhibemus scriptionem, ante undecim fere annos, opifex, rudis atque ignarus eruditæ cognitionis sacræ, vitam duxit; ubi deinceps, subita rerum suarum commutatione facta, ad divinarum se recepit rerum intelligentiam, in qua quantum profecerit, præsenti declarare studuit specimine. *Prima* eius particula agit de *caussis obscuritatis in promissione divina Genes. III, 15.* Certissimum est, Deum primos mortalium parentes, ne animum abiicerent, atque plane de salute sua desperarent, ad spem felicitatis suæ revocasse, sic dicto protevangelio. Nihilo tamen minus etiam verissimum hoc est, primam hanc gratiæ annuntiationem, quodam obscuritatis peplo involutam esse. Hinc Auctor noster primo certis atque indubitatis monstrat rationibus, dictum hoc sacrum, de nemine, nisi de Christo, Dei filio, esse intelligendum, & operam perdere illos omnem, qui in aliam hic eunt sententiam. Deinde indicatur ab Auctore, Deus quibus rationibus permotus fuerit, ut promissioni suæ aliquam offunderet caliginem; licet tantum illis aperiret, quantum esset satis ad suum intelligendum propositum, animosque eorum levandos. Hoc quasi centrum est eorum, quæ Noster affert: ubi ratio palmaria huius obscuritatis hæc ipsi esse videtur, ut dulce levamen propius primis parentibus admoveretur; quod fieri non potuisset, si tantorum annorum series, Messiæ adventui a Deo destinata, & longa intercidentium calamitatum enarratio, ipsis aperta fuisset. Paucis omnia his verbis comprehenduntur atque continentur: Si Deus neque nativitatem, neque cruciatus, neque mortem Iesu, primis nostris parentibus, sine maximis potuit manifestare periculis: apparet, eum suæ quasdam debuisse afferre promissioni tenebras atque obscuritates. *Secunda* commentatio inscribitur: *Maledictio per diluvium a terra ablata.* In eam hic Noster proclivis est sententiam, secundum quam statuitur, maledictionem divinam terræ adhuc minus incumbere, sed ablatam esse penitus, & ad antediluvianum modo hanc relatam fuisse seculum. Primo perscrutatur Auctor, in quo execratio constiterit, qua Deus nostræ maledixit

Pag. 12. 14. 18. 26. 35. 39.

dixit

dixit terræ. Nominatur hic præcipue ſterilitas agri, in quo
colendo operam parentes primi impendere deberent. Mo-
Pag. 41. dum huius ſterilitatis ex eo deducit Noſter, quod Deus be-
nigne poſt diluvium pollicitus ſit, nec ſementem, nec meſ-
ſem, nec frigus, nec æſtum, nec æſtatem, nec hiemem eſſe
ceſſaturam; hinc putat colligi, ante diluvium ſecus hæc fuiſſe.
47. Et hæc eſt maledictio terræ, ex mente Auctoris, & recentio-
49. rum quorundam aliorum; ubi argumenta etiam promuntur,
quibus ſtabiliatur, maledictionem a terra per diluvium eſſe
53. ablatam. Minus tamen nobis illa ſtringentia videntur, licet
ſpeciem veri, ex noſtri iudicii ratione, habeant, & licet obie-
ctiones quædam ab Auctore ſolvantur, nihilo minus dubii
63. ſupereſt in hac, quam ſibi ſumſit, explicatione, multum. *Tertio*
occurrit *Lazarus a divite ſaturatus Luc. XVI, 19-31.* Tota
tractatio duabus deſcribitur partibus. Altera Auctoris decla-
rat ſententiam de eo, num Chriſtus veram narraverit hiſto-
riam, an parabolam tantum. Altera rationes continet, ex
quibus lectores probabilem eliciant ſententiam, quod Lazaro
quotidianus fere victus ante heluonis ſuppeditatus ſit fores.
69. Ad prius quod attinet, Noſter ita ſtatuit, vitam & mortem
utriusque eſſe probe ſecernendam. Ad illud usque tempo-
ris punctum, quo Lazarus & heluo extremum vitæ diem fi-
nierunt, omnia, quæ Ieſus enarravit, re vera ſic accidiſſe,
evincit Auctor: illa vero, quæ poſt mortem geſta referuntur,
76. in parabolarum numero habenda eſſe exiſtimat. Ad fi-
nem huius commentationis, quæſtionem proponit Auctor,
quare dives ille homo ad æterna coactus ſit abire ſupplicia,
immiſericordiæ locum ſi concedere nolimus? Sola incredulitas
ei adæquata damnationis cauſa fuit, ſcribente noſtro: nec mi-
ſericordia divitis huius viri in Lazarum, vera erat virtus; ſed
77. ſpeciem modo virtutis habebat. *Quarta* commentatio, de *capti-*
84. *vanda ſub fidei obſequium ratione*, exponit Auctoris ſententiam,
ita, ut primo declaret, quod nihil in fidei articulis rationi ſit con-
trarium, licet occurrant alia, quæ ſupra ſint rationem. Dein-
de ſpeciales enumerantur *caſus quinque*, in quibus iure ac
merito obligati ſint homines, rationi ſilentium imponere: ſunt
vero

vero isti: primo, quando de Dei sermo est essentia; deinde, quando quid sola Dei nititur voluntate; tertio, quando de di- Pag. 86.
vinis verba facit Scriptura sacra decretis; quarto, si de divina res agitur omnipotentia; quinto, quando divinum sibi propo- 89.
suit numen, hominum explorare fidem. Videant lectores, num ne quinque hæc capita, ad tria vel duo etiam, possint referri? *Quinta* Dissertatio de *Michaelis Archangeli certamine cum diabolo*, ex *Iuda* Epist. *v. 9.* agit. Divisio hic occur- 92.
rit primo totius Epistolæ S. *Iudæ*, in tres partes facta. Primo statim apparet in litteris hisce salutatio Apostoli: deinde rei caput incipit *Iudas* a tertio, usque ad vicesimum tertium versum: cui denique epilogus additur. Dictum *Iudæ* ita a Nostro 97.
vernaculo ore atque sermone vertitur: *Als aber der Erzengel Michael mit dem Teufel zanckte, und wegen des Leichnams Mosis mit ihm stritte: so unterstunde er sich doch nicht, das Urtheil an ihm zu vollstrecken, noch ihn deswegen wieder zu lästern, sondern sprach: Der Herr strafe dich.* Per Michae- 105.
lem Noster intelligit cum aliis, & quidem recte, angelum creatum. Res in disceptationem veniens, ex Nostri senten- 107.
tia, est naturale Mosis corpus. Procul enim dubio poposcit Satanas, ut propter gravissima, quæ Moses commisit, peccata, aut totum ipsi traderetur corpus, aut in sepulcro saltem non conderetur. Moses enim multum apud omnem populum valebat, & hinc opportunitatem Satanas erigendæ, quantum coniectura consequi valet Noster, idololatriæ, amittere nolebat, quia aptius subinde tempus ægre potuerit expectare. *Sexto* loco 113.
apparet *oratiuncula*, in honorem nati Servatoris dicta, ubi declaratur, quid in gratiosissima Iesu nativitate, sapientia atque potentia Dei fuerit dignissimum.

HISTORIA IURIS ROMANI AC GERMANICI, qua utriusque origo, & usus in Germania, ex ipsis fontibus ostenditur, commoda Auditoribus methodo adorna-

 ta,

ta, multisque obſervationibus haud vulgaribus paſſim illuſtrata, Autore IO. GOTTL. HEINECCIO, ICto. quondam S. R. M Pruſſ. Conſil. intim. & Iuris ac Philoſ. in illuſtri Frideric. P. P. O. editio nova, emendata, obſervationibusque aucta, ſtudio IO. DAN. RITTERI, S. R. M. Polon. Conſil. Aul. & in Academ. Witteberg. Hiſtor. Profeſſ. Publ. Ord.

Lugd. Batav. apud Io. & Herm. Verbeek, 1748. 8 mai.

Alph. 2.

Non potuit melius fieri, aut a Verbeekiis fratribus, Viris honeſtiſſimis, quam ut celeberrimum Ritterum litteris ad hunc librum obſervationibus illuſtrandum ſuis, adducerent; aut a viro Illuſtri, ut precibus honeſtiſſimis locum relinqueret. Nam quamquam vel nominis Heinecciani ea fama eſt, ut nil niſi politum ingenio, elaboratum induſtria, ab eo proficisci putetur potuiſſe; vel huius libri auctoritas tanta, ut omnibus huius generis compendiis, cum orationis, tum doctrinæ elegantia, longe multumque præferatur: tamen dudum Viri eruditi multa in eo deſiderarunt, multosque errores & agnoverunt, & reprehenderunt, in quibus viri alicuius in hoc doctrinæ genere accurate verſati laborem exerceri diligentiamque vellent. Ea autem Cel. Ritterus, cum alias, tum inprimis edito perpolitoque curis ſuis Codice Theodoſiano, eruditionis elegantiæ dederat ſpecimina ac documenta, ut dubium non eſſet, quin, ſi ad hunc librum illuſtrandum acceſſiſſet, multis partibus & accuratior, & politior eſſet proditurus. Itaque factum eſt. Nam primo veterum auctorum teſtimonia, vel minus diligenter accurateque laudata, quorum ingens extitit numerus, vel alieno in loco poſita, vel plane omiſſa, correxit, recte collocavit, atque ſupplevit, deinde

de cum multum referat ad veterum Legum intellectum, fastorum rationem diligenter haberi, operam dedit, ut annis Consulibusque suis redderentur. His ipsum Heineccianum textum eleganter & erudite exornavit atque constituit. Deinde adiecit observationes suas: quibus, quæ ab Heineccio peccata graviter & omissa, aut quæ desiderarentur, de iis sententiam suam uberius atque copiosius explicavit, eaque suo loco separatim, sui nominis prima littera distincta, subiecit. Denique, quoniam duodecim Tabularum Legibus nemo carere potest, qui velit ad aliquam in Iure civili laudem pervenire, eas suo loco interseri, probationibus ad marginem, & interpretatione ex adversum appositis, curavit. Quibus rebus effectum est, ut hic libellus, eleganter conscriptus, longe, quam fuit, prodiret utilior. Sed quoniam lectores nostri cupiunt, materiam per se iudicandi habere, eaque est nostra consuetudo, specimina quædam delibabimus, ut fides dictis constet.

Eius autem diligentiæ, qua ipsum textum Heineccianum emendavit, & auctorum loca accurate posuit, quoniam infinitum esset, unum tantum commemorabimus exemplum. In §. CXVII. vulgaris opinio est, Sempronium Sophum ICtum, uxori repudium misisse; sed Heineccius inquit, Valerius Maximus Lib. VI. Cap. I. qui id memoriæ prodidit, diserte ait, id divortium fuisse tertium ab eo, quod fecerit Sp. Camilius. Sed apud Valerium M. nulla est huius rei mentio: at apud Plutarch. quæst. Rom. pag. 267. Tom. II. ed. Francof. atque ita a Viro Cel. rescriptum. Plura huius generis specimina non adferemus, quoniam, tametsi huius præstantiam editionis demonstrant, tamen Doctissimi Viri gloriæ iam dudum constitutæ, ex his minutis rebus nihil potest accedere, neque ipse ista sibi, sed Heineccio attribuit: inprimis cum Heineccianis meritis eam deberi reverentiam putasset, ut veterum Auctorum loca eum intellexisse quidem, sed ea negligentius inspexisse, aut aliis doctis Viris plus iusto tribuisse, profiteretur. Ex observationibus

 igi-

igitur additis, par est aliquot specimina depromere. Ad §. VIII. observatio ** Cl. Ritteri, cum multis aliis salubriter doctēque monitis præstat, quæ in compendium mittere non licet, tum vero inprimis Heineccianæ sententiæ de Lege Romuli *de nuruum in soceros sævitia* apud Festum in v. *Plorare*, refutatione eminet. Primo apud Festum nihil legi de nuruum in soceros sævitia, docet, verum hæc: *In Regis Romuli & Tatii legibus: Si nurus sacra divis parentam est*. *& in Servii Tullii hæc est: Si parentem puer verberit ast oloe plorassit parentes puer divis parentum sacer esto.* Merula huic Legi occasionem dedisse Sabinarum in soceros sævitiam, plaudente Heineccio, putabat, paulloque aliter locum Festi emendandum. Sed ridiculam eam opinionem esse, neque ullis testimoniis recte confirmari, ostendit Cel. Ritterus, cum ne verisimile sit, soceros eam ferociam passuros, aut omnes nurus tam feroces futuras, ut hac Lege lata opus esset. Quapropter eam Legem V. C. tanquam appendicem esse legum de patria potestate latarum putat: tum, quoniam ex his verbis sensus nullus existit, emendationem Scaligeri amplexus, traiectione ea sanantis, legit: *In Regis Romuli & Tatii & Servii Tullii legibus hæc est: Si parentem puer verberit, ast oloe plorassint, puer divis parentum sacer esto; Sei nurus, sacra divis parentum esto:* explicatque: *filius parentem verberans sacer esto*: *filia parentem verberans, sacer esto. Puer* antiquis dicebatur, uti in vulgus notum est, filius; *nurus* autem omnis femina, filia, virgo, mater, nupta, innupta. Ratio autem huius Legis V. C. hæc fuisse videtur: quod facile antiquissimis temporibus accidere potuerit, ut pater paupertate ac senectute pressus, in filium valentem potestatem patriam inhibere non posset: utque mater, inprimis vidua, filiam ferocientem coerceret, quæ inprimis potestate careret: ne igitur huiusmodi in parentes scelera nefanda liberorum inulta essent, cessante animadversione domestica, hac lege caput eorum, qui parentes verberassent, divis parentum sacratum, quo civitas supplicium de iis sumeret. Ad §. *XVII.* sententia vulgaris, atque

atque adeo *Heineccii*, de *Iure Civili Papiriano* refellitur, ostenditurque, C. Papirium Pontificem Max. sui muneris causa, collegisse tantum Leges Regias de Iure sacro, atque edidisse: quia eius rei nobis auctor est locuples Dionys. Halicarnass. *Lib. III. pag. 178.* & quia Granii Flacci de *indigitamentis* liber, ex omnium opinione, commentarii loco in Ius Papirianum scriptus, ad Ius sacrum pertinuit, cum *indigitamenta ἱερατικὰ* sint βιβλία: denique quod Juris Papiriani reliquiæ & fragmenta, e Commentario Granii, omnia ad Jus Sacrum spectant.

At Pomponii in *L. 2. §. 2.* locus diserte tradit, omnes Leges Regias in Papiriana collectione comprehensas fuisse. Cui dubitationi respondetur recte, Pomponiani fragmenti, quippe a Pandectarum architectis interpolati, perperam descripti, & corrupti, inprimis in hoc ipso loco, uti docet V. C. auctoritatem nullam esse, nisi ubi cum scriptoribus fide dignis consentiat. Ex quo facile consequitur, omnes eas coniecturas, quibus Pomponii textum emendatum ivere Viri docti, inanes & inutiles esse.

Insignis est observatio ad *§. XXI.* de Lege Ateria Tarpeia. Primo contra Koolium ostenditur, etiamsi iam ante legem Tarpeiam multam duarum ovium ac triginta boum, certum sit, obtinuisse, & Gellius hac Lege æstimationem introductam esse memoret, tamen Dionysium non errasse, qui tradidit, eam Lege Ateria statutam esse: multa enim in Legibus recentioribus repetuntur, quæ diu antea iam fuerunt cauta. Deinde ante Legem Ateriam, Consulibus tantum ius potestasque fuit, multas dicendi; hac autem Lege idem etiam ceteris magistratibus permissum, atque adeo necesse fuit æstimationem multarum definiri.

Jam porro Lex Ateria multas tantum eas spectat, quæ hominibus in magistratuum potestatem iniuriis dicebantur; publici nam criminis reis populus vel plebs in comitiis gravissimas irroga-

bat multas sæpenumero. Ceterum emendationem loci Dionysiani, cum rescribunt: δύο πρόβατα καὶ τριάκοντα βόες, a Viris doctis factam, & ab Heineccio probatam, & ipse probat Cel. Ritterus, additque locum Plutarch. Poplic. pag. 103, ubi δύο πρόβατα καὶ πέντε βόες occurrunt. Sed rationem, adlatam ab Heineccio, quod maior boum, quam ovium, proventus fuerit, etsi nixam auctoritate Gellii *N. A. II, 1.* ridiculam esse ostendit: cum æstimatio, lege Ateria facta, eam opinionem satis convellat; ovis enim decussibus, bos centussibus æstimatus est. Omnem igitur rem V. C. ita expedit. Antiquissimis temporibus, multa pecoris, ovium boumque, in usu erat. Sed, inquit Gellius l. c. *cum eiusmodi multa pecoris a magistratibus dicta erat, adigebantur boves ovesque alias parvi pretii, alias maioris, eaque res faciebat inæqualem multæ punitionem. Idcirco postea Lege Ateria constituti sunt in oves singulas aeris deni, in boves aeris centeni.* Secundum hanc vero etiamnum magistratus multam ovium boumque dixere, auctore Dionysio Halicarn. quando recentioribus temporibus multam non decem aut centum assium, sed ovis bovisve irrogatam esse scribit Gellius l. c. *Minima* vero *multa* erat unius ovis, seu decussis, secundum hæc duarum, sive vigessis. Festus voc. *ovib.* postea demum multa unius bovis, seu centussis, iniungebatur, vid. *Plin. H. N. XVIII, 3.* Denique si quando necesse videretur, iudicis aut magistratus contemtum graviore multa coercere, tunc demum ex Lege Ateria magistratibus ius erat, multam ovium duarum & triginta boum simul dicere, quam maximam, sive supremam multam, antiqui dixerunt. Festus, voce *multam.*

Ad *§. XLVI.* errorem Hotomani de legis actionum & actuum legitimorum discrimine, pervagatum illum fere omnes ICtorum, atque adeo etiam Heineccii libros, refellit. Ostendit enim, *lege agere* dici illos, qui in foro & iudicio disceptent, & ius suum persequantur, atque adeo *actionem legis* pertinere ad actorem vel petitorem,

qui

qui ex lege aliqua, five iure agit adverfus alterum, quod hodie vocant proceffum inftituere: unde etiam formula ipfa dicta eft *legis actio*, quoniam fine formula agi lege non poteft. Ex quo confequitur fua fponte, omnes legis actiones effe iurisdictionis, quam vocant, contentiofæ, in easque minime convenire, ut nec diem, nec procuratorem admittant unoque actu fint peragendæ. Inde etiam patet, quam ridicule Heineccius, ad fententiam fuam confirmandam, *lege agere* lictores iufferit: de quibus cum id dicitur, longe alia vi dicitur, ut, quod leges iubent, peragant, & exequantur, pœnam & fupplicium fumendo. *Actuum* autem *legitimorum* hanc rationem docet fuiffe. Iam antiquiffimis temporibus Romani ita inftituerunt, ut quædam negocia, inprimis graviora & maiora, a quibus fortuna & ftatus hominum penderet, folenni ritu, certisque etiam adhibitis formulis, vel apud magiftratum, vel intra privatos parietes, peragerentur, ne lites propter ea æternæ exifterent. Hos *actus legitimos* vocarunt. Neque officit huic fententiæ, quod ICti interdum, quæ effent *legis actiones*, vocant *actus legitimos*, & contra: *actus* enim & *actio*, e linguæ natura Romanæ, eandem vim habent; & quod *legis* eft, id quoque *legitimum* cenfetur. Qua dubitatione fublata, tollitur quoque inanis illa recentiorum JCtorum partitio *actionum legis*, in primi & fecundi generis, quam etiam Heineccius amplexus eft.

§. *XLVIII.* Heineccius ubi de iure Æliano exponit, poftquam Flavius fcriba vulgaffet faftos & legis actiones, Patricios, dicit, novas excogitaffe formulas, easque non litteris, fed notis perfcripfiffe, ne in vulgus exire iterum poffent. Ridicula ea fententia, quæ omnes, qui de Juris Hiftoria expofuerunt, libros occupavit, nititur Ciceronis pro Murena *Cap. II.* loco, fed male intellecto. Oftendit enim Illuftris Ritterus, apud Ciceronem, *notas componere*, nihil aliud effe, nifi formulas componere: quod ita effe, & ratio, & totus Ciceronis locus, & Io. Aug. Erne-

Ernesti, Viri Cel. Clavis Ciceron. voc. *nota*, manifesto demonstrat.

Ad §. *LIV*. Cel. Ritterus erudite & accurate de Ædilibus plebis, eorumque muneribus agit: cum de eorum curationibus exponere supersederit Heineccius. Ad §. *LVIII.* Heineccii sententiam refutat in animadversione subiecta statuentis, postremis temporibus auctum numerum decemvirorum esse, quod occurrant & XVIRI & XXVIRI STLIT. IVD. in marmoribus, apud Reines. At Ritterus V. C. monet, primo exscriptos ab Heineccio esse indices Reinesianos, qui operarum erratis sint plenissimi, ipsos autem lapides consultos non esse, qui alia omnia demonstrent. *Class. VI*, 42. ICANIDIS vocabulum mutilum Reinesius ex ingenio emendavit X. V. STLIT. IVDICANDIS. *Class.* ead. *n.* 50. 78. & 136. manifesto exhibent Decemviros. *n.* 58. autem ipse Reinesius pro suspecto habet. Tum ipse Reinesius arguitur, qui *Quindecimviros Stlitibus iudicandis* ex antiquitate notissimos esse & marmoribus vetustis, dicit: qui ab indice Gruteriano in errorem inductus sit, in quo *XVViri* magno numero indicantur, qui, si lapides ipsos consulueris, sint *Decemviri.* Locus autem Spartian. Julian. *Cap. I.* ubi memorantur viginti Viri, quem Reinesius ad suos *Viginti Viros litibus iud.* refert, pertinet ad eos Viginti Viros, in quorum numero sunt ipsi Decemviri.

Nota est opinio Heineccii, ius edicendi ab Honore arcessentis, qua cum alibi, tum etiam in §. *LXI.* se iactat. Sed in observatione adiecta ostendit Cel. Ritterus, edicta omnia potius vi muneris publici fuisse proposita. Nam si ab honore repetantur, & sacerdotes honorem gesserint, consequens esset, ut Jus Pontificium augurale, & omne sacrum ius *honorarium* dicendum esset, quod tamen veterum nemo eo retulit. Lapides autem, in quibus *Honore usos*, aut *Honoratos* pro sacerdotibus Hein. invenisse putavit, eam sententiam non confirmant. Nam *honore usos* in Inscript. laudd. decurio-

curiones municipales, *Honoratum* autem in marmore p. 357, 3, & 364, 1. esse nomen proprium, recte adfirmat Cel. Kitterus.

Quam vehementer *Prætorum edicta*, & omne Ius inde introductum, impugnaverit Heineccius, & *Cortio, Lips. Prof.* quo præside *Vindiciæ Prætoris* defensæ sunt, post mortem insultaverit, cum alibi, tum in Hist. Iuris §. 68. seqq. sciunt omnes. In quo eum cupiditas atque ira sua abstulit. Neque enim ea omnia, quæ disputat, magno animi ardore, magna vehementia, sunt unius assis. Itaque ne incauti lectores in errorem adducerentur, V. C. observationibus suis cavit, Heinecciique opiniones erudite contudit, & lubricas vanasque esse demonstravit. Quarum animadversionum ligurire sententiam nolumus, sed integram lectionem lectoribus nostris reservamus.

Locum in omnibus Historiis Iuris *Edicta perpetua* prætorum ante Hadrianum, ad hunc usque diem, invaserunt, eaque duplici fundamento nituntur. Primum fragmento Actorum Urbis Romæ Diurnorum, quo SCtum factum dicitur, *uti prætores ex suis edictis perpetuis ius dicerent.* Verum hoc fragmentum falsi coarguerunt Viri doctissimi, P. Wesselingius, & I. A Ernesti, & convicerunt. Ergo SCtum illud ipsum quoque falsum est. Deinde loco Asconii Pædiani, in orat. Cic. Corn. ubi *Lex Cornelia* lata dicitur, *ut Prætores ex edictis suis perpetuis ius dicerent.* Sed dudum Menardus ad *Cic. Verr. I, p. 103.* emendandum eum locum vidit: repugnat enim Latinitati: dicendum fuerat *ex edictis suis perpetuo ius dicerent.* Neque enim omnia ea loca ab Heineccio commemorata, quibus *perpetuum* esse non interruptum ostendere instituit, huc quidquam faciunt. Has ob causas Cel. Ritterus se maluisse totum eum locum in textu §. *LXXII.* & sqq. plane immutare, atque emendare, si sibi licuisset, in Præfatione ostendit: quod & nos factum cuperemus. Certe in posterum effectum nunc credimus, ut quem locum *edicta Prætorum perpetua ante Hadrianum*

in historiis iuris occuparant, inde veluti interdicto iusto decedere cogantur.

Legis Lætoriæ caput tertium fuiſſe hoc ſtatuit Heineccius § *XCIX.* in not. ut *minoribus petentibus causa cognita curatores darentur*: is error eſt gravis, at ipſi tamen gratus, quippe omnia eius ſcripta late pervagatus. Omnis eius ſententiæ fundus eſt locus Capitolin. Marc. c. 10. E quo effici putat hoc, furioſos, & laſcivos, ſeu prodigos, curatores accepiſſe Leg. XII. at *minoribus petentibus ſubveniſſe* Lætoriam. Sed e Lege XII. curator non aliis prodigis potuit, quam iis dari, qui iure Civili ab inteſtato parentibus heredes eſſent. Ulpian. fragm. XII, 2. Neque vero, qui auctores veteres interpretari recte poſſunt, aliam ſententiam in loco Capitolini invenient quam hanc, ante Divum Marcum, curatores ex Lege Lætoria propter laſciviam & dementiam datos eſſe, hunc autem ſtatuiſſe, ut omnibus adoleſcentibus darentur, cauſis non redditis. Ratio & contextus aliter intelligi vetat. Ridiculum autem porro, quod Heineccius dicit, petentibus minoribus datum Lege Lætoria curatorem, cauſa cognita. Quis enim unquam vel fando audivit, vel cogitando animum inducere poterit, cauſa interpoſita, prodigos ſibi curatores petere, quia res ſuas disperdant? Hæ ſunt rationes, quibus Cel. Ritterus Heineccianam ſententiam evertit.

Confundit §. *CXLIII.* Heineccius Craſſos duo, *P. Licinium Craſſum Mucianum Divitem*, & *L. Licinium Craſſum*, quem errorem accurate Cel. Ritterus in obſervatione ſubiecta diſpulit. Sic §. *CXLIX.* duos Balbos, *L. Lucilium Balbum*, ICtum, & Servii Sulpicii præceptorem, & *Q. Lucilium Balbum*, Stoicum philoſophum, notante noſtro, commiſcuit. §. *CCLXXXVII.* in not. Heineccius cum Ienichenio defendit Iavolenum Priſcum, quaſi *dubiæ ſanitatis* ſenex non fuerit, quod Plinius Ep. VI, 15. de eo prodidit memoriæ. Iam ad loc. Plin. Cel. Geſnerus, Ienichenianam defenſionem, acute, ac docte retudit. Verum oſtendit Cel.

Rit-

Ritterus, rationem & interpretationis, & Linguæ Lat. non pati, ut aliter Plinii locum intelligas: addit enim Plinius: *tam sollicite recitaturis providendum est, non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant.* Sed qui neque interpretari possunt, neque Latinam linguam sciunt, bellissime ii contra veteres AA. pugnant. Plura egregia poteramus, & cuperemus, specimina commemorare, tanquam quæ de Iuridico Alexandrino, contra Heineccium, quæ de origine Quæstorum, Candidatorum principis, quæ de Novellarum Collectione ab ipso Iustiniano facta, enucleate ac diligenter disputat. Eximia etiam monita poteramus referre, quibus eum instruit, qui velit recte & eleganter interpretari Leges Digestorum & utriusque Codicis, tanquam de inscriptionibus & subscriptionibus legum, earumque utilitate, de quinquennalibus, & id genus solennitatibus aliis, de consulatibus sub Imperatoribus, de divisione imperii, in Legum interpretatione attendenda. Sed verebamur ne nimis longa foret oratio. Unum tantum errorem Heineccianum adhuc proferemus, quem castigat Cel. Ritterus. Heineccius igitur *§. CCCCVII.* ait: Mich. Attaliatam scripsisse πόνημα, s. πραγματικὴν a Leunclavio sub titulo σύνοψις ὡσανεὶ συνόψεων editam. Hunc errorem & ceteri Scriptores historiæ Iuris commiserunt, dum Attaliatæ πόνημα laudant, inducti vitio operarum apud Suaresium in Not. βασιλ. & Bibl. Gr. non inspecto Frehero. Tum vero, si, quod debet, ποίημα edidissent, tamen ne sic quidem inscriptionem operis recte retulissent: est autem integra: Μιχαὴλ Ατταλιάτȣ ποίημα νομικὸν ἤτοι πραγματικὴ. Neque unquam, quod Heineccius dicit, ille liber, sub titulo σύνοψις ὡσανεὶ συνόψεως, in lucem editus est.

Iam igitur unusquisque, his speciminibus cognitis, intelliget, quantum splendoris Heinecciano libro, quantum emolumenti ac lucis Historiæ Iuris, & omnino elegantioribus litteris, per has Viri Doctissimi observa-

 tio-

tiones accesserit. Quibus, non dubium est, quin sibi omnes elegantioris Iurisprudentiæ studiosos magno beneficio obstrinxerit.

NOVA LITTERARIA.

Est in præclara Illustrissimi Zaluskii Bibliotheca, Varsaviæ, inter multos alios, Codex MSCt. insignem Historiæ Polonicæ partem, ab excessu Vladislai IV ad pacem Olivensem, adeoque annales annorum XII. regnante Ioanne Casimiro, Libris IX. complexus. Auctorem istius Libri se professus est Laurentius Ioannes Rudawski, *Cathedralis Ecclesiæ Olomucensis olim Canonicus, S. Cæs. Maiest. ac Serenissimi Leopoldi Guilielmi, Archid. Austriæ, Consiliarius, natione Polonus; unoque ore fatentur, qui legerunt, non dictionis solum gravitate, sed dexteritate etiam, atque monumentorum fide dignissimorum copia, eum Auctorem commendari. Quod si ita est, inerunt profecto Operi multa, quæ ad Sueciæ Regis, Caroli Gustavi, Electoris item Brandenburg. Friderici Wilhelmi, res in Polonia gestas, spectent; quod eo pertinebit, ut Historiarum etiam extra Poloniam amatoribus lectu dignus liber sit. Iuvat, quæ de se ipso Auctor, initio operis, profitetur, adscribere. Ita vero ille:* Exacti historiam temporis tradidit Paulus Piasecki, Episcopus Præmisliensis, Senator Regni, a Stephano I. Polonorum Rege in Vladislaum IV. mihi a Ioanne Casimiro, ultimo per matrem Jagellonide, principium & finis. Tres illi Reges; unus mihi: cuius infelicissima tempora memorem. Ille universæ Europæ, ego Poloniæ miracula toti orbi scribo. Illi ab infula, mihi ab opere & materia dignitas sit. Utrique in religionem æqualis amor, in patriam fides.

fidei. Haec enim duo me adigunt, fides & pietas, ut loquar, ut scribam. Mentiantur exteri, imponant adversarii, mihi nihil tale obiici potest, qui sacris iam pridem initiatus, nec blandiri possum, nec assentiri cupio. In medio quoque vocationis meae positus, & vitae sanctitatem professus, nec Reipublicae Polonae aut partium unquam implicitus curis, procul ab omni affectu gesta recenseo, ne aut falsum dicam, aut vera omittam. Servavi quantum potui, & ordinem temporum, regionumque adieci descriptionem, scrutatus sum consilia, non adeo in profundum defossa, aut in Sacrario abdita, addidi actus, apposui rerum magnarum, una cum causis, eventum, probavi & improbavi consilia, in rebus gestis modum dicti aut facti observans. Hinc nihil mihi, homo alias umbraticus, arrogo. Opera, & stylus, mea sunt; cetera actorum: nullam a quopiam expecto mercedem, coelum mihi merces sit. quod tribuat iustus remunerator Deus. *rel. Hunc librum, bono rei litterariae, Illustriss. Zaluskius, Regni Referendarius*, Laurentio Mizlero, *V. C. qui Medicinam Varsaviae facit, edendum dedit. Huius igitur opera, auctus etiam animadversionibus, forma integri folii, sex forte alphabeta, ut vocant, expleturus, prodibit anno proxime secuturo, quemadmodum peculiari programmate perscriptum est. Qui aureum numeraverit ante, quam October mensis effluat, accepta a Mizlero Syngrapha, exemplum operis recipiet. Nobis, omne hoc institutum, hoc magis probatur, quo praeclarius est, historiam patriam illustrari a civibus, rerum gentis suae gnaris; in quibus & Rudavskyum numerandum esse, non est dubitandi locus. Accedit & hoc, omnem fere illorum temporum historiam, hac historiae Polonicae particula, multum iuvari.*

Prodiit in Bibliopolio Io. Frid. Gleditschii: Graecum Lexicon manuale, tribus partibus constans, herme-

 nevti-

nevtica, analytica, synthetica, primum a *Beniam. Hederico* institutum, post repetitas *Sam. Patricii* curas, nunc auctum myriade amplius verborum, innumeris vitiis repurgatum, plurimisque novis significatibus verborum locupletatum, cura IO. AVG. ERNESTI. *Alphab.* 4. *plag.* 6. 8vo *mai. Cum in caussis, propter quas tam pauci ad lingua Graeca vel mediocrem scientiam perveniant, iure numerentur vitia Lexicorum, quibus puerilis aetas utitur: vehementer, omni tempore, optatum fuit, ut viri excellenti Graecarum litterarum scientia praediti, ad instituendi Lexici curam se demitterent, utque tironibus in eo genere consulerent, nec eos imperitis hominibus per Lexica vulgaria corrumpendos permitterent. Sed dum ii huius laboris molestiam pertinaciter declinarunt, eumque nec sua doctrina dignum, nec satis sibi honestum putarunt: invaserunt eam provinciam homines imperiti, inscitiaque sua plus nocuerunt literis, quam illi deinde exquisita sua doctrina prodesse potuerunt. In quo Graeca lingua inprimis iniqua fortuna usa est: nam latinam, summi homines, Erasmi, Camerarii, Melanchtones, aliique, egregie iuverunt. Hederici Lexicon manuale Graecum, quod nunc maxime versatur in manibus tironum, putaturque esse in genere compendiario optimum, omnibus iis vitiis urgebatur, quibus cetera lexica vulgaria. Eius recudendi consilium bibliopola posteaquam cepisset, recensendi curam imponi sibi passus est vir Graece latineque doctissimus* IO. AVG. ERNESTIVS, *Humanior. litterar. in hac Academia Professor, Collega noster: eoque labore tam est egregie defunctus, ut Lexicon tironibus dederit, quo tuto utentur imposterum. Hedericus, qui instituerat lexicon, vir bonus cetera & laboriosus, sed Graece doctus, & ad tale Lexicon rite conficiendum, satis a lectione Graecorum Scriptorum instructus non fuit. Scapulam, aliaque lexica vulgaria, descripsit, doctorum hominum de verbis plurimis observatio-*

vationes ignorabat, nec ipse e lectione Scriptt. meliora didicerat. Accedit, quod & vitiis operarum decipi se passus est, unde manarunt innumera peccata. Ea omnia correcta sperabant se reperturos emtores editionis, quam Samuel Patricius, *Scholæ Carthusianæ apud Londinenses Hypodidascalos, curavit: præsertim quod in præfatione dixit, se diligenter hoc opus correxisse, vivatque in ea insula, quæ sibi Græcarum literarum principatum vindicare videtur, in qua Græce docti homines pæne nasci videantur: adeo mature ibi omnes Græcos scriptores vel difficillimos intelligunt & emendare possunt. Sed omnia alia deprehenderunt, cum legerent; intellexeruntque, Patricium Britannum non plus in Græcis posse Hederico Germano. Pudenda Hederici peccata omnia sanctissime conservata sunt, novisque, turpioribus etiam, aucta: ita ut mirum sit, si Carthusiani pueri Hypodidascalum suum intelligant. His omnibus Lexici Hedericiani navis medelam attulit* Ernestius, *V. Cl. Prima ei cura fuit, ut talia peccata tolleret, corrigeretque, si quid parum vel recte, vel accurate, vel perspicue scriptum esset, in significationibus vocabulorum tradendis. Tum in verbis, quæ Grammatici proprie dicunt, operam dedit, primum ut activa & media, etiam tempora interdum, ex usu optimorum Scriptorum, distingueret; deinde ut significationes in πολυσήμοις digereret diligentius, &, quoad fieri posset, a propria & prima significatione quomodo cetera ducerentur, ipso ordine indicaret. Auxit etiam priorum significationum numerum, e suis aliorumque observatis. Sed maxime in hac parte laboravit hoc, ut accurate exponeret verba e præpositionibus composita, in quibus explicandis omnium adhuc Lexicorum stultitia accusanda est, tribuentium interdum præpositionibus aliquam vim, ubi, ex usu loquendi veterum, nullam habent, aut falsam adeo, aut ita exprimentium, scilicet e vulgatissima cuiusque significatione, ut nemo intelligere possit. Denique ipsis verbis*

bis locupletavit hoc Lexicon Ernestius V. C. adhibuitque etiam Dan. Scotti appendicem ad Thesaurum Stephani, Londini 1745 duobus Vol. in fol. editam, ex qua permagnus numerus verborum accessit: etsi liber ille, innumeris peccatis refertus, magna emendatione eget, quod suis ad hanc appendicem castigationibus, quas meditatur Ernestius, planum faciet. Idem tertiam Lexici partem, quam syntheticam vocavit Hedericus, sublatam volebat; sed librarii putabant, eam rem suis rationibus obfuturam, quod in Scholis multus eius usus esset, ubi tirones iubentur subinde latina graece vertere, aut epistolas, oratiunculas, carmina graece scribere. Quod inutile atque noxium institutum, utinam aliquando dimittant, qui in scholis docent: nam neque graece scribendi facultas ullum hodie usum habet, neque, si habeat, nisi graecis scriptoribus melioribus legendis, & accurate cognoscendis, comparatur. Cessit igitur librariorum voluntati Ernestius, hac tamen conditione, ut totam eam partem intactam relinqueret, quae quamvis vitiosa, sanioribus, & ab ista ratione alienis, nihil noceret, quamvis correcta, stultis nihil prodesset.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCLIV.

SACRORUM EVANGELIORUM VERSIO GOTHICA ex Codice argenteo emendata atque suppleta, cum interpretatione Latina, & annotationibus ERICI BENZELII, adiecit, & Grammaticam Gothicam præmisit, EDWARDUS LYE, A. M.

Oxonii, e typographeo Clarendoniano, 1750, 4.

Alph. 2.

Post duas antiquiores *Francisci Iunii*, & *Stiernhielmii*, Evangeliorum gothicorum editiones, quæ Codicis argentei nomine vulgo veniunt, tertia iam in lucem prodit, eaque politior & emendatior multo Editio. Non nisi optimi ominis res est, adornatam eam esse studio & opera *Cl. V. Benzelii*, Archiepiscopi Upsaliensis, Bibliothecæ quondam Upsal. præfecti, qui, ab ineunte adolescentia, se uno caluisse antiquitatum borealium studio, in præfatione fatetur ipse. Vix enim a *R. Carolo XII.* Bibliothecæ admotus, involabat in codices antiquos, spe inveniendi nonnulla, saltem litteraturam Romanam iuvatura. Frustratus autem hac spe, animoque in borealem litteraturam converso, colligebat varia, antiquitates patrias, medii præsertim ævi, illustrantia, in monumentis ecclesiæ Sueo-Gothicæ postmodum edita. Tandem conferre cœpit codicem argenteum cum editione eius prima, a *Francisco Iunio* Dordraci A. 1665. adornata.

Iam quidem Londini aliquem linguæ gothicæ prægustum ipsi dederat cel. *Hickesius:* non tamen deerant difficultates manum operæ admoventi. Evanuerat enim multis in membranæ locis scriptura; ardore tamen iuvenili incitatus, ad veriores lectiones indagandas, non destitit ante, quam integro codice perlecto. Sic restituto *Ulfila*, quia multa Evangelistarum loca mire ita corrigi posse videbat, versionem latinam aggrediebatur monumenti biblici, inter vetustissimas N. T. translationes numerandi. *Stiernhielmius* quippe, in editione Holmiensi, versiones quidem iunxerat, latinam, Suecanam, & Islandicam; verum non textui gothico attemperatas, sed vulgares. Annotationes deinde nonnullis locis subiunxit, partim ut digito quasi monstraret loca editionis *Iunianæ* emendata, partim ut Gotho interpreti, vel versione, vel interpunctione commoda, lucem fœneraretur; suumque de explicatione quorundam locorum iudicium subinde addidit.

His præmissis Cap. 2. quæstionem veterem attingit: Græcone ex fonte profluxerit versio hæc Moesogothica? porro, gothica ne sit, an potius theotisca? tandem, unde Gothis græcæ linguæ notitia? & quæ sunt rel. Hæc omnia paucis solvere aggreditur auctor.

Et primæ quidem quæstioni affirmando satisfecit: textumque græcum revera versionis auctori præ oculis fuisse, sequentibus confirmavit locis, quæ nos, charactere gothico destituti, litteris latinis exprimemus:

Luc. cap. 2. v. 15. *καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες*: ita redditur gothice: *Gab thai mans thai Hairdgos:* i. e. germ: *Und die Manner, die Hirten:* ubi latinus unico vocabulo dicit: *& pastores.* Latino igitur textui si se conformasset interpres gothus, non nisi *thai Hairdgos* posuisset, evitatis illis græci textus ambagibus.

Cap. 7, 49. *καὶ ἤρξαντο οἱ συνανακείμενοι*, ita gothice, ad verbum redditur: *Gab angunnun thai mithanakumbgandans:* i. e. *und es begunnten die mit beysitzenden:* nulla ratione habita textus latini: *& coeperunt qui simul accumbebant.* Notari tamen meretur, quod vocabulum *anakumbgandans*, sem-

semilatinum, *accumbendi* vocem non ignotam translatori fuisse satis indicet.

Addimus *Matth. XXVII*, 52, ubi verba: καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων: reddita sunt: *Gab managa leika thize ligandane veihaize;* id est, *und manche Leichname dieser liegenden Geweiheten*, id est, & multa corpora iacentium sanctorum. Addimus nos observationem: voculam *Gab*, &, manifesto indicio τὸ καὶ Graecorum referre, a Moesogothis ad Danubii ripas, in confinio Graecorum Seculo tertio quartoque incolentibus, in suam forte linguam cooptatam. Vt brevibus multa dicamus, semper fere interpres Gothus ordinem syntaxinve verborum Graecorum presso pede secutus est; uti vel ex precatione dominica patet. Nec obstat, quod saepius cum latina quoque versione coincidant verba gothica: quippe quae utplurimum etiam textui Graeco magis accommodata deprehendas, quam a latine scribente fieri debuisset.

Cap. III. Gothica ne sit an theotisca interpretatio? disquiritur. Et nobis vero ambigua quaestio videtur; antequam, quid per gothicam intellectum velit Auctor, definitum fuerit. Si de gothica Suecica, vel Scandinavica sermo ipsi sit, in promtu erit negare quaestionis membrum primum. Verum non solos istos transmarinos populos, Gothos appellatos fuisse, satis indicant antiquissimae *Getarum* ad ostia Danubii sedes, ab *Herodoto*, immo *Homero* iam memoratae. Ab his itaque coloniae sensim in magis boreales plagas emissae, ad balthici maris ripas insulasque penetrarunt; ita tamen, ut Thracibus contigua semper maneret ingens Gothorum natio, per Chersonesum Tauricam Scythiamque Europaeam diffusa. Hoc si nobiscum pro vero habeatur, veterum testimoniis facillimo negotio confirmandum; gothica utique dici poterit versio? Theotiscae tamen medii aevi multo propior esse, similiorve, quam Sveo-Gothicae isti, vel antiquiori, vel recentiori dialecto esse deprehenditur. Et haec quidem nostra est opinio.

Verum longe a nobis abest doctissimus *Benzelius*. Postquam enim motam hanc litem, interque *Hickesium* & *Lacrozium*,

zium, atque *Laurentium Arnellum* & *Davidem Wilkinſium*, agitatam, indicaſſet, ad expendendas *Arnæ Magnæi* rationes ſe confert, in Epiſtola ad *Ad. Frid. Basſewitzium*, Magn. Brit. Reg. ad Suec. Reg. 1719 & 1720. Legatum, perſcripta, propoſitas; quibus, non *Gothicam*, ſed *Germanicam* potius eſſe verſionem Codicis argentei, evincere ſe poſſe credidit. Egregia ſunt, fatemur, *Arnæ Magnæi* argumenta, ex intimis linguæ huius penetralibus deprompta, & cum idiotismis Germanicæ linguæ comparata. Falluntur ſine dubio Sueci, quod pace ipſorum dictum ſit, ubi Oſtrogothos Weſtrogothosque iſtos, qui, Romanum imperium evertentes, Italiam, Galliam, Hiſpaniamque occuparunt, ex parvis provinciis ſuis, Oſtrogothia & Weſtrogothia, erupiſſe ſibi perſuadent. Unde autem venerint, ex ſuperius a nobis monitis ſatis patet.

Supponit *Magnæus*, & iure quidem, eandem loqui linguam, ſuperioris & inferioris Germaniæ incolas, Provincias fœderatas, Holſatos, Danos, Suecos, Norwegos & Islandos; dialectis tamen a ſe invicem omnes abire diverſis. Poſthabitis iam minoribus cognatarum dialectorum differentiis, maior quædam obſervatur diſcrepantia, inter idioma Germanorum cismarinorum, & inter borealium populorum transmarinorum dialectos omnes. Et 1) quidem Germani demonſtrativos articulos vocibus præponunt: *der Kænig*, *die Macht*, *das Reich;* Dani vero, Sueci, Norvegi, Islandi, articulis minime utuntur: *Kongen*, *Magten*, *Riget*. 2) Germani nulla agnoſcunt verba paſſiva, per auxiliaria verbi ſubſtantivi *eſt* formanda: *Ich werde geliebet*, *ich werde gebunden*. Dani vero & Sueci paſſivis propriis gaudent: *Iag elskes*, *iag bindes*. 3) Germani ſupinis & præteritis augmenta præfigunt: *gegeben*, *gegangen*: id quod apud ſeptentrionales populos prorſus exulat &c.

His aliisque obſervatis, in proclivi eſt, Codicis argentei verſionem pro Germanica potius agnoſci, quam pro Suecica, vel Sueo-Gothica, debere. Et primum quidem quod attinet ad Pronomina ſcil. demonſtrativa, centies eadem in Evang. Gothi-

thico occurrunt: e. g. Luc. IX, 37. *af thamma fairgunga: von dem Berge.* Luc. X, 15 *us thamma veinagarda: aus dem Weingarten.* Matth. VIII, 24. *thata skip: das Schiff*, ubi nunquam Sueci Danive simile quid adhibent. Passiva verba composita cum auxiliaribus vid. *Matth. VIII, 24.* ubi *gahulit wairthan: gehehlet werden, verborgen seyn*, Græc. καλύπτεσθαι; augmenta vero temporibus præteritis præfixa, omnibus paginis invenies: *gababan, gehaben, gehalten; gahailjan, geheilet*, sanare; *gabrainjan, gereiniget; galausjan, gelöset; gasitan, gesessen*, rel. quæ omnia nemo Septentrionalium pro dialecto sua habere potest.

Pergit *Magnaus* ad alteram quæstionem, an ex Græco fonte translata sit versio hæc? Et dubium quidem movent nomina vocabulaque nonnulla terminationis Latinæ, Gothicæ versioni subinde intrusa, e. g. *Thaiaufeilus, Theophilus, Thaddaius, Lazarus, Zaccaius, Xristus, Peilatus*, & alia. Porro manifeste latina sunt *Aquos:* flumina Matth. VII, 25, 27. *Aquai*, flumine, Marci I, 5. *Kubitums*, Luc. IX, 14. *Anakumbjan*, discumbere; *militondans*, milites, Luc. III, 14. *Vidovo*, vidua, Luc. VII, 12. &c. Verum sunt alia plura, quæ, ut supra monstratum est, satis ostendunt, Græcum potissimum Codicem versioni adhibuisse utplurimum interpretem; licet Latina quoque translatione subinde uteretur. Et nostram quidem hypothesin superius indicatam secutus, nullo negotio ostendere poterit, *Ulfilam*, Gothorum in Mœlia Episcopum, cum Græcis æque ac Latinis, circa & ante Theodosii Magni tempora, versatum, in provinciis Danubio adiacentibus, utramque linguam satis calluisse, & utraque in opere suo concinnando usum esse.

Mittimus reliqua huius epistolæ, quæ nostra non facimus; scil. non ex Græco fonte, sed ex Latina lingua fluxisse versionem hanc, nec propterea ab Ulfila profectam esse, &c. paucis tantum, quæ doctissimo *Magnæo* regesserit *Benzelius*, memorare iuvat. Non negat hic, articulos in Codice argenteo obvios, cum Germanica convenire dialecto; verum antiquissimos Gothos suos boreales, etiam adhibuisse eosdem contendit.

Monumentis tamen aliis destitutus, ad Runicas inscriptiones provocat, ex Olai Verelii Runographia Scandica, *Cap. VIII.* petitas: e. g.

IN MOTHIR KVAM AT SUNAR ARFI.

i. e. *ich Mutter kam zu Sones Erbe:* & alia plura. Verum, aut omnia nos fallunt, aut nulla hic articuli vestigia occurrunt. Demus autem liberaliores, fuisse olim in Suecia articuli usum, ubi recentes *Getarum Orientalium* coloniæ in Scandinaviam deductæ, patriæ dialecti tenaciores adhuc essent: successu temporis tamen, uti fert omnium linguarum ratio, paulatim immutari potuit linguæ genius: *Getis, Gothis*, Gothinisque orientalibus, Danubii, Dnieperi, Vistulæque accolis, suam dialectum, vicino sibi Græco sermoni in articulorum usu similiorem, retinentibus. Quod autem reliquos Germanos etiam articulis caruisse credit Auctor, in eo contradicentia sibi habet omnia monumenta theotisca, *Ottfridum, Epinicii* Auctorem, immo & formulam sacramenti a filiis Caroli Magni præstiti. Nec in eo consentientes nos habebit, a Græcis inter bellandum demum assumsisse Gothos articulorum usum. Antiquissimus enim fuit Getarum populus ad Ponti Euxini littora; Græcosque ipsos, utpote ex colluvie multorum populorum, Pelasgorum, Phœnicum, Aegyptiorum, enatum populum, antiquitate superavit. Tantum itaque abest, ut a Græcis mutuaverint articulos Gothi, ut a Gothis potius, Thracibus, Celticisque aliis populis, quos inter Pelasgos, Macedones, Thessalosque, antiquissimos numeramus, Græci ipsi acceperint articulorum usum; a Phœnicum, Aegyptiorumque coloniis, minime arcessendum.

Capite IV. Gothorum historiam illustrare conatur Auctor; idque satis diligenter, ex scriptorum Græcorum Romanorumque monumentis, præstat. Gothos tamen Scandinavia antiquitus egressos esse, probaturum se quidem aliquando promittit, hic vero confirmare, & nostro quidem iudicio, prudenter prætermisit: ubi antiquiores multo sedes ipsis extra Scandinaviam, quam intra eandem, historicorum monumenta assignant.

Ad

Ad *Ulfilam*, Gothorum in Mœsia Episcopum, *C. VIII.* delatus, recte eos refellit, qui Cappadocem eundem fuisse, ex Philostorgio contendunt. Recte id ex nominis etymologia confirmat, quæ scilicet, remotis quorundam scriptorum detorsionibus, qui *Gudilam*, *Galfilam*, *Gulfilam*, immo *Urfilam* subinde vocarunt, aperte ἀπὸ τῦ *Ulf*, Suecico, id est, *Wolf*, Germanico, *Lupum* eum vocitatum fuisse docet. Consentit cum hac origine illa huius nominis expressio, qua *Vulfilam* & *Uulfilam* eum appellarunt veterum nonnulli. *Olavum* hodie nomen hoc pronuntiant Sueci; verum, ubi nullam terminationis Gothicæ, *ila*, rationem adiicit Auctor, monuisse proderit, mere Germanicam eam esse, in diminutivis formandis usitatam. Quemadmodum scilicet ex voce *Atta*, quæ patrem Gothice exprimit, *Attilam*, blandiendi significatu, Paterculum quasi dixerunt Gothi, Hunnive: quemadmodum porro ex *Barno*, quod infantem, sive puerum significat Gothice, *Barnilo*, puerulum, in Evangelio Ioannem vocitat Zacharias: ita ex *Ulf*, sive *Wulf*, *Ulfilam* sive *Vulfilam* (*Walflein*) id est, Lupulum, genio populi, blanditiis assueti, efformarunt: quod, an ex Suethicæ linguæ genio æque feliciter expediri possit, vehementer dubitamus.

Rectissime eodem Capite pag. 32. *Ulfila* linguam Gothicam, non nisi dialecto a *Theotisca* illorum temporum lingua discessisse arguit: indeque mirum non esse, quod frequentes in Evangelio Germanismi occurrant. Præterea ignoraturos nos existimat, qualis fuerit illo seculo Gothorum *extra patriam viventium* lingua, nisi Evangelii huius nos id edocuissent fragmenta. Lubentes quidem hoc concedimus; verum ne in Scandinavia quidem tum viventium lingua, ex coævo monumento quodam ostendi potest. Quæ enim lapidibus inscripta inveniuntur monumenta Runica, recentiora multo esse, facile apparet, multumque ab hac dialecto Ulfilæ discedere. Vix itaque *extra patriam*, id est Scandinaviam, Gothos eos vixisse; sed in ipsa patria sua, Scythia scilicet Europæa, a balthico mari ad Pontum Euxinum usque protensa, hoc sermone usos esse credimus, auctore Tacito; qui tribus ante Ulfilam secu-

seculis, Gothones ultra Lygios habitasse, L. de M. G. cap. 43. id est, intra Poloniæ Borussiæque hodiernæ fines, asserit.

Editor, Cl. *Lye*, quid hic tandem præstiterit, brevi præfatione indicatum est. Princeps observatio eius est, qua ex *Donii* inscriptionibus antiquis, a *Gorio* V. Cl. A. 1731. editis, locum quendam Gothicum, Ulfilæ dialecto scriptum, exhibet, ita legendum: *Ik Gudilubus, dkns tho frabauhta bok - - - fra - - - gavaurhta thuê dkns almola fidvor unk ga n. Hug - - Kaballarga gah killi - - anes rags andvorthu gah ufmelida.* id est: „Ego Gudilubus diaconus hæc vendidi: libellum fecit Frater Thue diaconus - - - quatuor uncias N - Hug - - (Hugo) caballariæ & Kili - - aneus - - renunciavit & subscripsit.“ Scite sane & feliciter, in misere detorto hoc monumento explicando, versatum eum esse testamur, eandemque prorsus linguam eius esse, quæ in Cod. arg. occurrit, sole clarius ipso existimamus. Supersunt itaque Gothicæ illius linguæ monumenta alia, a Gothis in Italia degentibus, durante ibidem imperio Gothorum, sine dubio scripta.

Grammaticam tandem Gothicam addidit operi editor, lectoribus, post Hickesii etiam labores, non inutilem futuram. Elegantissima ergo omni modo est editio hæc Codicis argentei; chartæ etiam ac typorum decore ornatissima: antiquissimum linguæ Germanicæ, vel si mavis *Gothico-Theotisca*, monumentum, multis modis illustratura; immo Scripturæ Sacræ interpretibus etiam nonnihil lucis subinde fœneratura.

SCIENTIA NAVALIS, SEU TRACTATUS DE CONstruendis ac dirigendis navibus. Pars prior, complectens Theoriam universam de situ ac motu corporum aquæ innatantium. Auctore LEONHARDO EULERO, Profess. Honor. Acad. Imp. Scient. & Directore Acad. Reg. Scient. Borussicæ.

Petropoli, typis Acad. Scient. 1749. 4 mai.
Alph. 2 plag. 16. Tabb. æn. 34.

Quod

Quod nunc Lectoribus nostris indicamus Opus incomparabile summi *Euleri*, eius est naturæ, ut novum atque insigne prorsus specimen applicationis eius, quicquid sublime habet Theoria, ad res practicas, & in vita humana longe utilissimas, exhibeat. Habuit Scientia navalis, (sub qua hic non eam partem, quæ de dirigendo cursu navium eatenus agit, ac a principiis astronomicis pendet maxime, sed quæ de construendis ac dirigendis navibus, e principiis mechanicis disquirit, intelligimus,) Viros quosdam, qui de Theoria ad eam applicanda cogitarent; inter quos præter *Io. Bernoullium, Renavium, Pitotum*, &c. nuper sese insigniter commendavit Cl. *Bouguer*. Ast, qui vadum eousque tentaret, & quicquid in re adeo ardua atque intricata occurrere potest, Theoriæ tam feliciter subderet, hactenus fuit nemo. Sed non melius de dictorum nostrorum veritate convincentur Lectores, quam si statim ad ipsam Operis summam iis delineandam accedamus.

In *duas Partes* totum dispescitur. *Prima* Theoriam corporum solidorum, aquæ innatantium, generatim pertractat; *altera*, hanc speciatim ad navis constructionem & directionem applicat. Initium fit *Cap. I* de *æquilibrio corporum aquæ insidentium in genere*. Etsi iam satis cognita sint, quæ hoc Capite proponuntur; tamen, cum sequentibus omnibus fundamenti loco inserviant, optime hic e primis principiis recta derivantur. E legibus nempe generalibus pressionis fluidorum ostenditur, quid requiratur, ut corpus aquæ innatans in æquilibrio consistat: alterum a quantitate virium oppositarum pendens, ut pondus aquæ, volumine parti corporis submersæ æqualis, æquetur ponderi totius corporis; alterum a directione earundem, ut centrum magnitudinis partis submersæ, (seu, quod idem est, centrum gravitatis massæ homogeneæ, ut aquæ,) & centrum gravitatis totius corporis, iaceant in eadem recta verticali, seu normali ad sectionem corporis, ab aquæ superficie factam. Duabus hisce conditionibus, corporis situs in aqua perfecte determinatur. Applicatur hoc ad casus quosdam speciales, ut ad triangulum, & rectangulum; & conditiones, quibus aquæ innatare possunt, evolvuntur. Iam quid Pag. 1.

 acci-

accidat, si corpus a vi externa paulum e statu æquilibrii est depulsum, investigatur. *Capite II.* de *corporum aquæ innatantium restitutione in æquilibrium.* Præmittuntur hic principia, ex ipsis Mechanicæ fontibus hausta, de effectu potentiarum, corpus finitæ magnitudinis sollicitantium in genere, quæ vix adhuc alibi adeo concinne ac dilucide tradita reperiuntur. Demonstratur nempe primo, si corpori, cuius partes firmiter cohærent, applicentur potentiæ quævis; eius centrum gravitatis moveri eodem modo, ac si in eo totius corporis massa esset concentrata, eique potentiæ omnes in suis directionibus coniunctim applicatæ. Hinc ergo generatim definitur motus centri gravitatis. Cum autem præterea corpus motu gyratorio circa hoc centrum affici possit: ulterius ostenditur, vim hanc gyratoriam haberi, si summa momentorum singularum potentiarum, in punctum fixum (ut hic considerari potest centrum grav.) dividatur per summam factorum e singulis corporis particulis in quadrata distantiarum eorum a puncto isto. His duobus iam definitur motus corporis rigidi cuiusvis, e situ æquilibrii deturbati. Applicando hæc speciatim ad corpora aquæ innatantia, invenitur, corpore e situ æquilibrii depulso, centrum grav. vel quiescere, vel moveri directe sursum deorsumve. Ut vero motus corporis ipsius erui possit, considerandus est generatim motus gyratorius circa axem integrum. Est vero tunc vis gyratoria æqualis itidem summæ momentorum potentiarum in axem, divisæ per summam factorum e singulis particulis in sua quadrata distantiarum ab isto axe. Hanc ultimam summam Cel. Auctor dicit *momentum inertiæ*, idque pro corporibus quibusvis vel maxime compositis, ad quemcunque axem facile invenire edocet. Iam, cum e potentiis quomodocunque applicatis oriri possit motus & corporis, & ipsius axis, maxime irregularis, qui investigatu foret longe difficillimus: eum in præsenti ita restringit, ut supponat eum fieri circa tres axes per centrum grav. transeuntes, inter se normales, unum verticalem, duos horizontales, ita quidem, ut nullus motuum horum turbetur a reliquis. Hoc posito, generalis constit solutio Proble-

blematis, de definiendo motu corporis cuiusvis aquæ insidentis, e situ æquilibrii depulsi. Exinde iam porro nascitur idea *stabilitatis corporum*, circa quam versatur, *Cap. III.* Si enim corpus aliquod e situ æquilibrii paulum dimovetur, duplex casus oriri potest. Vel id adhuc magis e situ isto recedit, & prolabitur; vel se ipsum in priorem situm restituere tendit. Vis ergo hæc, qua corpus in statu æquilibrii persistere, in eumque se restituere tendit, vocatur ab Auctore *stabilitas* eius. Facile patet, eam æstimandam esse e momento potentiæ restituentis, si corpus, dato angulo infinite parvo, e situ æquilibrii declinetur; ideoque eius mensuram fore momentum restitutionis per angulum declinationis divisum. Hæc stabilitatis Theoria, cum & in se sit valde elegans, & in construendis ac onerandis navibus maximi momenti; eam accuratius & fusius hic evolvere, omnino e re duxit V. C. Methodum, qua in hac investigatione versatur, quod attinet, a casibus simplicissimis exorsus, primo tantum figuræ planæ, aquæ verticaliter insistentis, stabilitatem definit, ac motum inde resultantem. Est autem is oscillatorius, motui penduli prorsus similis. Utrumque speciatim in figuris quibusdam simplicioribus, triangulo isoscele diversimode posito, quadrato, & rectangulo, accuratius examinat. Hinc transit ad ipsa corpora. Ante omnia considerandus hic venit axis horizontalis, per centrum gravitatis transiens, respectu cuius examinatur stabilitas; qui cum possint esse infiniti, duos tamen hic saltem considerat, sibi invicem normales, (nempe in navi alterum secundum longitudinem, secundum latitudinem alterum,) quippe cum, si circa duos eiusmodi corpus sit stabile, hoc idem futurum sit circa intermedium quemvis. Hoc posito, iterum definitur pro corpore quovis cum stabilitas, tum motus oscillatorius, per formulas generales valde concinnas. Illustrantur hæc applicatione specialiori ad corpora varia simpliciora, eaque talia, quæ vel in constructione navium occurrunt, vel ad experimenta instituenda sunt maxime accommodata; ut prisma rectangulum, rhomboidale, triangulare, cylindrus, vel alia corpora, e duabus curvis, ad formam navis infra in spinam

Pag. 86.

coeuntis, composita. Viciſſim etiam in tales figuras inquirit, quæ conditiones ſtabilitatis præbeant idoneas.

Abſoluta iam penitus eorum, quæ ad æquilibrium & ſtabilitatem corporum aquæ inſidentium pertinent, conſideratione, pergit nunc ad ipſum eorum motum progreſſivum determinandum. Satis autem liquet, eum maxime pendere a reſiſtentia aquæ, cuius itaque Theoria præmittenda eſt. Huius autem effectus cum generatim idem ſit cum viribus quibusvis corpori applicatis; hinc principia adhuc generalia A. proponit
Pag. 169. antea *Cap. IV* de *effectu virium, corpora aquæ inſidentia ſollicitantium.* Primo hic eas mutationes conſiderat, quæ in corpore ipſo, nullis accedentibus viribus alienis ſeu externis, oriri poſſunt. Inquirit nempe, quid fiat, ſi manente toto corporis pondere, pars eius certa, ſeu onus in navi, in alium locum transferatur, & qualis inde motus centri gravitatis conſequatur, qualem ſitum corpus inde nanciſcatur, & quanta poſt mutationem fiat ſtabilitas. Dein ipſum corporis pondus integrum mutari quoque ponit, vel novo onere impoſito, vel quodam impoſitorum ablato, quo ipſo, præter effectus modo notatos, fiet, ut illud aquæ magis minusve immergatur. Applicando hæc ad naves, elicit inde prærogativam eius generis navigiorum, per quorum ſectiones omnes una eademque tranſit recta verticalis; utpote quæ, mutato onere, nullam aliam inde mutationem recipiunt, quam ut verticaliter ſolum aſcendant deſcendantve, absque ulla inclinatione. Porro iam tranſit ad eas mutationes, quæ a potentiis quibusvis, navi applicatis, ſunt oriundæ. Poteſt autem effectus potentiæ clariſſime uno obtutu conſpici, ſi perpendatur, eum generatim poſſe eſſe quintuplicem. Nimirum poteſt is, vel in motu centri gravitatis, vel in motu corporis circa hoc, conſiſtere. Prior eſſe poteſt vel verticalis, vel progreſſivus. Poſterior circa axem vel latitudinalem, vel longitudinalem, vel verticalem. En igitur caſus quinque ſequentes. Primo corpus ab ea vel profundius aquæ immergi, vel ex hac extrahi poteſt; qui eſt effectus potentiarum verticalium, & inſtar onerum, (de quibus paulo ante), agentium. Secundo navis de ſuo loco motu

motu horizontali promoveri poteſt, quo pertinent remi, ventus, ipſa aqua, aliæque vires. Tertio eadem inclinari poteſt circa axem quendam horizontalem per centrum gravitatis transeuntem, qui, ad planum verticale per ſpinam ductum, ſit normalis. Quarto hæc inclinatio fieri poteſt circa alium axem horizontalem, ſecundum navis longitudinem ductum. Ad duos enim hos axes, omnis inclinatio circa axem alium quemvis facile eſt reducenda. Quinto denique navis circa axem verticalem, per centrum grav. transeuntem, converti poteſt; qualem effectum præſertim gubernaculum producit. Omnes hoſce effectus, etſi inter ſe connexos, ſeparatim tamen conſiderat Cel. Autor, & pro ſingulis, primo, an talis a potentia data produci queat, an ſecus? deiu qualis quantusque futurus ſit, diſtinctiſſime evolvit. Ad hos autem inter ſe comparandos, eorumque differentiam intimius perſpiciendam, notandum eſt, motum primum, quo navis aquæ immergitur, vel ex ea emergit, ſtatim ſiſti, ac tanta navis pars ſub aqua verſatur, quæ ad æquilibrium requiritur; ſecundum vero progreſſivum, ſi ſemel fuerit impreſſus, perpetuo conſervari, niſi quatenus ab aquæ reſiſtentia retardatur. Pariter motus duos circa axem horizontalem, longitudinalem, latitudinalemve, ſtatim ceſſare, quatenus inclinatio facta eſt tanta, ut a ſtabilitate navis æquilibrium conſequatur; ultimum vero motum circa axem verticalem ſubſiſtere tamdiu, quamdiu adſunt vires convertentes, nec effectus earum a reſiſtentia aquæ abſorbetur.

Poſitis his, iam Theoriam de reſiſtentia aquæ examinandam ſumit Cel. Auctor. Primo nempe *Cap. V* de *reſiſtentia, quam figuræ planæ, in aqua motæ, patiuntur*, agit. Ad Principium, quo generatim utitur in determinanda reſiſtentia, quod attinet, primo quidem aſſumit particulas aquæ perfecte molles, & omni elatere carentes, ut experimenta ſuadere videntur; unde prodit reſiſtentia aqualis duplo cylindro aquëo, cuius baſis eſt ſuperficies data, altitudo autem velocitati aquæ debita. Cum tamen experimenta pro ſimplo cylindro militare videantur, idemque cum doctrina conſervationis virium congruat: poſteriorem hanc hypotheſin aſſumere, eique to- Pag. 206.

tam reſiſtentiæ doctrinam ſuperſtruere, non dubitavit. Elicit iam primo regulam cognitam de reſiſtentia exiſtente ſemper in ratione compoſita e ſimplici arearum, duplicata celeritatum, & duplicata ſinuum incidentia. Hanc ſtatim applicat ad gubernaculum, (quod eſt figura plana), definiendamque eius vim ad convertendam navem circa axem, per centrum gravitatis transeuntem. Hinc eiusdem applicationem ad figuras planas, aquæ horizontaliter innatantes,ſubiungit; quas vero axe ſeu diametro præditas aſſumit, quia naves plano diametrali verticali per ſpinam transeunte gaudent,unde ſingulæ ſectiones horizontales præditæ ſunt diametro, ſpinæ navis parallela. Qua in re duplex occurrere poteſt caſus, prout nempe talis figura ſecundum ipſam diametri directionem, in aqua movetur, vel non: priori enim, media directio in ipſo diametro erit poſita; poſteriori vero, ea alium habebit ſitum, ſeparatim determinandum. Poſt traditas formulas generales pro linea quavis, & quidem in caſu priori, exempla varia curvarum ſimpliciorum conſiderat. Attendendo hic inprimis ad quantitatem reſiſtentiæ, demonſtrat, nullam abſolute determinari poſſe lineam minimæ reſiſtentiæ; quippe cum, propoſita quavis, ſtatim exhiberi poſſit alia minoris reſiſtentiæ, eius tantum partem, verſus eam regionem, quo fit motus, elongando. Quærenda eſt itaque linea minimæ reſiſtentiæ inter omnes, eandem vel aream, vel perimetrum habentes; ut hic fit a Cel. Auctore. Pergit dein ad figuras planas, ſitu verticali in aqua ſecundum directionem horizontalem progredientes; pro quibus pariter & formulas generales, & exempla exhibet. Reſumit figuras horizontales in caſu poſteriori motus non per diametrum transeuntis, utpote difficiliori. Patet hinc, curſum navium obliquum eo melius obtineri, quo maior eſt differentia angulorum, quos directio curſus & media directio reſiſtentiæ cum ſpina conſtituunt, hoc eſt, quo maior eſt reſiſtentia laterum navis reſpectu reſiſtentiæ, quam prora directe promota ſentiret; id quod fit, ſi navis conſtruatur valde longa & lateribus fere planis. Varias hic conſiderat figuras aquæ innatantes; quas inter tacere non poſſumus elegantem pro-

proprietatem generalem figurarum rectilinearum circulo inscriptibilium, in iis nempe, secundum quamcunque directionem in aqua promoveantur, mediam directionem resistentiae semper per centrum circuli transire. A figuris pergit Cel. Auctor *Cap. VI* ad ***resistentiam, quam corpora quaecunque, in aqua motu directo lata, patiuntur***. Considerat autem hic corpora saltem eiusmodi, quae gaudent plano diametrali verticali, quo in duo frusta aequalia & similia dividuntur, id quod pro navibus, (quo hic maxime respicitur,) sufficit; casumque ponit simpliciorem, quo cursus est directus, seu fit in ipso hoc plano diametrali. Ceterum hic eadem, qua ante, methodo versatur. Post exstructas nempe formulas generales, earum applicationem ad varia corporum genera tradit: qualia sunt conus, & generatim conoides quodvis, rectum vel scalenum, cono-cuneus sensu generali, corpus rotatione curvae cuiusvis genitum. Investigat dein solidum minimae resistentiae, idque addita adhuc ea conditione, ut sit capacissimum omnium. Haec vulgo omitti solet, sed & tunc elicitur curva, usui quaesito non debite inserviens, utpote cum axe non concurrens. Denique genera corporum difficiliora considerat, ubi sectiones omnes parallelae horizontales vel verticales sunt generatim curvae quaevis, modo inter se similes, imo saltem affines. Hoc modo in eo ambitu pertractata est resistentia, ut vix occurrere queat figura navis idonea, quae suam e praecedentibus solutionem non nanciscatur. Pag. 281.

Iam demum, (ut diximus), aggredi licet ***motum progressivum corporum aquae innatantium;*** quod fit *Cap. VII.* Primo quidem motum seu cursum directum, (hoc est, cuius directio a puppi ad proram directe tendit), & eum quidem rectilineum, considerat. Initio nempe corpus plano diametrali verticali praeditum in aqua quiescente motum supponit, motusque diminutionem, e resistentia aquae oriundam, investigat. Dein quaerit resistentiam & motum in aqua fluente. Ulterius ponit, id sollicitari continuo vi acceleratrice constante, & similiter motum inde genitum determinat. Posthac ad motum navium a vento examinandum transit, posito, Pag. 359.

ut ante, corpore plano diametrali prædito. Patet vero, motum navis initio quidem accelerari, hanc vero accelerationem cessare mox, quando vis venti propellens, e velocitate eius relativa oriunda, æqualis est resistentiæ aquæ, navemque tunc motu uniformi progredi. Hanc igitur celeritatem maximam inprimis definit Auctor. Eruitur hinc, lucrum haud adeo magni prodire momenti, etiamsi resistentia aquæ vehementer diminuatur. Notat hic Cel. Auctor insigne discrimen, quod inter naves, quæ vento, & eas quæ remis propelluntur, intercedit. Cum enim diminutio resistentiæ, in illis lucri parum afferat: in his contra plurimum interest hoc fieri, cum celeritates impressæ teneant rationem reciprocam subduplicatam resistentiarum. Quod & ipsa praxi confirmatum deprehenditur, cum triremes parte antica construi soleant acutissima, adeoque ad diminuendam resistentiam aptissima; naves vero vento propellendæ, obtusa satis, multoque maiorem resistentiam admittente. Pergit iam ad cursum obliquum, ubi primo pro navi in aqua stagnante, vel quiescente mota determinatur & via centri gravitatis, & cursus obliquitas. Pendet autem hæc inprimis a positione centri resistentiæ respectu centri gravitatis, prout illud vel proram, vel puppim versus, cadit, tunc enim obliquitas vel crescet continuo, vel decrescet. E principiis istis deducitur solutio variorum Problematum, elegantium non minus, quam utilium. Quæritur nempe vis venti, & velorum dispositio, ut navis, motu rectilineo, sub data cursus obliquitate uniformiter progrediatur. E data venti directione, & itineris conficiendi via, investigatur obliquitas cursus, ut navis quam celerrime promoveatur; (quod quidem haud aliter, quam per approximationem resolvere, rei natura permittit). Porro quæritur, cursus a navi instituendus, ut ea in regionem, e qua ventus flat, celerrime perveniat. Iam effectus venti quoque in cursu obliquo consideratur. Si nempe navis iam habeat motum seu cursum quendam obliquum, determinatur, quantum a vento vela inflante mutetur tam motus, quam cursus obliquitas; id quod pendet maxime a duobus angulis, altero, quem directio venti cum positione velorum com-

constituit, altero, quem directio velorum cum directione motus efficit. Porro examinatur, quantum cursus obliquus in fluvio a vi eius mutetur. Sed cum hæ & aliæ eiusmodi disquisitiones ad sequentem potissimum Librum, (qui ipsam applicationem Theoriæ præcedentis ad navigia tradet,) pertineant; filum hic abrumpit Cel. Auctor, & quædam saltem, ad motum navium quæ non sunt liberæ spectantia, addens, finem operis parti huic imponit. Supponit nempe, navem in fluvio ope funis puncto firmo ita alligatam, ut vel perpetuo respectu funis eandem positionem teneat, vel quoque circa ipsum hunc funem sit mobilis, & investigat inde motum, quem ea a vi fluminis acceptura sit.

CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIGII, PHYSIOlogiæ Professo. Publ. Ordinarii, Collegio Beatæ Mariæ Virginis Collegiati, & Societatis Regiæ Borussicæ Scientiarum sodalis, Institutiones Therapiæ generalis, prælectionibus Academicis accommodatæ.

Lipsiæ, ex officina Gleditschiana, 1754, 8.
Plag. 11.

Id, quod in partibus medicinæ ceteris theoreticis ad compendium redigendis sibi bene successisse senserat, respectu medicinæ practicæ sibi non minus efficiendum esse, censuit Auctor Clarissimus, ut artis faciendæ præcepta auditoribus ornate, succincteque traderet. Successit illi hoc negotium, veluti in omnibus, feliciter. Quid studiorum artem facturi ad praxin afferre debeant, docetur: *Indicationis*, quæ Syllogismus alicuis, & gradualis cogitationum, ad auxilium usque quæsitum, aliqua progressio est, norma & indoles explicatur; quæ cum varia est, tum maxime *vitalis, causalis, prophylactica, curatoria*, & *symptomatica* esse dicitur: siquidem opus est, ut medentes, mox auctorem vitæ sustinendum, mox resistentiam illi natam subigendam, sibi sumant, atque aliquando etiam, relicta interea causa, ad id, quod maxime urget, respiciant. Part. I. Cap. I. II.

Part. II. Qua ratione enim viribus ægrotorum, ſine quibus materia
Cap. I. morbi ſuperari atque mutari, aut ad debita ſua organa
Sect. I. ablegari nequit, ſubveniendum ſit nutrientibus, docendum
erat ſub initio, ſive illos reſpicias qui laborant, ſive illos, qui
convaleſcunt, intuearis. Utrisque enim, pro ſingulari unius
cuiusque ſtatu, vel morbi ætate, opus eſt, ut alimentis potiſſi-
mum, quibus morbi quoque cauſa debellari ſimul poſſit, nu-
Sect. II. triantur ac reficiantur. Tum & pharmacis uti neceſſum eſt,
quæ id ipſum efficere poſſint, ſimilitudinem ſcilicet cum prin-
cipio noſtro vitali habentibus, atque illi propterea accreſcere
Cap. II. valentibus. Hæc ſunt vel *analeptica*, halitu ſubtili, grato, fa-
Sect. I. cili, ubicunque applicata fuerint, ſubeuntia, oleoſa, ætherea,
II. vinoſa, alcalica volatilia; vel *ſtimulantia*, quibus vires vitæ lan-
guentes, inducta ſenſione ingrata, veluti ex aliquo torpore,
Part. III. ad agendum incitantur. Adiuvandus tamen Auctor vitæ, arte,
Cap. I. eſt; igitur invenienda ſunt auxilia, quibus evitari poſſit, ne ille
in malam rem & grave negotium gerendum delabatur. Hoc
fit, cum indicatio prophylactica aut præſervatoria formatur, at-
que vel errores, quibus efficitur ut homo ægrotet, corrigun-
tur, vel venenorum vis, quo minus illa, uti varia ſunt, nocere,
Cap. II. corpusque deſtruere poſſint, infringitur. Eſt autem unicui-
Cap. III. que ſua in morbum propenſio; optimus quisque ſanguis, cum
abundat, ſui ipſius motui obeſſe, atque vaſa quoque ſua in ſta-
tum violentiæ coniicere poteſt. Hic victu tenui, & ſeroſis eva-
Cap. IV. cuationibus auctis, corrigitur. Deinde efficiendum & hoc
eſt, ut humores vitales, quando varias cacochymias contra-
xerunt, cum reliquis, qui vitiati nondum fuerunt, revertantur
Pars IV. in gratiam. Hoc autem demum eſt ſanare, morbum præ-
Cap. I. ſentem, per vim *indicationis therapeuticæ* abigere. Hæc ad
ideam morborum ſimilarium, aut eorum, qui ſunt in mini-
mis corporis elementis, dirigitur. *Rigiditas* ſolidorum cor-
rigenda eſt: imminuendus cohærendi niſus eſt; motus ita re-
gendus eſt, ne fibræ porro occalleſcant; ingerenda, foris appli-
canda, ſunt ea, quæ fibras mollire poſſint, quorſum quoque
Cap. II. omnis de leniendis ſpaſmis theoria ſpectat. Oppoſita medi-
cina ſanantur morbi, qui ex *laxitate* vaſorum proveniunt, ro-
bu-

burque augendum est, motu partium, applicatu frigidorum atque medicamentorum, quæ vel gummi fragrans, vel aroma oleosum, vel amarulentum habent. Etiamsi autem medicina, Cap. III. quæ medicamentis, ab illa, quæ manu medetur, nunc divortium quodammodo fecerit: medentis tamen est, morbos quoque illos sanare posse, qui ab *unitate soluta* dependent, quæ combinanda, aut *in deperditi* locum nova substituenda est materies, consiliis, ad naturam vulnerum, fracturarum, gangrænæ, ulcerum vel similium morborum, quorum natura in unitate læsa ponitur, directis. Cum autem in fluidis maiorem par- Cap. IV. tem morbus hæret, oportet illa, cum tenues sunt, mucilaginosis, iurulentis, condensari; sicut illi ipsi, cum spissi sunt, Cap. V. quo inductis liquidis fundantur, postulant: id quod tenuissimis, stimulo tamen omnino haud orbatis, perficitur. *Acrimonia aci-* Part. IV. *da*, ex vegetabilibus alimentis nascens, intra primas potissi- Cap. VI. mum vias originem trahit. Igitur danda sunt remedia, quæ statim, sub ortu, acidum extinguant, terrea, partes animalium duriores, & illa, quæ ex his & Rhabarbaro miscentur, laxantia, hinc ea, quæ omni acredini opponuntur, diluentia, maxime autem aquea. *Acrimonia alcalica* illa, quæ simul & rancida & bi- Cap. VII. liosa est, præterquam quod victus, unde illa augeri possit, mutandus est, acidis vegetabilibus, ex minera prolectis, hinc iurulentis ac lacticiniis, extinguitur. Fit autem, quo, maxime in Cap. VIII. febribus, motus fluidorum & solidorum, in maius, quam vitæ leges ferunt, efferatur. Hic compescendus est, non tam sub- Cap. IX. ducta aliqua humorum parte, quod opportunum semper haud est, quam potius materie febris ad suum compulsa, quo vacuari Cap. X. possit, organon Vicissim quoque languidus humorum motus excitandus est, quando pituitosa ac inflammatoria spissitudo diluentibus imminuitur, vasis oscillatio amissa redditur, omnisque indicatio vitalis impletur; a quo fine adeo multum non distat ille, qui viscera aperienda attinet, cum & ille ad motus humorum languidos concitandos, impedimenta autem, traiiciendo liquido posita, amovenda, prospiciat. Sine armis autem militare cum Cap. XI. difficile sit, igitur materiæ medicæ, in compendium redactæ, bre- Sect. I. ve schema sistitur, &, quibus remediis primas vias, vomitum at- Sect. II.

que alvum movendo, purgari oporteat, exponitur, &, leges, ſecundum quas utrumque ſecure fieri poſſit, explicantur.
Cap. XII. Nec minoris eſt, ſerum ſanguinis ad ſua determinata colatoria
Sect. I. ducere, qua de re ſudorifera deſcribuntur: diureticorum, quæ
Sect. II. certo reſpectu dici quoque lithontriptica poſſunt, indoles ſi-
Sect. III. ſtitur; quid iuvet, ſalivam movere, & quibus pharmacis
Sect. IV. hoc efficiendum ſit, quantum etiam ſæpe interſit ſternutatio-
Sect. V. nem excitare, declaratur, ſimulque modi proponuntur, quibus
Cap. XIII. ex cute per medicamentum irritata ſerum elicitur. Cum ſanguis ducendus eſt, neque temere in illo negotio procedere medentes debent, neque timide. Tunc enim potiſſimum deplenda vaſa ſunt ſanguinis, cum illius adeſt denſitas, inflammatoria diatheſis, vel copia; quæ omnia, pulſuum ſignis recte perce-
Sect. I. ptis, maxime illo duro & magno, perſpiciuntur, ſive ex vena aperta ſanguis fundatur, ſive, cum res hoc poſtulat, cutis dis-
Sect. II. cindatur parvis vulnuſculis, aut ex arteria ſanguis dimittatur.
Part. V. Denique, cum conſultum ſit, ad urgentia etiam ſymptomata
Cap. I. aliquando deſpicere, de indicatione ſymptomatica, ſive palliativa, aliqua traduntur, quæ eo reſpicit, ut dolor urgens ſopiatur, atque ille, etiamſi ſatius ſit ad cauſam reſpicere, anodynis
Cap. II. proprie ſic dictis extinguatur. Similiter moderandi fluxus ſunt, quibus vires franguntur; atque id celeriter haud raro efficiendum eſt, adſtringentibus, aliisque motum compeſcentibus remediis. Veluti pluris æſtimandi ſunt, qui ſub parvo ſchemate rerum imagines ſiſtere poſſunt, ita quoque illi laudandi ſunt vehementer, qui vaſtas diſciplinas in nucleum cogere didicerunt; cuius ſcientiæ perſpicue ac ordinate docendi, ſe peritum eſſe, Clariſſimus Vir, & aliis permultis exemplis, & hoc erudito ſane opere ſcholaſtico, oſtendit.

RECHERCHES CRITIQVES ET HISTORIQUES SUR l'Origine, ſur les divers états, & ſur les Progrés de la Chirurgie en France.

i. e,

DIS-

DISQUISITIONES CRITICÆ ET HISTORICÆ DE Origine, vario ſtatu, & progreſſu Chirurgiæ in Gallia.

Pariſiis, apud Carol. Osmontum, 1744, 4.
Alph. 3. plag. 15. cum figg. æn.

Neminem facile ex eruditis Medicis, aut aliis literarum amantibus viris, futurum eſſe exiſtimamus, qui, ſive quod ipſe Pariſiis fuerit, ſive quod in iis, quæ Artium ſcientiarumque fata concernunt, incuriofus non ſit, nullam earum litium cognitionem habeat, quæ inde a multis annis inter Medicos & Chirurgos Pariſienſes ortæ ſunt, innumerisque fere ſcriptis protractæ. Effectum iis litibus eſt, ut tum Chirurgi acriore ſtudio ſe ad illas ſcientias applicarent, quæ ad verum Chirurgum formandum neceſſariæ ſunt, tum Medici quoque Pariſienſes ex illo quaſi ſopore excitarentur, quo ratione Chirurgices oppreſſi iacebant. Tamen, cum non hæc litis cauſa fuerit, non Medicorum tantummodo ac Chirurgorum famæ cœpit ea aliquid detrahi, verum, ut ſolet, Ars ipſa ignaræ plebi ludibrio eſſe, & ægrorum ſalus non raro negligi. His malis Rex Galliarum ante aliquot annos occuriſſe videbatur, cum Chirurgos a Barbitonſoribus ſeiungere, eosque non Medicæ Facultati, ſed primario Regis Chirurgo parere iuberet, neque ullum inter Chirurgos recipi voluit, qui non latinæ linguæ & Philoſophiæ gnarus, Artiumque Magiſter eſſet, & quæ plura ad novam illam formam pertinent, quam Rex Collegio Chirurgorum Pariſienſium præſcripſit. Qua re, non tam præciſa porro agendæ litis occaſio fuit, quam potius nova data. Certe Medici ſe protinus ita oppoſuerunt, ut cum publicæ utilitati, tum Medicorum iuribus, multum detrahi hac nova conſtitutione præ ſe ferrent. Eaque res movit Chirugos, ut regem confirmationem ſtatutorum, Iurium, ac Privilegiorum, ab aliquot inde ſeculis Chirurgis conceſſorum, rogarent. Quæ enim ſunt ante paucos annos a Rege conſtituta, iis Chirurgi probant, non novam Collegio formam datam fuiſſe, ſed antiquiſſimam tantum reſtitutam.

Visum est tandem Regi, ut ea lis penitus sopiretur, cum Medicæ Facultati, tum Chirurgorum Collegio, novum ordinem præscribere. Quare iussit, ut, quæ Chirurgi concedi sibi vellent, cum Rectore Academiæ, & Decano Facultatis Medicæ communicarentur, atque utrique scripta proferrent, quibus iura sua tueri vellent. Quod Regis iussum causa fuit, ob quam Chirurgi hunc librum, quem iam antea edere constituerant, cum statutis aliisque scriptis, quibus ipsorum iura continentur, ederent. Fatentur vero, non licuisse sibi ultimam libro manum admovere. Tria igitur hoc volumine continentur. Primum locum obtinent Disquisitiones, alterum Documenta, tertium Devalsii Index Chirurgorum Parisiensium. Disquisitionum quinque tituli sunt. Prima ea complectitur, quæ ortum Chirurgiæ in Gallia, vel potius Parisiis, attinent. Ex quibus cum multa sint, quæ cum ortu Universitatis Parisiensis, atque Medicæ Facultatis connexa sunt, Auctor libri necesse habuit, ante omnia de his dicere. Vulgo habetur Carolus M. is esse, qui Academiæ Parisiensis fundamenta iecerit. Auctor Pasquierio accedit, qui Academiam docet ortum suum Episcopis & Canonicis Parisiensibus debere, quorum præcipue studio factum sit, ut ex scholis Artium, quæ ante Academiam Parisiis fuerint, primum illa, in qua literæ humaniores & Philosophia docebatur, sub Facultatis Artium nomine, publica fieret, & quasi Academiam constitueret, ad quam deinde reliquæ, & primum Theologica, post hanc Iuridica, ultimo Medica, accesserint. Etsi vero Medici non in societatem coierint, neque hæc Facultatis nomen acceperit ante, quam fuerint in Academiam recepti: tamen duodecimo iam seculo Medicos Parisiis fuisse, qui suam artem docerent, ex Concilio Turonensi probatur. Hosque Medicos, quod præcipue Hippocratis & Galeni scripta, etsi secundum versiones, exponerent, se Physicos nominasse. Utque iis temporibus, omnis literarum & scientiarum cognitio apud Monachos erat, ita & hos Medicos ex eorum numero fuisse. Tales etiam soli in Academiam recipie-

cipiebantur, & facultatem quartam constituebant, quam ante medium circiter decimum tertium seculum exstitisse, nullo idoneo argumento probari potest. Tum igitur omnes, qui Facultati Medicæ adscripti erant, debebant sacerdotes & cælibes esse, quod tamen paulo post ita mutatum fuit, ut sacerdotes esse non possent, cælibes contra esse oporteret. Hactenus plures ex Medicis Canonici & Episcopi fuerant, donec ipsis permitteretur uxores ducere. His de Medicis præmissis, ad Chirurgos transeundum est, qui ante, quam illi, qui ex Medicis, Parisiis degentibus, Ecclesiastici erant, Academiæ adiungebantur, secundum Auctorem nostrum a reliquis Medicis distincti non erant. Duo autem videntur fuisse, quæ, ut distinguerentur, effecerunt. Primum vana gloriæ opinio, quam ex speculationibus Philosophicis partim, partim ex hoc se consecuturos esse existimabant, quod in Academiam recipiebantur. Alterum, Pontificis iussum, quo Medici Facultatis omni Chirurgia interdicebantur, quod tamen tardius factum est. Igitur omnes Medici, qui Parisiis degebant, in duas quasi classes abierunt; alii, qui ex facultate erant, & ab initio saltem Ecclesiastici vocabantur, alii, qui extra facultatem artem exercebant, & Laici dicti sunt. Illi etiam Physicorum nomen habebant, & præter hoc, quod artem medendi docebant, non tam invisebant ægros, quam consiliis, idque, ut Auctor vult, in internis tantum iuvabant morbis. Reliqui Medici, qui facultati adscripti non erant, sicut olim Hippocrates, ac fere omnes Medici fecerunt, tum interna, tum externa mala tractarunt, unde ipsis Medico-Chirurgorum, paulo post & Chirurgorum nomen tantum, impositum fuit. Hos solos Auctor probare contendit, morbos omnis generis tractasse. Cum enim Physici, non nisi domi, aut in templis, ægris ipsis, aut quos misissent, consilia dederint, Medico-Chirurgos simul eos vocatos fuisse, ut curam ægrorum susciperent. Quod tamen facile aliquis ita interpretari posset, Physicos Medico-Chirurgis tanquam famulis & ministris usos esse, quos ad ægrum mitterent, ut de eius statu ad Physicum referrent, qui tum famulo suggesserit, quæ vel

vel interne, vel externe remedia adhibenda essent. Sed sunt utique aliqua, quæ nos saltem non de omnibus Medico-Chirurgis ita sentire permittunt. Quia vero Medicis Facultatis Chirurgiam exercere non concessum erat, Auctor huius rei rationes exponit, easque ridiculas esse, totum vero hoc institutum eam vim habuisse, ostendit, ut Medici Parisienses, usque ad seculum decimum quintum, quam maxime rudes essent. Idque vel ex hoc manifestum est, quod, qualicumque aliquis morbo laborarit, tamen non nisi vel venæsectionem, vel clysterem, vel succum rosarum & diacarthami, præscripserint. Quamvis vero ab his Facultatis Medicis promota utilissima ars parum fuerit, hoc tamen eorum societate effectum est, ut non cuivis liceret artem, prouti vellet, impune exercere. Contra cum Medico-Chirurgis fuit, qui cum nemini parerent, poterat, quicunque hoc nomine Parisios venit, medendi artem exercere. Profert igitur Auctor Pitardum, Regis Ludovici S. Chirurgum, qui omnes Chirurgos in societatem aliquam coegerit, cui nomen Collegii S. Ludovici impositum. Antequam vero de Pitardo agit, aliqua de Italicis Chirurgis, aut potius Medico-Chirurgis, de Rogerio, Rolando, Theodorico, Bruno, Wilhelmo de Saliceto, & Lanfranco exponit. Quibus cum omnem laudem denegare non possit, ferre tamen non potest, Devalsium ipsos Chirurgis Gallis prætulisse, qui æque bene scripserint ac Itali, cum tamen nullum allegare possit, qui tempora Lanfranci præcesserit, qui potius primus Parisiis Chirurgiam docuit. Neque Pitardo laus excellentis Chirurgi alio nomine tribui potest, quam hoc, quod Regem movit, ut omnes Chirurgos iuberet Pitardo, & qui ipsi successuri essent, Regiis Chirurgis, parere, a quibus omnes Chirurgi, antequam exercere artem possent, examinibus tentandi erant. Quæ autem primam collegii Chirurgorum institutionem attinent, tum vere satis obscura sunt, tum ita ab Auctore proposita, ut certi aliquid de ea affirmari non possit. Itaque, etsi Collegium Chirurgorum, a Rege, Ludovici S. nomen assumsit, tamen 1311. demum a Philippo pulchro videtur ita institutum fuisse, ut, qui

qui vellet Chirurgiam exercere, antea examinibus tentaretur. Et cum Lanfrancus iam A. 1295. Parisios venerit, forte is potius, quam Pitardus, quo apud Regem usus fuerit, causa huius instituti fuit. Fatendum tamen, proferri ab Auctore aliqua, quæ Chirurgos sua sponte A. 1260. in societatem aliquam coivisse ostendunt. Iisque & fides haberi posset, modo non in vita Pitardi plura essent, quæ conciliari vix possunt. Est autem hoc memorabile, iam eo tempore Pitardum & reliquos, non Medico-Chirurgos, sed simpliciter Chirurgos nominatos fuisse. Et si fides haberi posset iis, quæ Auctor de Langloisio & Meurissio affert, Chirurgi secundum hunc A. 1210. secundum illum iam 1033. aliquam societatem habuissent. Sed præterquam quod hæc duo inter se pugnant, videtur utique verisimile esse, antequam Facultas Medica orta fuerit, Parisiis fuisse qui Chirurgiam ruditer exercebant; Facultate vero orta, atque ex Medicis, multis in eam non receptis, hos proprie Chirurgos dictos fuisse, reliquos vero rudiores, & qui se forte examinibus subiicere nolebant, barbitonsores. quod duabus distinctis societatibus occasionem dederit. Post Pitardum, Auctor, præter Lanfrancum, quatuor Magistros laudat, item Mondavillam, ab aliis Hermondavillam dictum, & Myrum, qui circiter eodem tempore, nempe initio seculi decimi quarti, vixerint. Dicuntur quatuor Magistri librum scripsisse, quem MS. sed lacerum Meurissius olim in Collegio Navarrensi invenerit. Mondavilla pariter ac nonnulli alii, a scriptoribus Medici Parisienses vocantur; quod nomen cum illo, Medici Facultatis, confundi non debet, sed vel plures medicos illis temporibus inter Chirurgos fuisse probat, vel hos etiam internos morbos curasse. Quem antea nominavimus, Robertus Myrus, tantam dicitur Chirurgiam faciendo gloriam consecutus esse, ut, cum plures ex eius familia huic arti se consecrarent, omnes Chirurgi vulgo Myri nominarentur. Quatuor vero Magistris, Mondavillæ & Myro, uni post alterum, Chirurgi Parisienses dicuntur, post Pitardum, paruisse. Sed cum hoc, tum, quod per Italos nihil profecerint, Auctor idoneis argumentis firmare neglexit.

Potius postquam simpliciter dixit, Pitardum ideo Collegium instituisse, ut se dissensionibus Chirurgorum opponeret, & omnes ad duas sectas, rationalem & empiricam, revocaret, quinque alias sectas ex Guidone adducit, quarum tres Italos Chirurgos Auctores habuerint. Hasque non tam perniciosas Arti, quam utiles fuisse, ostendit, quatenus quæque altera præstantior fieri studebat. Quem antea inter Principes & quasi Rectores Chirurgiæ fuisse dixit, Mondavilla, is ipse, secundum Auctorem, pertinaciter Lanfranci & Theodorici sententiis adhærebat. Ex quibus quis non manifestum esse videat, Pitardum, si Chirurgorum dissensiones, certe non sectas tollere voluisse, eamque tunc Italorum Chirurgicam scientiam fuisse, ut, qui sibi eam comparaverat, Mandavilla, pro principe Chirurgorum Parisiensium haberetur. Præter tres autem Italicas sectas, duas militum nempe & feminarum fuisse, ex eodem Guidone patet, hisque libertatem Chirurgiam exercendi ereptam fuisse, ex Philippi Pulchri Edicto manifestum est. Ut vero Auctor Chirurgorum Parisiensium dignitatem asserat, præter Lanfrancum & Salicetum, Robertum Morillonium, & Gilles Desmoulins, Canonicos Parisienses, & Ioannem Comitem, Canonicum d'Avranches, adducit, qui Collegio Chirurgorum ita adiuncti fuerint, ut etiam artem suam publice docerent. Præterea eundem studiorum ordinem in Chirurgia ac in Medicina fuisse, eadem examina, eosdem dignitatis gradus, solum Facultatis titulum defuisse; tamen & hunc sibi denique arrogasse, cumque Medici se non opposuerint, & Rex Ioannes A. 1351. Chirurgorum societatem Edicto aliquo, pluribusque post hæc tempora datis, Facultatem nominaverit, pariter ac Carolus V. Baccalaureos, Licentiatos in Facultate Chirurgica: Chirurgis Parisiensibus ius esse, quod a recentioribus Medicis ipsis adimi non possit. Idque eo validius debere esse, quo certius sit, quod nemo in Collegium Chirurgorum receptus fuerit, qui non literis humanioribus & Philosophiæ studuerit, & per duos minimum annos, primum in quacunque, deinde vero non nisi in Parisiensi Facultate Medica, omnis medendi artis præceptis instructus fuerit. His præ-

praeparatum, & Artis Magistrum factum, ad id, quod proprie ad Chirurgiam pertinet, addiscendum, debuisse hunc vel illum Chirurgiae Magistrum sequi, neque minori quam duorum annorum spatio, aut sine Thesis alicuius defensione, potuisse Magistri Chirurgiae titulum consequi. Iusiurandum vero coram Praefecto urbi, sic ut Medicos, coram Academiae Cancellario, praestitisse. Et haec quidem in prima parte huius libri continentur, quae aliquanto plenius exposuimus propterea, quod sine his intelligi ea non possunt, quae in sequentibus partibus occurrunt. Cum illis temporibus, quae Auctor prima parte exposuit, Chirurgi libere suis iuribus usi fuerint, altera iam causae aperiuntur, ob quas Medici coeperint sese Chirurgis opponere. Usque ad medium decimum quintum Seculum, plura ad perfectam Academiae Parisiensis in universum, tum sigillatim Facultatis Medicae formam, deerant. Ex quibus cum & hoc esset, quod nullum locum habebant, in quo convenire, & artem suam publice docere possent; & illud, quod non nisi coelibes locum in Facultate habere poterant: Medici, qui ex hoc tempore noluerunt porro Physici appellari, domum emerunt, in qua eam scholam aperiebant, quae ad hunc usque diem Parisiis floret; Purpuratus vero, Etouteville, etiam uxoratis concessit, ut locum in Facultate occuparent. Atque ex hoc fonte Auctor existimat principem causam manasse, ob quam Medici inceperint Chirurgorum iura infringere. Cum enim uxoratis beneficia ecclesiastica contingere non possent, operam dedisse, ut Chirurgis libertate Medicinam sine Medicis exercendi quasi de manibus extorta, ad se omnium aegrorum curam traherent. Ad quam causam Auctor iura Academiae accessisse existimat; quae cum eo tempore multum ampliata & confirmata fuerint, Medica Facultas putabat, sibi & in Chirurgos ius datum esse, aut certe facile concessum iri. Tamen, cum forte praesenserit, se vi agere non posse, Barbitonsores excitavit, ut per eos Chirurgos deprimeret. Hac occasione Auctor ea exponit, quae ad Historiam Barbitonsorum pertinent. Haec, tum illam coniecturam firmare videntur, quam supra de differentia

inter Chirurgos & Medico-Chirurgos fecimus, tum quoque ostendere, Barbitonsores Chirurgis sic paruisse, ut hi illorum examinibus praeessent, iisque venaesectiones, vulnerum levium, apostematum, furunculorum, similiumque deligationem permitterent. Ex quo autem tempore Barbitonsores coeperint Chirurgis parere, frustra toto libro quaeras. Diu vero se intra hos limites continere Barbitonsores non potuerunt, quin potius sensim coeperunt sibi ius tribuere, omnibus Chirurgicis malis medendi. Quod tamen ipsis aliquoties ita ereptum, ut aliquando ab omni artis Chirurgiae exercitio se continere cogerentur. Quoties vero Barbitonsorum audacia repressa fuerit, toties Medicos eorum causam tuitos esse, tandemque, circa finem seculi decimi quinti, ipsos Anatomen aliasque Medicinae partes lingua vernacula docuisse, ab Auctore ostenditur. Et quanquam Medici Chirurgis aliquoties promiserint, se nihil contra ipsorum iura molituros esse, tamen nunquam vere Barbitonsores instruere desierunt, quin potius, ut in schola medica corpora mortuorum dissecarent, permiserunt, tandemque uni ex Barbitonsoribus ius dederunt, omnem Chirurgiam exercendi. Quo loco haec ab Auctore proponuntur, aliqua simul de Anatome sunt, quae utique negligi non debent. Etsi enim solis Chirurgis ius tribuit, mortuorum corpora dissecandi, tamen, non solum Magistratus, fatetur, Medicis eiusmodi corpora concessisse, verum etiam, cum Medici Chirurgos ad Anatomes suas admittere, nisi pretio aliquo soluto, noluerint, Chirurgos, ne hanc instructionem perderent, se Medicorum voluntati subiecisse. Cum hoc, tum quod simul probat, in Medicorum schola peculiarem aliquem locum Chirurgis iuratis destinatum fuisse, nonne haec satis clare ostendunt, cum medendi artem, tum Anatomen quoque, in qua tamen solos Chirurgos aliquid praestare posse impudenter admodum gloriatur A. non adeo in Chirurgorum Collegio expositam fuisse, quin ipsi Magistri Chirurgorum Medicorum praelectionibus opus haberent? Ut vero ad Barbitonsores redeamus, Medici dicuntur cum ipsis A. 1505. pactum iniisse, quod Medicis plura in Barbitonsores iura tribuebat, etsi hac con-

conditione, ut Medici ipſos inſtruerent, ac defenderent, & Chirurgiam exercendi libertatem darent, atque confirmarent. Auctor omnem lapidem movet, ut, tum invalidum hoc pactum eſſe oſtendat, tum quoque a Medicis æque ac Barbitonſoribus neglectum. Qui, quamdiu a Chirurgorum perſecutionibus liberi eſſent, Medicos parum curaverint, contra horum auxilium imploraverint, & pacta etiam cum ipſis inierint, quoties Chirurgi cogere Barbitonſores vellent, ut a Chirurgicis operationibus abſtinerent. Quæcunque vero Barbitonſores medicis promiſerint, non niſi ſub conditionibus promiſiſſe; adeoque medicis abſolutum ius in ipſos non competere. Neque permittere potuiſſe Medicos, ut Chirurgiam exercerent, tum quia per Regia Edicta coacti fuerint, iis curationibus contenti eſſe, quas Chirurgi ipſis permiſiſſent, tum quia ipſa medicorum Facultas, circa finem decimi ſexti ſeculi, bis decreverit, Barbitonſoribus non licere debere, ullam Chirurgicam curationem ſuſcipere, aut Anatomen exercere. Quare his temporibus videntur perpetuæ inter Medicos, Chirurgos, & Barbitonſores, altercationes fuiſſe, quas Auctor putat inteſtino bello ligiſtico nutritas eſſe; Tum enim Barbitonſores eo audaciæ progreſſi ſunt, ut neque medicis, neque Chirurgis, parere vellent, putarentque, ſe tuto poſſe graviſſimas Chirurgicas curationes ſuſcipere. Cum tandem, finito bello, Henricus quartus ipſorum audaciam reprimeret, denuo medicorum auxilium implorabant, quo certe hoc a magiſtratu obtinebant, ut nomen Barbitonſorum-Chirurgorum, (Barbiers-Chirurgiens) quod ipſis olim a medicis datum fuerat, confirmaretur, permittereturque, ut omnia ulcerum ac vulnerum genera, ſicut antehac feciſſent, curarent. Hoc ipſo non tam cauſa contentionum tollebatur, quam nova videbatur data eſſe. Barbitonſores enim ſcholas aperuere, in quibus & Theſes defendere, & alia multa Facultatis iura exercere, cœperunt. Sed breve eorum gaudium fuit, ſi Auctori credimus, qui protinus ad priſtinum ſtatum redactos Barbitonſores ſcribit; neque tamen prius ſe denuo medicis ſubieciſſe, quam poſtquam hi balneatoribus promitterent eadem iura, quæ olim Barbitonſoribus conceſ-

 ſerant.

ferant. Qui cum sibi hæc iura vindicarint, factum esse ait A ut A. 1644. novum cum medicis pactum inirent, quo his ius in conventiculis præsidendi, & a singulis candidatis tres libras & duodecim solidos exigendi, sed hac conditione dabatur, ut balneatores amplius non reciperent, omnesque, qui, quæ barbitonsorum sunt, facerent, persequerentur, & famulos barbitonsorum instruerent. His Auctor finem secundæ parti imponit, in qua, tum quoties medici & Barbitonsores modo pacta inierint, modo rursus solverint, tum etiam hoc declaravit, in his omnibus hoc unum medicis propositum fuisse, ut Chirurgos deprimerent, Barbitonsoribus autem, ut contra Chirurgorum persecutiones tuti essent. Hactenus medici vario modo studuerant sibi Chirurgos subiicere. Hoc cum efficere non possent, Academiam excitarunt, ut se gradibus Chirurgorum, de quibus in prima parte dictum est, opponeret. Atque tum medici incipiebant litem contra Chirurgos ita instruere, ut ipsos cogere vellent, nomina sua Decano Facultatis dare, & Prælectionibus Professorum medicinæ interesse. Sed in his Auctor vult medicos frustra fuisse, quoniam Chirurgi in Francisco I. invenerint, qui ipsorum iura confirmaret. Quod cum hanc vim habuerit, ut medici, quasi omni inimicitia abiecta, studerent sibi Chirurgos adiungere, hi se eo adduci passi sunt, ut se A. 1510. in Facultatem medicorum, pacis faciendæ causa, conferrent; quod ita a medicis acceptum fuit, ut Chirurgos dicerent, a Facultate, ut filios a matre, cui adeo parere debeant, receptum iri. Cum vero Auctor in tertia parte exponere velit, quomodo Chirurgi in Academiam recepti fuerint, primum de iis dicit, quæ inde ab A. 1390. super hac re a Facultatibus statuta fuerint: quæ tamen omnia huc tantum redeunt, ut se Chirurgos, non nisi tanquam discipulos, iuvare velle declararent. Deinde etiam hoc exponitur, quod A. 1515. factum est, quo Chirurgi, ut a publicis oneribus immunes essent, supplicibus literis Facultatem rogaverunt, ut ipsis privilegiis Facultatis frui permitteret. Quod cum obtinuerint, ipsos in Academiam receptos, cunctisque suis iuribus libere usos esse dicit, & aliquamdiu sine contentione cum Medicis

dicis fuisse. Tamen ne tunc quidem satis tutos fuisse. Quare Wilhelmus Valvassorus, primarius Francisci I. Chirurgus, apud quem propter turpem aliquem morbum in magna gratia fuit, ab hoc Rege obtinuerit, ut Chirurgis Privilegia Universitatis ita concederentur, ut eorum Professores, Baccalaurei, & Licentiati, reliquis Academiæ membris pares haberentur. Debere tamen inter Chirurgos non recipi, nisi qui literarum & Philosophiæ cognitionem haberent; omnesque artis Chirurgicæ Magistros, singulis septimanis semel, ad pauperum curam habendam convenire oportere. Ea omnia ab Henrico II. & Carolo IX. confirmata sunt, quorum ille iussit, ut quicunque medicinam vel Chirurgiam exercere volent, Doctores vel Licentiati essent. Regia igitur auctoritate munitos postulasse Chirurgos, ut non aliter quam membra Facultatis medicæ considerarentur, ut æque ac Doctores benedictionem Cancellarii acciperent, utque permitteretur sibi, sub Academiæ auspiciis, porro publicas prælectiones habere. Chirurgi, cum, se præcipue medicis opponentibus, saltem publicas prælectiones habendi ius sibi non permitteretur, Henrici III auxilium implorarunt. Hic, cum priora iura confirmavit, Chirurgi publicas lectiones habuerunt, & Candidatos Artis non aliter admiserunt, quam ut Baccalaurei & Licentiati, tumque, publica disputatione habita, Doctores fierent. His actibus Rectorem Academiæ, alios eruditos, medicosque ipsos, interfuisse A. scribit. Etiam theses nonnullæ ab Auctore proferuntur a Chirurgis disputatæ, inter quas memorabilis potissimum hæc est a Laniero defensa: Cristallino per paracentesin præter oculi axim transfixo, an cataractæ tuta curatio? Tandem Chirurgi etiam a Pontifice privilegiorum suorum confirmationem obtinuerunt. In qua re, cum nihil ab initio inventum fuerit, quod posset Regiæ auctoritati aliquid detrahere, factum tamen est, ut, Facultatibus se opponentibus, crederetur Pontifex sibi hac Bulla ius aliquod arrogare velle. Neque tamen vel id impedire potuit, quo minus Chirurgi cunctis a Regibus concessis iuribus libere fruerentur. Auctor plura adhuc testimonia affert, e quibus patere possit, magistratus & Reges, ut

sin-

ſingulis Chirurgis, Baccalaurei, Licentiati, Doctoris, ſic Collegio ipſi Facultatis titulum, dediſſe. Utque hanc medicæ nunquam ſubiectam fuiſſe ait, ſic ut Medicos contra interdum Chirurgorum deciſo ſe ſubiicere debuiſſe probet: illam litem memorat, quæ Carolo Stephano cum Riviero ſuper Anatome ſua fuit, & quam duo Chirurgi, magiſtratu iubente, examinare & componere debuerint. Inter hæc factum fuiſſe, ut cœperint ex Barbitonſoribus illi inter Chirurgos recipi, qui neceſſariis ſcientiis inſtructi fuerint. Poſtquam igitur Auctor in tribus prioribus partibus ſatis copioſus in recenſendis Chirurgiæ Pariſienſis laudibus fuit, in quarta parte ex Chirurgis etiam ſigillatim eos celebrat, qui ſcriptis potiſſimum aut etiam factis inclaruerunt. Primum vero Maturinum de la Noue profert, qui medio circiter Seculo decimo ſexto vixit. Hunc, & hoc nomine laudat, quod, relicta medicina, ob incertitudinem, ſe ad Chirurgiæ ſtudium converterit, & quod in literarum ſtudio non leviter verſatus fuerit. Idque ut probet, epiſtolam adducit, quam ad filium ſcripſit. Et huius deinde, qui ſe Hieronymum appellabat, laudes celebrantur, qui & Medicus æque ac Chirurgus excellentiſſimus fuit, adeo, ut quamvis ſe potiſſimum Chirurgiæ dediſſet, Medici tamen ipſi eum laudarent. Hoc loco Auctor de Operationibus dicit, quas Medici ab aliquo tempore cœperint in cadaveribus inſtituere, & quæ nullo modo tales ſint, ex quibus tirones Chirurgiæ verum earum modum diſcere poſſint, aut quæ demonſtrare queant, a medicis debere Chirurgos ad artem ſuam faciendam inſtrui. Ut vero ad Hieronymum redeamus, is, ſecundum Auctorem, plura ad Hiſtoriam Chirurgiæ pertinentia collegit, ex quibus hic ipſe liber magnam partem enatus eſt. Ab Hieronymo ad Heryum Auctor progreditur, quem hoc præcipue nomine celebrat, quod ad certiorem morbis venereis medendi rationem inveniendam, ſe Romam in Noſocomium S. Iacobi Maioris contulerit, in quo ægri, Carpi methodo, frictionibus mercurialibus tractarentur; quodque Lutetiam reverſus, hac methodo, vix in Gallia cognita, uſus fuerit, tanto cum ſucceſſu, ut magnas inde

de

de opes acquireret. Hæc Auctor longa oratione prosequitur, neque tamen ullo testimonio confirmat. Quod cum vel propter hoc necesse esset, quia his fere contraria a Cl. Astruccio, in Tractatu de morbis venereis, scripta sunt: ipseque Auctor quasi cogere lectores videtur, ut eius fidem etiam in aliis suspectam habeant. Sed & propterea fieri id debet, quia Herium inter Chirurgos refert, qui se tamen ipse Barbitonsorem Chirurgum nominat. Pluribus, neque sine ratione, extollit Ambrosium Pareum, cui vel his temporibus inter maximos Chirurgos locus negari non potest. Ex iis, quæ Pareus in Chirurgia nova invenit, ut plura proponuntur, tamen nihil est, quod non iam ab aliquo tempore ad omnium cognitionem venerit. Et hæc omnia, non tanquam ab Historico, sed tanquam ab Oratore proferuntur, quod nobis adeo scrupulum non exemit, quem iam olim habuimus, aliqua ex his inventis sine causa ad Pareum referri. A Pareo ad Pigræum eius discipulum transit A. cuius librum, etsi proprie Parei liber in compendium redactus sit, tamen omnem laudem mereri, tum quod in eo nihil, quod possit utile esse, omissum sit, tum quod & ordine, & novis præceptis, ipsum Parei Opus superet, existimat. His duobus Iacobum de Marque adiungit, quem ob Introductionem in omnes Chirurgiæ partes, & propter Tractatum de Fasciis, tantis laudibus extollit, ut vel hoc nomine studii partium accusari queat. Neque magis ab hoc studio liberari in hoc potest, quod de calculi sectione per magnum apparatum a Gallo-Franco Chirurgo primum tentata, narrat. Et vix credimus ipsum hæc serio proposuisse, aut probabilia habere, quæ de arcigero illo, cuius historia ex Mezeræo, Pareo, Rosseto, aliisque nota est, calculo vesicæ laborante, & de Germano Coloto, calculum illum per apparatum magnum exscindente, sine ulla auctoritate proposuit. Et quis dubitaverit, cum plurium leviorum memoria servata fuerit, non tam hoc Medicos & Historicos notaturos fuisse, arcigero cuidam viscera aperta esse, sed qua nova ratione id factum sit; cuius tamen rei apud Pareum, præcipueque apud curiosissimum Rossetum, ne quidem vestigium aliquod occurrit?

rit? Fabulæ vero de Germano Coloto probabiliter occaſionem dedit hoc, quod Laurentius Colotus primus inter Gallos, artem calculum per apparatum magnum ſecandi, ab Octaviano de Villa accepit. Eaque tota hiſtoria accuratius expoſita eſt a Franciſco Coloto, in libro, qui de Calculi ſectione ante viginti annos, & quod excurrit, in lucem prodiit. Et ex hoc etiam patere poteſt, quam inanis illa fabula ſit, cum ipſe ad Iohannem de Romanis inventionis gloriam defert, quod probabiliter non feciſſet, ſi ad unum ex ſuis maioribus pertineret. Tamen, in hac ab Auctore data hiſtoria memoria dignum id eſt, quod de Severino Pineo ſcripſit, ipſum ſcilicet parvum libellum de Calculi ſectione reliquiſſe, in quo accuratius omnia perſecutus ſit, quam Marianus. Nimius etiam auctor eſt, in celebrando Guillemeau, poſt cuius tempora, ſecundum Auctorem, videtur nihil fere inventum eſſe, quod ad perficiendam artem obſtetriciam utile ſit. Poſt hunc proferuntur nonnulla de Amboiſorum familia, quæ ad Chirurgiæ hiſtoriam vix pertinent, eaque pariter ac illa, quæ de Thevenino, nonnullisque aliis propoſita ſunt, libenter omittimus. Accuratior, & attentione magis digna eſt Habicoti hiſtoria. Non dicimus de ſeptimana Anatomica, poſt Winslovii ſtudium ſatis nota. Sed præter hanc 1610. brevem diſſertatiunculam edidit hoc titulo: Paradoxum Anatomicon, quo contra vulgarem opinionem oſtenditur, diaphragma non ſimplicem muſculum eſſe. Tribus annis ante, Problemata quoque edidit de natura, præſervatione, & cura morbi peſtilentialis. Ut vero hi libelli parum noti ſint, minus tamen notus ille eſt, quem 1613. editum ſic inſcripſit: Gigantoſteologia, ſive diſcurſus de oſſibus Gigantis. Edidit autem hunc libellum occaſione plurium oſſium inſignis magnitudinis, quæ 1613. in Delphinatu in ſepulchro aliquo inventa fuerant, cum lapide, cui inſcriptum erat: Theutobocus Rex. Cum plures ſe ſententiæ Habicoti, etiam editis ſcriptis, opponerent, (Habicotus autem, illa oſſa Theutoboci Regis eſſe, oſtendere voluerat,) Habicotus, tum nonnullis ex his, tum maxime Riolano, peculiari libello reſpondit, cui titulus: Anti-

Anti Gigantologia, in quo dicitur Riolanum errorum aliquot in Anatome convicisse. Imo tribuitur ipsi libellus satyricus, Lapis Lydius chirurgicus inscriptus, cui tamen alius æque vehemens sub titulo: Correctio fraterna vitæ Habicoti, opponebatur. Præter hæc scripta, & satis iam notum libellum de Bronchotomia A. 1617. collectionem Problematum Medico-Chirurgicorum edidit, qui liber, æque ac iam allegati, gallica lingua scriptus est. Quia vero Habicoti memoria in Bibliographiis medicis vix servata fuit, perstringit auctor eos, qui in eiusmodi libris scriptorum mentionem fecerint qui nullam omnino laudem mererentur, præstantissimis scriptoribus omissis. Inprimis historicum Collegii Regii ridet, qui vitam Petri Seguini scripsit. Ex his aliisque Chirurgis præstantia Chirurgiæ Gallicæ secundum auctorem manifesta est, de qua etiam nemo præter medicos Parisienses dubitet, qui, quicquid Chirurgi unquam sciverint, vel nunc quoque sciant, ex medicorum Parisiensium scriptis hausisse, audeant affirmare. Quod ut refutet A. Tagalti, Curtini, & Gurmeleni scripta profert; quasi vero de iis tantum quæratur, qui de Chirurgia universa scripserint, & omitti adeo sine iniuria, Hollerius, Duretus, Riolanus, aliique potuerint, in quorum scriptis, plura, Chirurgis quoque utilissima, præcepta inveniuntur. Post hæc veterum curandi rationes cum recentioribus comparat A. ut, quantum hi Artem perfecerint, intelligatur, ubi parum æquum certe illud iudicium est, quod de Celsi Chirurgica scientia tulit. Iam ad ultimam partem libri venimus, in qua de Barbitonsorum et Chirurgorum unione agitur. Verisimile est, veras unionis causas ab auctore expositas non esse. Ut tamen aliquas proferret, primum pacta Medicorum cum Barbitonsoribus repetit, qui, ne porro medicis parerent, optaverint se cum Chirurgis uniri; deinde Chirurgos ait vexationum a Medicis continuarum pertæsos, consilium cepisse, Barbitonsores recipere, ac si minus damnosum Chirurgis esset, Barbitonsores libere Chirurgicas curationes suscipere, quam furtim. Neque vero omnibus Chirurgis hæc unio, etsi a suprema Cu-

ria A. 1656. facta, placuit. Quatuor annis post, medici huic Collegio unito litem intenderunt, quam etsi iniustam fuisse auctor probare vult, tamen fateri ipsum oportet, supremam Curiam sententiam tulisse: Utramque communitatem unitam, debere Facultati medicæ, secundum contractus A. 1577. & 1644. subiectam manere. Sed hæc sententia, si Auctori, contra ipsa sententiæ verba, credimus, non Chirurgos, sed Barbitonsores tantum, medicæ Facultati subiecit. Est autem clarissimum, contractus nominatorum annorum, etsi Auctor id velit negare, Chirurgos æque ac Barbitonsores obstrinxisse. Illam vero supremæ Curiæ sententiam plures aliæ sequutæ sunt. Neque videntur Chirurgi aliquid opponere potuisse, cum, quo anno Medici cœperunt litem intendere, eodem, nempe A. 1660 & illa, & alia quæ sequitur, lata fuit. Altera enim prohibebantur Chirurgi-Barbitonsores, sibi titulos Baccalaureorum, Licentiatorum, Doctorum, & Collegii imponere. Præter hæc prohibebantur, lectiones & actus publicos instituere, hoc uno iis concesso, ut privata exercitia ad examina candidatorum instituerent. Quod tamen ita interpretatur Auctor, privatas prælectiones prohibitas non fuisse, maxime, cum simul permitteretur, iannis apertis, anatomicas demonstrationes facere. Ab his, ex quibus credere deberemus, Chirurgos existimasse, nihil adeo mali sibi accidisse: Auctor ad querelas super turbis inde in Chirurgia natis, & super damno, quod respublica inde fecerit, transit, iisque, ut toto libro solet, laudes suæ artis admiscet. Hæc longa expositio eorum iurium excipit, quæ medici sibi post illa tempora tribuere voluerint, nempe ut Chirurgi ipsis in singulos annos aureum thalerum darent, ut etiam pecuniam solverent, quoties Candidatus reciperetur, ut Chirurgi in medicorum schola artem discerent, utque medici soli Dissectionum a Chirurgis factarum expositiones darent. Utut Auctor super his plura profert, quæ, quam inania & ridicula hæc iura sint, debeant ostendere, præcipue illud ridet, quod A. 1714. a Facultate medica factum sit, quæ nempe hyemali tempore ad Amphitheatrum Chirur-

Chirurgorum se contulerit, ad Chirurgis Professorem Chirurgiæ ex suis obtrudendum, etsi irrito conatu; aliqua tamen ex his iuribus medicis confirmata fuisse, negare non potest. Impudentissima autem sunt, quæ occasione Anatomes, de hac quasi Chirurgis propria, medicis vero adeo neglecta proferuntur, ut singulis seculis unus tantum vel alter medicus nascatur, qui Chirurgorum vestigiis insistat, hoc est, Anatomen colat. Inter omnes Chirurgos Parisienses, si ut olim a Meryo, sic hodie ab uno vel altero, quem præstat non nominare, recesseris, quis est, quem possis iure inter Anatomicos referre? Nonne omnes ad Riolanum, du Verney, Littrium, Petitum medicum, Winslovium, Hunoldum, vix umbram Anatomici habent? Inter iura vero medicorum etiam hoc est, quod Chirurgi medicis iusiurandum præstare tenentur; quod tamen Auctor vult variis machinationibus eludere. Tandem in fine operis, quædam de fundatione Amphitheatri ad S. Cosmum, a Chirurgis Bienaise & Roberdeau facta; de quinque professoribus, in schola Chirurgorum a Ludovico XV. constitutis; de Academia Chirurgorum; de restitutione Chirurgorum in pristinum statum, in quo ante A. 1660. fuerint, paucis agitur. quæ omnia Chirurgi fatentur, se Mareschalli, & de la Peyronie, primariorum Regis Chirurgorum, curæ debere. His vero disquisitionibus aliquot in æs incisæ figuræ additæ sunt. Maiusculæ Chirurgos aliquot, nempe Lanfrancum, Pitardum, Valvasorum, Pareum, referunt. Minores, fronti singularum partium huius libri appositæ sunt, atque id, quod vidimus in singulis partibus expositum fuisse exhibent. Quæ præter has disquisitiones in hoc volumine contineantur, dictum est, neque necesse est de Indice emortuali satis iam noto dicere, scripta vero, quibus iura Chirurgorum nituntur, paucis enarrabimus. Primum locum statuta, ut vocantur, honorandæ, Regiæ & salubris Chirurgicæ scholæ occupant, quæ lingua latina conscripta sunt; sequuntur partim eadem lingua, partim gallica, Excerpta ex patentibus literis, quibus varii Reges Franciæ statuta Chirurgorum confirmarunt, ab A. 1498. usque ad A. 1611. cum supremæ Curiæ Decreto 1640 Post hæc Edicta quamplurima, patentes

tentes literæ, ſimilesque chartæ leguntur, quæ formam Collegio Chirurgorum, aut iura ac privilegia dant, vel olim data tantum confirmant, ab A. 1301. usque ad A. 1743: quo nempe Rex, ut ab initio dictum eſt, Chirurgos in priſtinum ſtatum reſtituit. His ſcriptis, varia ſupremæ Curiæ Decreta, & Pontificis quoque Bulla, immiſta ſunt. Nonnullis etiam ſunt annotationes quædam hiſtoricæ additæ.

ESSAY SUR L'USAGE DES MONTAGNES, &c.

hoc eſt,

TENTAMEN DE USU MONTIUM, CUM EPISTOla de NILO, Auctore E. BERTRAND, Academiæ regiæ Boruſſicæ Collega.

Tigurini, impenſis Heideggeri & Sociorum, 1754. 8.
Alph. 1.

Neminem arbitrari fas eſt, tellurem, ob aſperitatem, quam ex iugis montium habet, informe & ſcabrum corpus eſſe; ſed, cur hoc ſibi ita ſtatuendum eſſet, quo ultra ſuperficiem planetæ, quem incolimus, multum emineret, rationes habuit evidentes creator omnipotens. Has erudite, pie, & religioſe exponit eruditus Auctor, argumento e ſummis montium Helveticorum, quibus natus eſt, cacuminibus decerpto. Continua montium iuga, quibus quæ deſtituatur pars orbis nulla eſt, pondus globo tribuunt, quo ille, quo minus extra ſuam, quam ſibi datam habet, orbitam excedat, impeditur. Deinde ad augendam ſuperficiei telluris maſſam montes inſerviunt. Cum enim curvas quas montium iuga flectunt lineas metimur, parvo illorum ſpatio, iugis aſpero, plures ſuſtineri cives, quam in planitie vivunt, poſſe, velut in Helvetia eſt, videmus. Eſt etiam maior monticolis, quam illis, qui planitiem incolunt, vivendi, & vitam ſalubriter tranſigendi commoditas. Illis levior, quam qui in plano eſt, inſpiratur aer; qua de cauſa, cum patria excedunt, ob ſuſtinendam ſpatioſiorem aeris maſſam, non tam deſiderio, quam neceſſitate mechanica compulſi,

pulsi, domum reverti cupiunt, quem patriæ amorem Nostalgiam appellant. Proponuntur variæ aëris, quoad gravitatem aut levitatem mensurandi rationes, uti quis aut ad superficiem terræ propius aut longius abest. Sunt etiam aliæ montium utilitates. Sine his nec fontium origines, nec fluminum perennitates essent ullæ. Excurrit noster hac occasione in fluminum origines, eorum, a maribus distantias, & Helvetiæ suæ laudes, quæ Germaniæ, Italiæ, Galliæ, flumina e suis dimittit hydrophylaciis, uti bonum civem decet, deprædicat. Deinde id quoque montibus datum est, ut limites ditionum constituant, populos dirimant, eorum stationes ab exterorum invasionibus reddant liberas, utque maribus, ac aquarum magnis imbribus effusarum torrentibus, frænum, iniiciant, quominus in latum excurrere illi possint. Multa de montium cavernis, calore naturali illis insito, hydrophylaciis, & fontium scaturiginibus proponuntur quam ingeniosissime, & omnia ad pietatem & religionem accommodantur. Viscera quoque montium rimatus Noster, fossilium historiam tradit integram, tam eam, quæ omnium terrarum est, quam quæ singulariter est Helvetiæ. Fossilia sub summis *terræ*, *lapidis*, *bituminis*, *mineralis metalli*, capitibus continentur, Terræ vel macræ sunt vel pingues, harum aliæ sunt vegetationi aptæ, summa tellure stratæ, aliæ seorsim proveniunt, *coloribus*, *contentis*, *usu*, distinguendæ. Salia figuris sibi per naturam datis dignoscuntur; figuræ *tetrahedricæ natrum*, quod ex uliginosis saxis aut stratis saxeis efflorescit, *prismaticæ* autem *nitrum* est. *Salmarinum cubicam* formam, *alumen tessellatam*, *vitriolum rhomboidalem dodecaëdram*, assequuntur. Bitumen vel liquidum est, vel solidum, illud olea de petris scaturientia, hoc, *succina*, *sulphur*, *Gagatem*, *ampelitem*, *carbonem fossilem*, *sulphur* omne, ipsosque lapides contrectando pingues visos, *steatitem*, *lardi lapidem*, comprehendit. Lapides ita ordinat, ut illos, vel solitariis glebis, vel stratis maioribus poni perhibeat. Solitarii lapides, vel a pelluciditate, vel a duritie, vel ab aliqua forma ac specie ordinem accipiunt. Qui vel lucem admittunt, vel a polita superficie illam, sub parvo volumine, reflectunt, dicuntur *gemmæ*,

mae, pellucidae, variis coloribus diſtinctae, ſemiopacae, opacae. Stratis maioribus ordinantur, *alabaſtra*, *marmora*, *ſaxa* alia: Alii lapides, quos figuratos dicunt, vel intra ſe figuram habent, ſuntque cavi, uti *atitae* tubuloſi, lamellares, vel extra ſe eam oſtendunt, illi ſcilicet *emmorphi*, animalium vegetabiliumve ſpeciem referentes, e quibus alii archetypi formam omnino, alii apparenter ſub aliqua ſimilitudinis umbra, referunt. Iucundus igitur utilisque lectu liber eſt, Auctorque Poetam, oratorem, phyſicum, hiſtoricum, ubique egit laudabiliter.

DE' PRINCIPI DELLA MORALE FILOSOFIA,

id eſt,

PRINCIPIORUM PHILOSOPHIÆ MORALIS, cum dogmatibus Romano-catholicae religionis collatorum, Libri III, Auctore NICOLAO GHEZZI, Soc. Ieſu.

Mediolani, impr. ex regio Ducali Palatio, 1752, 4.
Alph. 5 plag. 16.

Amicum eſt Philoſophiae morali cum morali Theologia commercium, ſi utraque genuinis innitatur principiis, rationibusque inde deductis. Verum enim vero conſonat. Maximum hoc decretum ſummi fecit Rev. Ghezzius, commentationes ſuas, per dialogorum viciſſitudinem ac varietatem, redditurus gratiores. Libro primo inducit differentes de rerum Auctore, Deo, quem eſſe omnino, docet. Colloquentes deinceps exhibet, de felicitate mentis corporisque hominum, in hanc vitam cadente. Naturalem hanc beatitudinem dari negant Baius & Ianſenius, quos refellere contendit Noſter, ratus, miſerias, quibuscum vita haec noſtra conflictatur, eſſe caſtigationes modo, & diſciplinae rationes, non poenas. Libro ſecundo exponit de liberis actionibus humanis. Quas cum dari docuit, oppugnatum it Stoicorum, aſtrologorum, & praedeſtinatianorum de fato doctrinam. Nectit argumenta, quibus eam, quam Ianſeniſtae dicuntur liber-

tati

tati humanæ necessitatem tribuere, repellat. Adiungit cautionem, ne quis controversiæ huius decisionem in Augustino quærat, tradens nihilominus, doctrinam Augustini Iansenianorum doctrinarum complexui haud favere, sed potius eam esse, quæ Ecclesiam romano-catholicam personet hodieque. Tum vero enervare ac radicitus evellere Iansenismum Auctor laborat. Notiones *primas*, quas de *libertate* animo informare oportet, edisserit, haud dissimulans difficultatem, conciliandi liberas hominum actiones, cum eorum statu, divinitus dependente. De Physica prædeterminatione scholarum Thomisticarum differit, in qua tuenda Iansenistæ sunt toti. Libertatem esse Pag. 504.
animæ facultatem, ab omnibus aliis facultatibus distinguendam, sciscit Auctor, negans, exercitium libertatis esse actum animæ realem, quippe quam pro relatione quadam eius ad hunc, vel ad quoddam rationis momentum, reputat. Notionem 533.
de libertate suam contendit esse remotissimam ab errore Semipelagianorum, conformem vero doctrinæ Tridentinæ; siquidem ea congruat cum gratia efficace, & cum providentia Dei falli nescia, immo cum prædestinatione ad glo- 589.
riam, a Tridentinis Patribus tradita. Libro tertio exponit 705.
regulam Ethices primariam, in *honestate* collocatam, cuius fundamentum situm sit in eo, ut homo in voluntate Dei acquiescat, fonte virtutum theologicarum ac ethicarum. Si, quid Deus velit, dubitatio incidit, Auctor hominem ad præscripta doctorum remittit. Hi vero distribuuntur in *rigidos Tuzio-* 855.
ristos, in *mites Tucioristos*, in *Probabilioristas*, in *æque Probabilistas*, ac *Probabilistas*, simpliciter sic dicendos. Post- 930.
quam de eis suos colloqui iussit, dividit theologiam moralem in dogmaticam & casuisticam, & recenset rationes, cur ii, qui confessiones peccatorum excipiunt, debeant Probabilioristarum explere mensuram. In Præfatione notavit Cardi- 9.
nalis Caietani ac Dominici Soti effata, qui tradiderunt, enuntiata, quæ naturali rationis ex lumine, ac per evidentes rationes sciri possunt moralique in classe versantur, per auctoritatem divinam vel humanam decidenda haud esse, solique Deo esse proprium, ea vel limitibus coërcere, vel tollere,

Inprimis id iudicium Duumvirorum ſpectat quæſtionem, an montes pietatis ſint contractus uſurarii, & quinam contractus veniant nomine contractuum uſurariorum. Stupet ad hæc Rever. Auctor, ratus, argumennta Spiritus ſancti ac ſacræ ſedis, eſſe omnibus ſanæ rationis enuntiationibus ſuperiora. Nobis ad hoc poſterius, de Sacræ ſedis effatis, idem accidit.

LA STORIA DELLA BASILICA DI SANTA CROCE in Geruſalemme.

i. e.

HISTORIA BASILICÆ S. CRUCIS IN IERUSAlem, templi Romæ. Auctore, Domino RAIMUNDO BESOZZI, Abbate Monaſterii S. Crucis.

Romæ, ex typographeo Generoſi Salomoni, 1750, 4. Alph. 1 plag. 7.

Excitat diligentiam doctorum Italiæ virorum Summus Romanorum Pontifex, Benedictus XIV, literarum perennis ſplendor, cui hoc opus fuit conſecratum. Adiecit Auctor libro figuram proſpectus, quo templum S. Crucis in *Hieroſolyma* dictum, ſeſe effert. Antiquitatem habet eximiam iſthæc baſilica. D. Hilarion Rancati, olim ibi Abbas, ſcripſit inter alia ad Iongelinum, in *Notitia Abbatiarum Ciſtercienſium: Ad Monaſterii noſtri S. Crucis in Hieruſalem fundationem quod attinet, ea tam antiqua eſt, ut præter ea, quæ apud Onuphrium Panvinium de Septem Urbis Eccleſiis reperiuntur, vix præterea quicquam addi poſſit.* De Baſilica Seſſoriana ſcripſerunt Borichius, Faunus, Ciampini, Boſius, Gretſerus, Panvinius. Quidni unus de S. Crucis in Ieruſalem Baſilica ex profeſſo ſcribere adgreſſus eſt? Multa ſane memorabilia id templum complectitur, & diffundit. Fundatore primo gaudet Conſtantino Maximo, cuius geſta potiſſima percenſet ven. Auctor, intentus præcipue ſigno cœleſti, quod illi victoriam per Ieſum de Maxentio ſpopondit. Crucem Chriſti, ſeu programma eius, vidit Imperator die luculento. Inſcriptio Romæ extat, huius rei teſtis, ſic conformata: *Hoc ſalutari ſigno*

ſigno vero fortitudinis indicio civitatem veſtram tyrannidis iugo liberavi & S. P. Q. R. *in libertatem vindicans priſtinæ amplitudini & ſplendori reſtitui.* Arcum ibi Conſtantini quis ignorat? Demolitus ædem fuerat Diocletianus Chriſtianam. Reſtituit eam Conſtantinus, & templum in memoriam S. Crucis cœpit exſtruere, teſte Socrate I, 12. quod mater ipſius Helena perfecit, teſte Euſebio *de vita Conſt. M.* III, 46, unde illud dictum fuit ædes *Heleniana* in Concilio Romano, A. 433 celebrato, Cap. 17. Art. 4. Anno 320 Baſilica illa iam erat condita, teſte Pontificali Romano in *Vita Silveſtri*, & quidem in palatio Seſſoriano. Unde id palatium eo nomine fuerit inſignitum, ignoramus, licet Acro ad Horatii I, Sat. 8, eius loci, *Seſſorium* dicti, in Exquiliis ad portam maiorem, iam meminerit. De ſitu Seſſorii non idem omnes ſentiunt. Templum S. Crucis putant multi ex æde Veneris & Cupidinis a Conſtantino factum fuiſſe. Id ſane vero abſimile, nec prudentiæ Imperatoris conſentaneum, qui delubra nulla Romæ demolitus eſt, aut in nova inſtituta convertit. Supplicium crucis fero ſuſtulit. Vetuit immolare dæmonibus hoſtias, delubris inviolatis, teſte Theodoreto V, 20. Iuxta Veneris ſtatuam, Helena, in monte Golgata, in Crucis rupe ſitam, ſtruxit ædem S. Crucis, teſte Hieronymo *Epiſt.* 13. Quidni iuxta Veneris templum, idque clauſum, tentaſſet idem Romæ? S. Crucis ædes hæ ſacræ dictæ ſunt *Heleniana* Seculo V, item *Baſilica Hieruſalem*, in *ordine Romano X*, edito per Mabillonium, *baſilica in palatio Soſoriano, baſilica Seſſoriani palatii, in Suxurio, in Cenſorio, in Suſulio* &c. Dicitur hodieque *baſilica Seſſoriana.* Ad formam crucis fuit illa exſtructa. Deſcripſit eam Auctor congruenter modulo, quo gaviſa fuit ad inſtaurationem usque, Benedicto XIV. eccleſiam ſuam gubernante, peractam, Capite IV. Quinto inquirit curatius, an illam Helena condiderit. Sexto, formam templi inſtaurati exponit. Septimo ſacellum S. Gregorii ſubterraneum ediſſerit. Octavo de Sacello S. Helenæ ſubterraneo tractationem inſtituit. Nono altarium lateralium meminit diligenter. Decimo de ædicula, in qua reliquiæ ſacræ, quotannis monſtrari ſolitæ, agit.

Pag. 9. 11. 17. 26. 63. 91.

agit. Undecimo modum exponit, quo sacramentum sacrosanctum in basilica conservatur. Duodecimo de donis ac possessionibus basilicæ antiquis loquitur. Sequenti
Pag. 99. res ei est cum basilicæ instauratoribus. Decimo quarto exhibet seriem Cardinalium, quibus fuit titulus S. Crucis in Ierusalem proprius. Horum nonnulli Pontificatum nacti sunt, recensiti Capite XV. Sequenti Capite disserit de reliquiis, in hac basilica reconditis. Decimoseptimo edisserit indulgentias, invi-
150. sentibus hanc basilicam propositas. Duodevicesimo de stationibus, huic basilicæ propriis, exponit. Undevicesimo disserit de festis, ei peculiaribus. Vicesimo enarrat functiones, olim in hac basilica peractas. Sequenti ad dignitatem eius exponendam progreditur Enarrat XXIIdo concilia,
170. inibi habita A. 433, 499, 502. Capite XXIII definit templum patriarchale, cui tributus fuit S. Crucis in Ierusalem titulus Cardinalitius. Antistites templi S. Crucis enarrat Capite XXIV. Accedit ad monasterii, quod basilicæ est adiectum, rationes commemorandas, Capite XXV. Tandem antistites Capite XXVI percenset. Monasterium ordini Ci-
216. sterciensi est consecratum. Primus ei Abbas præfectus fuit anno 1563. D. Gregorius Oschasan, ad annum usque 1569, ac denuo 1572. Inter successores ipsius spectabiles fuerunt viri, rei literariæ amatores, amplificatores, immo Cardinalis D. Gioacchinus Belozzi.

DE RELIGIONE ANTIQUORUM UBIORUM DISsertatio Historico-Mythologica qua ex purissimis fontibus, monumentis, lapidibus Nummis, eorum sacra, Dii, Deæ, ritus, Cerimoniæ, diducta paucis explicantur. Editio altera, auctior & emendatior, Auctore AUGUSTINO ALDENBRUCK, e Societate Iesu.

Colo-

Coloniæ Aug. Agrippinensium, anno a rep. Salute 1749, Superiorum permissu. Typis & sumtibus Henrici Nœthen, Typographi & Bibliopolæ Coloniensis.

Plag 13. & dimidia, in 4.

Constat hoc opus, præter prolegomena, sex Capitibus. Illa docent, quid sit religio, quidque eo pertineat, quæ gentis Ubiorum origo, num iidem a Gallis orti, quæ tandem sint Ubiorum sedes, nomen, caput civitatum. Horum primum agit de Diis Ubiorum, Tuitone, Rheno, Hercule Saxano, Hercule Macusano & Deusoniensi, Deoque Bacurdo: alterum de Deabus Tanfana, Velleda, Nehallennia, Hariasa, Semela, ceteris; tertium de communibus Diis, Mercurio, Marte, reliquis; sequens de Deabus communibus Iside, Gabiis, Victoria, Fortuna, Geniis: penultimum de fano Martis & Ubiorum ara: postremum de sepulcris aut in mortuos religione. Quibusdam Ubii videntur, sub fictis numinibus Pag. 8.
coluisse naturam, vid. *Mourgues, plan Theologique* Tom. I. 9.
sub Bacchi forma vinum, sub solis ignem, sub Deabus variis aquam, intellexisse, vel terram, ideoque φυσιολογίαν sub μυθολογία latere. Sunt &, qui a Noemica religione deflexisse dicunt, & erroribus abreptos, in ἰδωλομανίαν lapsos, cum ceteris Germanis confinibus & Gallis Rheno disiunctis, id quod vero similius *Aldenbrückio* videtur. Hic autem, 18.
prius quam cultum exponit, nomen indicans, ab *über, ower, uwer, ufer*, Germanorum vocabulis, derivat; sedes Montensium, Vestanorum, Signensium, vel quorum regio circum 19.
scribitur Rheno, Siga, Rura Montensi, nominat; aliis fines ad Loganam usque versus orientem, ad Luppiam, versus septentriones, extendentibus: Caput regionis vocat Mulheimium, aut verosimilius Tuitium. Ad coloniam Agrippinam quod attinet, *Gelenius* Lib. I. de Col. Mag. synt. 3. 20.
lapidem antiquum designat, hunc urbis titulum præferentem:

M. MARIO. M. F.
STEL. TITIO. RVFINO
COS.
LEG. I. MINER. P. F.
CVR. COL. CLAVD. AVG.
AGRIPPINENSIVM
PROCOS. PROV. SICILIAE
CVR. AMITERNOR. PRAEF.
TR. PL. Q. PROV. MACEDON.
SE. VIR. TVRMAR. EQ. ROM.
TRIB. LATICI. LEGI. ADIVD. P. P. III. VIRO. STL.
LITIBVS. IVDIC.

Pag. 21. seq. *Tuitii* conditor, *Tuito*, *Tuisto*, *Theuth*, a Gomero, postquam
is cum parente Iapheto, reliquisque fratribus in Europam venerat, hinc ab universa gente, rex salutatus est, illique late a
23. Tanai usque ad Rhenum iura dedit. *Schottelius* liberius *Tuitonem* cum *Teutone*, & *Teutate* Celtarum, immo *Theuth* Ægyptiorum confundit. Tum, quatuor illis nominibus, unum modo cœli terræque rectorem intellectum esse, contendit, pie magis, iudice nostro, quam verosimiliter. *Vossio* Teutates idem est cum Mercurio planeta, qui Germanis *Wodan* dictus fuerit. Præter Divitense munimentum, colebatur *Teuto* Teu-
24. toburgi, cet. Nominantur ab eodem personæ *Theutgaudus*, *Theodebaldus*, *Theudebertus*, *Theutsinda*, *Theuderix*, vel *Deutorix* Sicambrorum regulus, *Theutdericus* idem dialecto po-
36. steriore. Generis eiusdem exstitisse putatur *Hercules Macusanus*, quem & *Deusoniensem* esse dictum existimat, & vel a *Tuitiensi* quodam, vel alio regionum adiacentium incola, pro-
39. genitum, mox earum principem, denique Deum fuisse. Sed adhuc ignotior est Deus *Baeurdus*, quem duæ saltem inscri-
40. ptiones indicant. Ut e cornu copiæ, quod alterius aræ parte altera, sculptum visitur, coniicit Auctor, ad impetrandam terræ fertilitatem, invocatum istum fuisse, credibile videtur.
41. *Tanfanæ* verosimiliorem aliis notationem adferre putatur. *Lipsius*, a *Tan*, quod Britannis ignem notat, deducens. Hinc

Lesca-

Lescaloperius Lib. II. de Nat. Deor. §. 67. *Tanfanam* veteribus Gallis ignem ait fuisse, qui Romanis *Vesta*. *Nehalenniam* ostendunt inscriptiones: DEAE. NEHALEE. ERIAT. TIVS. IVCVNDI. Pag. 47.
PRO. SE. ET. SVIS. V. S. L. M. & de qua *Turchius* in MSt. 48.
narrat, quatuor aris insculptum: DEAE. NEHALLENNIAE. SVM. 50.
MATRONIS. PRIMANVS. V. S. L. M. Invocabant illam Deam præsertim, ad felices in mari cursus, navique propitias undas obtinendas. Id Neptunus cum tridente, mareque procellis æstuans, ad vivum in lapidibus illius & aris expressa, designant, in primis autem sequens inscriptio: DEAE. NEHALENNIAE. OB. 51 seq.
MERCES. RECTE. CONVATAS. SECVND. SILVANVS. NEGO † TOR CRETARIVS. BRITANNICIANVS. V. S. L. M. Adhæc bellis eam ac prælijs, ipsique pecori, præficiebant, animalia sua, maxime damas, canes, tauros, cervos, cet. eius curæ tradentes. Præterea Deas Hariasam, Semelem & illius sorores, matronas *Ru-* 53. seq.
manebas vel *Romanebas*, matronas *Vacallinebas*, *Sulevias*, 55.
Sulvas aut *Sulfes* (quæ campis ac silvis præsiderent, hinc ma- 56.
tronas, præsides, dominas passim appellatas) *Suevas* aut *Suebas*, *Hamavebas* matronas, tanquam tres mulieres in lapide 57.
sculptas ad mensam variis fructibus instructam sedentes, matres paternas, matronas *Gesatenas*, matronas *Maviatinebas*, 58.
& matronas *Rummebas*, adlatis inscriptionibus, Auctor memo- 59.
rat, quas vero Germanorum singulas Deas fuisse, nec partim vel alienas, vel modo sanctas, admodum dubitamus. Prius & de Diis Deabusque communibus, observ. Jum. Singulatim No- 74.
ster de *Gabiabus* quatuor, de *Fatis* unam adducit inscriptionem. Illæ dicatæ fuere IVNONIBVS GABIABVS, MATRONIS GABIABVS, cet. Fata cum *Parcis* easdem exstitisse probatur, eas- 75.
que pariter *Gabias* esse dictas, asseritur. *Martis* Coloniæ fanum fuit, quo loco porta Martis (*die Mart-Porten*), ad Rhe- 84.
num ducens, hodieque reperitur. In hocce fano, hostibus detracta spolia, suspendere solebant ac dedicare, more rituque, præter dubium, a Romanis tradito. Præterea memoratur Ubi- 86.
orum ara, quam *Lipsius* & eum secutus *Wernberus Teschenmacher* vel Coloniæ, vel non procul inde fuisse putat; cum secundum *Tacitum* Vetera, vulgo *Santen* ad LX. lapidem ab

eadem

eadem abfuerint. *Hermannus* comes *Nevenarius*, Godesbergam aræ locum conſtituit, ad V. fere ſupra Bonnam lapidem: quod ſit veroſimilius, aram in edito loco conſpicuam ſtetiſſe, more gentibus profanis uſitato, præcipue, cum in eodem monte ſtetiſſe fanum & aram Aeſculapii, conſtet e veteris lapidis Pag. 87. inſcriptione. *Rau*, Profeſſor Marpurgenſis, libro ſingulari conatur evincere, Transrhenanis Ubiorum in ſedibus illhanc aram exſtructam fuiſſe; cuius autem rationes confutare ſtudet Noſter, Germaniam Rheni partem cum *Iac. Campio*, *Turckio* in MSto, *Cluverio*, *Gelenio*, *Balthaſ. Blumio*, cuius libellus *de ara Ubiorum* 1743. prodiit, defendens & Bonnæ conſtituens.

90. Sed nos, ab aris, ad ſepulcra progredimur. Cum animos maiores, corporeis vinculis ſolutos, ad feliciorem vitam avolare, vel in lunæ ſphæram transferri, vel per vulgatam Pythagoreorum *μετεμψύχωσιν*, in pecudes transmutari crederent: eorum cadaveribus iam aurum & gazas, quibus Deos inferosque iudices placarent, adponebant, iam unguenta, neſcio quæ, manibus defunctorum includebant, quibus, in altero mundo, ſuſcepta forte vulnera curare poſſent. Componebant eos lectulis, ad menſas, veluti perpetuas ad delicias, Eliſiis in campis, accumbentes: iuxta ponebant in Mauſolæis vitra, lampades, urnas. Adſtabant & famuli, qui cibos offerrent, infunderent pocula
91. & ad manducandum invitarent. Præter plures latinas inſcri-
98. ptiones ſepulcrales, quæ nos non tangere videntur; iungitur &, medii quidem æ-, Germanica: HIR MATTHVLER MANGVOS BEWER VAN WELOG INDE WID VOM SIGI. *Gelenius* dicit, ab *Athan. Kirchero* dictum ſibi, *matuleren* idem eſſe, quod *violenter abripi*. Noſter igitur exponit: *hic violenter e vivis ſublatus eſt*, Mangnoſus *ædificator Viliacenſis*, & *late circa ſigam regionis*. Optaremus alias eiusmodi, ſcriptoris ſatis accurati, patriarumque antiquitatum amantiſſimi, lucubrationes; paulo magis tamen ab exterarum admiſtione diſtinctas.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLIV.

ORIGINES GUELFICÆ, QUIBUS, QUÆ AB Henrici Magnanimi obitu gens potentissima fata habuit, & cum primis Henrici Leonis, Saxoniæ & Bavariæ Ducis, eiusque, tum liberorum omnium, tum præcipue quatuor filiorum, Henrici Palatini, Luderi, Ottonis IV Imperatoris, & Wilhelmi Luneburgici, vita & res præclare gestæ, recensentur. Opus ex Illustrium Virorum, Godefredi Guilielmi Leibnitii, Io. Georgii Eccardi, & Io. Danielis Gruberi, schedis manuscriptis editum, curante CHRISTIANO LUDOVICO SCHEIDIO, ICto, Serenissimæ familiæ Guelficæ a scribenda historia.

Tomus III.

Hanoveræ, sumtibus Orphanotrophæi Moringensis, 1752, fol. Alph. 10. plag. 10. cum figg. æri incisis.

Procedit Operis splendidissimi Liber VII, quo vita ac fata Henrici Leonis, ac eius liberorum, operose & solide exponuntur, ex auctoribus optimæ notæ, instrumentis item atque chartis maxima parte ineditis, numis, sigillis, aliisque monumentis ære expressis. Illustratur simul universa Germaniæ, & sigillatim Conradi III, Friderici I, Henrici VI, Ottonis IV, Philippi, Friderici II, & Henrici VII, Imperatorum Regumque historia, immo Episcoporum, Du-

eum, & Cœnobiorum eius ætatis res multæ deteguntur, familiæque Comitum & Nobilium ex diplomatibus illustrantur mirum in modum. Augustissimo & Potentissimo Regi Daniæ ac Norwegiæ, *Friderico V*, Editor Ill. Opus sacravit, præstantissimi argumenti præfationem præfixit eidem, annotationes varias & diplomata adiecit passim. Mirandum sane est, Leonis genus fuisse antiquum & potens, ac nihilominus ab obscuriori Stauffiorum gente, in altum evolante quam celerrime, valde imminutum esse. Ineunte Seculo XI floruit in Suevia nobilis, Fridericus, filius Friderici *de Buren*. Prioris filius, æque Fridericus, castrum Stophen seu Hohenstauffen condidit, qui habuit coniugem Hildegardam, ex qua procreavit Fridericum de Stophen, Henrici IV imperatoris generum, & A. 1080. Sueviæ Ducatu potitum, Ottonem Episcopum Argentoratensem, Ludovicum Comitem Palatinum, Walterum, Conradum, & Adelheidam. Id ipsum comprobavit Ill. Scheidius ex Wibaldi *Codice epistolari* apud Martenæum in *Collect. Ampliss.* Tom. II, pag. 557, atque charta ad A. 1094. exhibita, apud Franc. Guillimannum *de Episc. Argentorat.* pag. 210. Definire non audet articulum temporis, Præf. p. 5. quo factiones, Gibellina & Guelfa, intra Italiam erupit. Imperante Friderico II, utraque iam late vagabatur. Ptolemæus, Lucensis Episcopus, originem ad A. 1215 retulit. At factionum utriusque initia sunt ex æmulatione Stauficæ & Guelficæ domus, adeoque ex adolescente Seculo XII repetenda. Id enim docuit Otto Frisingensis *de gestis Friderici* II, 1. 2. Avunculus Conradi Salici, Regis Romanorum, erat Henricus V, Imperator. Henricus V eiusque maiores erant *Gibelingi*, orti quippe ex Wibelinga Francica, quæ haud procul Heidelberga erat sita. Conradus Urspergensis ad A. 1124 de Henricis III, IV, V, Imperatoribus; *Iidem Principes de Wabilingen oriundi dicebantur.* Chronico Laurishamensi teste pag. 73. Conradus III dictus fuit *de Weibelingen.* Henricus IV iam sensit in se Welfi conspirationem, cum Rudolfo Duce Suevorum initam, ac questus fuit, Welfum in eo fuisse, ut ipsi regnum adimeret. Anno igitur 1077. Henricus Imperator Welfum terris feudisque

que omnibus privavit. Annus iste elucet ex Henrici IV. chatta, quam Auctor hoc loco primus in lucem produxit. Pag. 8.
Welfus alius, Comes, cum Conrado Iuniore & Ernesto Sueviæ Duce, adversus Conradum II Imperatorem iam conspiraverat, ideo ab hoc, ad tempus exilio deputatus, & Comitatu avito, *Tirolis* nempe, exutus. Prima hæc odii semina Welforum in Wibelingos. Quis fuerit Lotharii, Saxonum Ducis, postea Imperatoris, avus, definitu haud est facile. Appellarunt eum nonnulli viri eruditi Lotharium. Mater eius certe fuit *Hedwigis*, Formbacensibus Comitibus progenita; avia autem *Ida* Querfurtensis fuit Gebhardi filia, testibus Annalista Saxone ad A. 1106. & Chronographo Saxone ad A.
1009. Ill. Præfationis Auctor laudat sententiam Cel. Gebhar- 12.
dii, qui Idam tribuit uxorem Ottoni, Comiti Palatino, Sueviæ Duci, licet ei haud accedat, sed rem in medio relinquat, chartis denuo aliis, quæ passim latent, fortassis decidendam. Matrem Lothario fuisse Hedewigem, e Comitibus Vorenbach natam, ostendit ex *Chronico Luneburgico* p. 1372. Tom. I Corporis Script. medii ævi *Eccardiani*, & Chronographia Conradi Halberstadensis, manuscripto, in bibliotheca regia Hannoverana obvia, fortassis ex Henrici de Hervordia transscripto. Gentis Formbacensis efformatam dat genealogiam sat longam. Contenent, quantum ad Hedewigem Lotharii matrem attinet, codex *Traditionum cœnobii S. Mariæ Form-*
bacensis. Accedit, quod Lotharius Imperator huic monaste- 16.
rio A. 1136. litteras impertivit confirmationis, quibus prodit, id a parentibus suis fundatum esse, apud Hundium in *Metrop. Salisb.* p. 121. Negat Ill. Editor, a Conrado III in Albertum Ursum fuisse dignitatem Archiofficii Camerariatus translatum. Initia simultatis Friderici Imp. inter & Hen-
ricum Leonem hæc probabilissime definit. Fridericus A. 1160. 21.
imperium, morte sua vacaturum, destinavit Friderico, Sueviæ Duci, Conradi Regis filio, teste Sigeberti Gemblacensis Auctario Affligemensi, & huic, forte extincto, substituit Henricum Leonem. Fridericus vero ille obiit 1166. Fridericus A. 1169. filium suum Henricum, adhuc puerum, Aquisgrani

curavit Regem declarari, & Henrico Leoni datum promissum fefellit. Inde contepuit amicitia inter Imperatorem & Henricum Leonem. Ex eo tempore Imperator odio suo in Leonem habenas remisit privato. Fridericus Ducatibus privavit Henricum Leonem, causam interferens, hunc ecclesiarum Dei & Nobilium Imperii libertatem oppressisse, possessiones eorum occupasse, iura imminuisse, noluisse accusatum ab his Imperatori se offerre & causam suam dicere, immo maiestatem imperatoriam læsisse. Crimina hæc erant efficta, prouti ostenderunt Eccardus in hoc opere, & opusculo eleganti D. Io. Georg. Scherzius, antecessor Argentoratensis. Fridericus Imperator indulsit Wichmanno Archiepiscopo, ut
25. hic Henrico Leoni raperet & adimeret castrum *Sumersenburg* & *Iuterbueg*, cum annexis terris. Lucius III. A. 1184. hæc ecclesiæ Magdeburgensi, si preces Wichmanni veritate niterentur, donavit. Castrum tamen Seburg Wichmannus ex hereditate
27. sua ei applicuit. Ottonis Wittelsbachii, in quem Fridericus Ducatum Bavariæ contulit, fortitudo, & in Imperatorem merita recensentur. Otto erat Imperatoris in aula *Ensifer*, & in castris *vexillifer*. Otto, Frisingensis Episcopus, eum malevole descripsit, in *Præfatione* ad *Chronicon*, tradens ipse, se *ex amaritudine animi sui hoc* Chronicon *scripsisse*. Mirum est, Welfum, Henrici Leonis patruum, ad Ducatus translationem quievisse. Cur Henricus Leo Saxoniam potius, quam Bavariam, funesta Imperatoris sententia afflictus, tuendam duxe-
32. rit, Ill. Auctor rationes ponderis magni evolvit. Renuntiavit Otto IV. pro se ac suis A. 1208 Ducatui & heredis Bavariæ, in gratiam Ludovici, Ducis Bavariæ, qui erat gener Henrici Longi, ex Henrico Leone nati. Diploma exhibet Ill. Editor, præterea ostendens, Conradum I, Burggravium Noribergensem, Henrico Leoni fuisse adversum. Addit Idem, firmissimis argumentis adductus, Henrico Magnanimo, socerum Lotharium tradidisse urbem Noribergam in beneficium, ac Conradum metuisse, ne posteri Guelfici id castrum sibi
34. vindicarent denuo. Noribergæ prima mentio fit apud Lambertum Schafnaburgensem ad A. 1072. Henricus IV ibi 1073. ali-

aliquot diebus substitit, eodem teste. Legati Pontificis ibi occurrerunt Imperatori 1074. Idem A. 1097. Ratisbonæ & circa castrum Nurenberg omnem æstatem transegit, teste Bertoldo Constantiensi. Henricus V, in patrem insurgens, post mensium duorum obsidionem *castellum Nurnberg* occupavit, eodemque, e Polonia 1110 redux, venit. Unde dilucet, Noribergam fuisse ditionis Imperatoriæ, ideoque Lotharium Imperatorem id a Friderico & Conrado Ducibus, qui id occuparant castrum, repoposcisse, A. 1126 obsedisse, 1127. Henrico genero in feudum dedisse, ac 1130 occupasse. Ex quo obierat Lotharius, Henricus Magnanimus occupavit castrum Noribergense, & ibi insignia imperii custodivit. Conradus III vero Henricum & castrum obsedit, ac in suam ditionem redegit. Virtutes summas & pietatem Henrici Leonis, Ill. Editor meritissimis prosequitur laudibus. Monumenta beneficentiæ eius prædicant domus votivæ, Riddageshusa, Lammespringa, Lucca, Schinna. Comitatum Aslensem, Ottone Comite exstincto, cessasse, & hereditaria eius bona Episcopatui Hildeneshemensi A. 1185. fuisse ab Adelheida, uxore Adolfi Comitis Schowenburgici, filia Ottonis, in publico conventu tradita, exceptis 18 mansis ac duobus molendinis, ad Oedelem sitis, & monasterio Luccensi donatis, intelligitur ex diplomatibus tribus, quorum editionem Ill. Editori debemus. Idem originem cœnobii Schinne, intra Comitatum Hoia quondam siti, ad A. 1148. ex litteris fundationis primus ostendit. Condidit Henricus Leo tres Episcopatus, Raceburgensem, Swerinensem, & Aldenburgensem seu Lubecensem. Chartas, ad eorum illustrandas origines, attulit ac examinavit Noster, opera laudanda. Divortia fuisse uxorum facta ad alicuius de coniugum consanguinitate, coniugii vinculum impediente, iusiurandum, maxime temerarium, exemplis comprobat, & ipso Henrici Leonis divortio, quod ad oblatum Imperatoris tale iusiurandum usu venit cum Clementia Zeringia, evincit. Prohibitio matrimoniorum demum A. 1115. in Concilio Lateranensi, ad consanguinitatis gradum fuit adstrictum. Nova ratione ostendit, validisque conficit argu-

Pag. 39. 50.

mentis, Friderici I Imperatoris uxorem, Adelam, haud fuiſſe Henrici Nigri ex filia, Diepoldo Marchioni Vohburgenſi nu-
Pag. 52. pta, neptem. Operæ pretium fuerit, genealogiam Stauficam repetere. En illam:

N. N.

Fridericus	Berta
Fridericus de Buren	Bezelinus de Vilingen
Fridericus conditor arcis Stophen, Dux Sueviæ.	Bertolphus cum barba
Fridericus Dux Sueviæ	Lutgardis, uxor Diepoldi, Marchionis Vohburgenſis
Fridericus I Imperator —	Adela, Adelheis, uxor Friderici Imperat.

Videas, lector, quæſo, & inſpicias, ſi dubites, *codicem epiſtolarem* Wibaldi, celeberrimi Stabulenſis & Corbeienſis Abbatis, qui in Friderici Imperatoris aula vixit, & eius gratia mul-
54. tum valuit, editum a Marteno & Durando in *Collect. ampliſſ.* Tom. II, pag. 557. Memoratu dignum ſane eſt, *Clementiam* illam *Zeringiam*, ab Henrico Leone dimiſſam, nupſiſſe iterum Humberto III, Comiti Moriennæ, qui Dux Sabaudiæ erat ſecundus: ac ex eo filiam ſuſcepiſſe Adelam, quæ Ioanni ſine Terra, poſtea Regi Angliæ, deſponſata, ante nuptias deceſſit. Clementiæ pater erat Conradus Dux Zæringenſis. Conradi frater erat Bertoldus, Dux Zæringenſis. Bertoldi uxor Sophia, erat Henrici Nigri, qui Henrici Leonis erat avus, filia. Henrici Leonis Ducatus Saxoniæ fuit hereditarius, ideoque filius eius natu maximus, Henricus, patre defuncto, ſe *Ducem* appellavit in ipſis comitiis, ac ab Imperatoribus in diplomatis ita dictus fuit. Ad A. 1195. vocatus fuit in comitiis Gailenhuſanis *Henricus Dux de Brunſuic*, & frequentiſſime alias *Dux Saxoniæ*, ad vitæ finem. Poſtea etiam Duces Brunſuicenſes appellati fue-

fuerunt *Duces Saxoniæ*. Viro Cel. Io, Gottlob Hornio, non- Pag. 56.
nihil in aurem instillatur, gravius iudicium ferenti in Henricum Ducem Saxoniæ, ac Comitem Rheni Palatinum. Obiectiones, veluti tela prævisa, solide removet Cel. Editor. Id haud omittendum, Comites in Saxonia demum ortos fuisse *immediatos*, postquam Fridericus Imperator ex *Vasallis* Du- 58.
cis Henrici Leonis fecit suos, seu imperii vasallos. Henricus quidem Longus ad pristina clientelæ vincula Comites vicinos reducere laboravit, teste Arnoldo Lubecensi *III*, *1. n. 5.* sed frustra. Ad matrimonium filiæ Henrici Leonis, Mathildæ, cum Gaufrido, Comite Perticensi, Gallo, contractum, egregie Vir Illustris commentatur. Provinciam Ditmarsicam Hen- 62.
ricum Longum ex patrimonio patris reportasse, donatione ex Stadensi denuo intelligitur. De Irmingarde & Agnesa, Henrici Leonis filiabus, copiose disseruit Ill. Auctor. Addidit delicias de Ottonis Strenui coniugio, cum Mathilde Bavarica inito, easque historiam Bavariæ & Brunsuicensium Ducum mirifice illustrantes. Edisseruit argumenta, quibus inducimur ad arbitrandum, Conradinum, ultimum gentis Stauficæ, ad Agnesæ Palatinæ posteros terras suas ac heredia transmisisse. Agnesa ea erat Henrici Longi filia, Ottoni Duci Bavariæ nu- 78.
pta. Petrus de Pretio, cuius *narrationem* Schminckius Cl. edidit, refert, Conradinum instituisse heredem Margaretam Misnicam, amitam suam. At ex tabulario Electorali Monachiensi evulgavit duo diplomata Ill. Editor, ad A. 1263 & 1266. data a Conrado Sueviæ Duce ac Rege Hierosolymorum & Siciliæ, e quibus intelligitur, Conradini matrem fuisse Ottonis Illustris filiam: & quæ sunt indicio, in Ludovicum Ducem Bavariæ, Conradum seu Conradinum omnia sua bona, per donationem mortis causa transtulisse, ac postea 81.
huic, si forte Ludovicus decederet improlis, adiunxisse fratrem Ludovici, Henricum. Acute deinceps perscrutatur Vir laudibus nostris maior, cur Dux Bavariæ sese haud commoverit, Conradino obtruncato, ad Italica Stauffiorum regna & dominia occupanda, contentus confirmatorio Rudolfi Habspurgici diplomate, quo ad A. 1273. loca donationis intra Germaniam

niam sita recensentur. Dapiferatum ecclesiæ Bambergensis habebant Duces Bavariæ, ideoque ex beneficio advocatiam in Hersprunk, Vilseke, Aurbach, cum castro Hohenstein. Henrico Leone proscripto, Fridericus Imperator Dapiferatum hunc usurpavit, ac domui suæ intulit. Conradino interemto, Dapiferatus ad Duces Bavariæ rediit. Nominatim Berchtoldus, Episcopus Bambergensis 1269, 13. Kal. Iul. eum Ludovico, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, eiusque successoribus contulit. Diploma Berchtoldi emendate edidit Noster. Otto IV, id enim nobis haud est prætermittendum, quamprimum Romæ corona imperatoria fuit insignitus, precibus Leonis Regis Armeniæ locum dedit, qui suum ex filio nepotem Rupinum, voluit ab Imperatore Regem creari. Misit in Armeniam Otto Willebrandum, Canonicum maioris ecclesiæ Hildeneshemensis, qui, peragraturus terram sacram, Palæstinam postea, Rupinum in Armenia Regem, imposita corona, declaravit A. 1211. & novo parique vinculo cum Romano Imperio devinxit. Descripsit iter suum Willebrandus, posthæc Episcopus Paderbornensis, & Archiepiscopus Traiectensis ad
Pag. 84. Rhenum. Descriptionem publicavit Leo Allatius in *Symmictis* Coloniæ 1653, 8. Editor tandem in Daniam grato animo retrospicit, ac matrimonia, quibus Daniæ Reges cum Ducum Brunsuico-Luneburgicorum filiabus, vel Duces cum Regum illorum filiabus, coniuncti fuerunt, exponit. Varii in hanc materiam insederunt, per Auctorum incuriam, errores. Hos notat, profligat, & veritate substituta permutat Ill. Editor. Ut paucis sententiam eius explicemus, rei dignitas postulat. Principatum obtinet Gertrudis, Henrici Leonis filia, ex priori uxore Clementia Zæringensi, nupta Waldemaro I. filio Canuti 1169, vidua Friderici, Ducis Sueviæ. Waldemaro II, Canuti qui erat frater, Henrici Palatini ad Rhenum filia destinata fuit nuptui A. 1202, & Henrici huius frater Wilhelmus, Helenam, sororem Canuti, 1202. uxorem duxit. Errant, qui Gertrudem vocant Ingeburgam vel Rixam. Errant, qui VValdemaro II uxorem tribuunt Mariam, Ottonis
86. IV Imperatoris filiam. Otto enim fuit prorsus improlis. Errant,

rant, qui Regi Danorum, Erico ſancto, ſeu *Plougpenning*, tribuunt Mechtildem, Alberti Ducis Brunſvicenſis filiam. Ericus enim ille dudum obierat, cum Mechtildis naſceretur. Alberto Duci Regem Chriſtophorum A. 1253 oppignoraſſe duas regiones ſuas, Samſo & Ondeshagæ, atque Inſulæ Alſiæ poſſeſſionem tantiſper tradidiſſe etiam iam antea, nunc demum ex diplomate Regis Chriſtophori diſcimus. Vendiderunt poſthæc Duces Brunſvicenſes illa bona Gerhardo Holſatiæ Comiti, nacto confirmationem A. 1300 a Rege Erico. Ericus Rex Luneburgi fuit A. 1278, iniitque cum Alberto Duce compacta, ac inter ea illud de mutuis tandem nuptiis filiorum & filiarum invicem. At liberi utriusque tunc tenerioris erant ætatis. Alberto Duce A. 1279. mortuo, matrimoniorum illorum ſpes omnis evanuit. Hæc ad Præfationem. Longi in ea evolvenda fuimus propterea, quod nova ibi exhibentur monumenta, quorum memoriam conſervare noſtrum eſt. *Tomus III* Originum Guelficarum, complectitur Operis *Librum VII*, expoſitione hiſtorica æque ac monumentis diplomaticis conſtantem. In æs inciſa hic apparent ſigilla Henrici Leonis, & alia; Leo aheneus a Leone Brunſuici conſtitutus; epitaphia Henrici Ducis & Ottonis San-Blaſiana; lipſana ſacra S. Blaſii Brunſvicenſia; ſtatua Henrici Leonis & Mathildis uxoris, in curia S. Autoris obvia Brunſvici; Epitaphium Elgeri & Lutrudis Ilefeldenſe; patina aurea *Monſtrantiæ*, ex argento deauratæ, incluſa, ex lipſanis Sanblaſianis; monimentum ſepulcrale Henrici Leonis atque Mathildis; pictura Sanblaſiana Henricum Leonem referens; ac numi tum ſolidi, tum bracteati, iuſſu Henrici Leonis cuſi. In omnibus Leonis numis viſitur *leo;* & in averſa, aut porta turrita, aut propugnaculum muris cinctum. Præter alia hic in æs inciſa, exhibentur ſigilla Henrici, Ducis Saxoniæ, & Comitis Palatini ad Rhenum, ex Leone procreati, nec non ectypa numorum, ad hunc referendorum, ſi Eccardi iudicio ſtandum eſt. Pag. 88.

Novimus vero, poſthæc Eccardum expoſitiones, quæ hic leguntur, haud unas admodum mutaſſe, & ad ædem S. Simonis & Judæ Goslarienſem traxiſſe. Ipſe Ill. Scheidius, hanc Ec-

cardiani ingenii versatilem indolem notavit p. 234. Monimentum sepulcrale Agnetis Landsbergicae, quae fuit altera Henrici Palatini uxor, Winhusanum, visu dignum, habes hic aeque aeri incisum. Statua Ottonis IV & Mariae uxoris, quae Brunsvici ad S. Auctoris curiae extima spectatur, aeque hic in imagine exhibetur. Accedunt sigilla utriusque, & numi Ottoniani. Wilhelmi fratris statua, eique nuptae Helenae, nec non tria Wilhelmi sigilla, numi eius nulli, aere expressa spectatorem afficiunt satis. Diplomata adiiciuntur 316, magnam partem antehac inedita. Decerpemus nonnihil ex hi-
Pag. 9. storia ipsa. Henricus Leo A. 1129. natus fuit, anno 1136. intra Pentecosten baptizatus, ac A. 1139. patre orbatus. Saxones puero conservarunt Ducatum. Hostes Sueviae ac Bavariae VVelfus consanguineus propulsavit. Adolfo, Comiti Holsatiae, iam tum in Lubecam & Holsatiam iura erant haud modica. Imperator A. 1141 Henrico, Marchioni Austriaco, Ducatum Bavariae tradidit. Interfectus fuit A. 1144.
13. Rudolfus, Comes Stadensis. Inde inter Ducem Leonem & Alberonem, Archiepiscopum Bremensem, de Comitatus Stadensis possessione lis exarsit. Occupavit eum Leo, & ad posteros transmisit. Leo non dimisit animum recuperandae Bavariae. Clementia Zaeringia, Leoni, dotis loco attulit *castrum*
17. *Baden*, Rheno adiacens, A. 1157. Ditmarsi, homines inquieti, Comitatui Stadensi suberant, & Leoni. Interemerant Comitem Rudolfum. Igitur A. 1148. Leo adversus rebelles profectus, fuit victor. Episcopi, Aldenburgicus, Swerinensis, ac Raceburgensis, a Leonis ditione pependerunt, exceptis occupationibus ecclesiasticis. A Conrado III, Ducatum Bavariae repoposcit Leo, Wibaldo Abbati adulatus, cuius opera Conradus regebatur & flectebatur. De Comitatu Winceburgico vacuefacto concertarunt A. 1152. Leo & Albertus Marchio. In comitiis Wirceburgicis A. 1154. Leoni adiudicatus fuit Comitatus Winceburgicus, additis plurium per Saxoniam ecclesiarum advocatiis. *Castrum Winceburg*, nihil praeterea, fuerat feudum Episcopi Hildeneshemensis. Terra adiecta
25. erat Comitis, nunc vero Ducis. Non vacat repetere lites

Leo-

Leonis cum Adolpho, Holſatorum Comite, ac Hartwico, Archiepiſcopo Bremenſi. Contra hunc obtinuit Wormatiæ in comitiis 1153 inſigne privilegium, quo inveſtitura trium Epiſcoporum, quos antea memoravimus, ei confirmata fuit. A. 1154 Leo recepit Bavariæ Ducatum; Henricus vero Marchio, Pag. 29.
Ducatum Auſtriæ, A. 1154. in Goslariæ comitiis. Tum vero Fridericus Rex cum Henrico Leone in Italiam properavit. Redux, Archiepiſcopum Bremenſem & Epiſcopum Halberſtadenſem multavit iuſſu Friderici, quod promiſſum comitandi Regem in Italiam violaverant. A. 1157 *Utina* intra 41.
Holſatiam, in uſum Epiſcopi Aldenburgenſis conſtructa, a Geroldo Epiſcopo, Leonis mandato. Henricus Leo id enixe egit, ut omni ſilva Hercinia metallifera potiretur; ideo caſtrum Baden, & alia bona Suevica, cum Imperatoris Scartfelda, Herzberga, & *curte* regia Pœlde, permutavit 1157. ac a Fride- 43.
rico Comitatum Utonis, & *foreſtum* in Hercinia, prædiumque Eimbeccenſe accepit. Uto ille fuit Comes in Lisga, Conra- 46.
do II. Regi ætate ſuppar, & vel nepos vel filius Utonis illius Comitis in montanis Harz, quem, A. 949. Continuator Regionis, e vita deceſſiſſe tradit. Eccardus eum fruſtra inter Comites quæſierat Northeimenſes, quorum genealogiam ſimul dederat. Videtur tamen p. 49 ei, præter meritum, a B. Grubero gravis memoriæ lapſus fuiſſe tributus. Monachium Bavariæ, e villa ſurrexit auſpiciis Henrici Leonis, in urbem. Cardinalis Rolandus, in Germaniam legatus, multa in Fridericum I. Imperatorem effutierat. Cum ipſe Rolandus fieret Papa 51.
Alexander III, Cardinales quidam oppoſuerunt ei Victorem IV. Hunc Imperator tueri cœpit. Exinde malorum lerna. Alexandro III Henricus Leo poſt annum 1166. factus fuit amicior, eiusque partes ad exemplum Welfi Ducis ſequi cœpit. Hæc erat origo odii Friderici I. in Henricum Leonem, odii, quod poſtea extingui non potuit. De Hannovera ad Henricum Leonem, Conrado II Comite Rodio exſtincto, devoluta, & ab Ottone Puero atque Ottone Strenuo vindicata, leguntur in annotationibus argumenta, admodum memoratu digna, ab Ill. Grupenio copioſius, in *Antiquitatibus Hanoveranis*, evoluta.

Pag. 54. Genealogiam Comitum *de Rode* Eccardianam omittimus,
siquidem eam passim emendandam & supplendam esse, alii
56. monuerunt. Insulam Gothiam circa A. 1157. Danis fuisse
subiectam, non Suecis, solide contra Eccardum monuit Ill.
Gruberus. Gravior tamen correctio est, quae monitionem
hanc proxime praecedit: *Huiusmodi unius eiusdemque rei diversa narratio, uti lectorem dubium relinquit & incertum, ita auctori suo semper est dedecori.* Omittimus plures Gruberi
65. refutationes, indolis aequalis. Apud Helmoldum II, 7. legendum esse, pro *Otto Marchio de Camburg*, utique *Otto Marchio de Brandemburg*, Grubero facile credimus. Raynaldi, Archiepiscopi Coloniensis, & Hartwici Bremensis antistitis, in Leonem acerbitates omittere haud licet. Ille A. 1167. mense Augusto periit intra Italiam, peste; hic vero multas ab A. 1165. in Leonem machinatus est difficultates, & contentiones Sociorum. Redux Leo ex Palaestina A. 1173, templo S. Blasii Brunsvici ornando reliquiis sacris, inde deportatis, animum adiecit. Hae in aes incisae, & oratione limpida descri-
80. ptae, oculos animumque pascunt. Fridericus Imperator A.
1177. Henrico Leoni, quem in Italiam revocabat, insidias vide-
86. tur structurus fuisse, ut huius terras in se transferret. Recusavit Leo venire, offerens imperatori numos & exercitum. Quamdiu Leo masculis heredibus carebat, Imperatorem expertus est amicum, heres eius futurus per matrem Iuditham. At cum Leoni contigissent filii heredes, Fridericus eum evertere statuit. Noluit praeterea Leo Fridericum iuvare adversus Alexandrum III, schismatis pertaesus. Reconciliatae tandem pacis gratiam iniit Fridericus Imperator cum hoc Alexandro, Venetiis 1177, &, ita quietem nactus, odia in Leo-
90. nem aperuit, antea Italice suppressa. Ulricus, Episcopus Halberstadensis, in Leonem primus insurrexit, Slavis domandis intentum. Philippus Coloniensis in VVestphaliam irruit. Queritur Dux de insultibus A. 1178 Spirae, apud Imperatorem. Vocavit eum Fridericus Wormatiam, ut inimicis eorumque querelis Leo responderet. Aeque arcessitus Magdeburgum, iterum non comparuit, praevidens insidias. Dynastarum

Som-

Sommerſeburgenſium genealogiam prætermus. Obſcurum eſt, quo iure Leo popoſcerit dynaſtiam Sommerſeburgicam. Adelheidis Abbatiſſa, Alberti, ultimi dyna- Pag. 99.
ſtæ ſoror, dynaſtiam vendidit Archiepiſcopo Wichmanno. Leo caſtrum Sommerſeburg funditus diruit, tradiditque Echardo, dynaſtæ Warbergenſi. Comitiis Wirceburgenſibus A. 1179. iunxit Imperator ſententiam in Henricum feralem, eamque confirmavit A. 1180. ſolenni Gelnhuſano diplomate. Ita *Ducatum Bavariæ & Weſtfaliæ* abrogavit Leoni 105.
iniuſtiſſime, nec non feuda imperii univerſa abiudicavit iniqua ſententia. Id oſtendere conatus fuit Eccardus. Oſtfaliæ Ducatus Henrico tamen haud fuit ademtus. Henricus copias immiſit interea in Weſtfaliam, rebelles ibi Comites puniturus; ipſe Goslariam, Northuſam, & Thuringiam invaſit. Id Leoni funeſtum, quod Caſimirus Princeps Pomeranorum A. 1180 obiit, ac ſtatim Slavi a Leone defecerunt. Leo Regis Daniæ Waldemari opem fruſtra petiit. Venit in Saxoniam exercitus Imperatoris. Numero & vi, non conſiliis & iure, aiunt, Leonem in anguſtias deiectum. *Lawenburgum* Arnoldi II, 31, quod Cæſar expugnavit, poſt caſtrum Herzberg & Blankenburg expugnatum, Eccardus convertit in Stauffenburgum. Nulli dubitamus, memorari caſtrum Lauenburg, a Qued- 110.
linburgo haud admodum olim diſſitum, ſed pridem everſum. Genus primorum Comitum Honſteinenſium, Eccardus expoſuit p. 137. Edelgeri vero I, Ilefeldenſis, filius, Edelgerus II, primus fuit Comitum Honſteinenſium. Henrici Longi cognationem cum Papa Cæleſtino, huc usque nemo curate evolvit. Ad eam provocavit Papa, viſo Henrico in comita- 138.
tu Henrici VI Imperatoris, Romæ coronati. Philippi Auguſti, Galliarum Regis, coniugem priorem, Danicam fuiſſe, non Blotildam Hovedeni, ſed Ingelburgem, a. 1193. ductam, recte monetur ad Eccardum. Philippus petiit Agnetem Pa- 148.
latinam in uxorem alteram, illa repudiata. At Henrico Longo ea obtigit. Quæri poteſt, an Henricus Leo a. 1195. obierit? Expendit argumenta ſingula in utramque partem Gruberus, ac tandem, Leonem anno ætatis 66. deceſſiſſe, natum

Pag. 156. 1129. Teſtamentum Henrici Leonis, quo patrimonium dici-
175. tur inter filios diviſiſſe, ſuſpectum eſt omnino. Tertiam Hen-
rici Leonis filiam, Alienoram, nondum inniti firmis argumen-
178. tis, facile, quæ Eccardus de ea habet, produnt. Niclotum,
regulum Obotritorum, fuiſſe fratrem Pribislai I, Polaborum
reguli, merito in dubium revocatur. In Alberici Chronico
edit. Leibnit. p. 350 pro *Reneke de Brunſuick*, legendum eſt
Heneke de Brunſuick, & pro *Illam* ibi legendum eſt *Idam*.
181. Hæc Ida fuit filia Comitis de Longuy, de Homburg & de
Caſtris, quam Henricus Leo habuit concubinam, ex qua ge-
nuit Mathildem, Borewino Principi Slavorum, unde Duces
Meklenburgici effloruerunt, nuptam. Idæ, quæ Henrici Leo-
nis fuit amica, genus, hoc loco ad liquidum omnino fuit de-
ductum. Henricus Longus circa a. 1173. natus ſit opor-
tet. Deeſt hiſtoricis adhuc luculentum eius rei teſtimonium.
194. Henrico Palatino, Leonis filio, fuiſſe hereditaria bona intra
Italiam, documentis conſtat indubitatis. Iis conſuluit re-
dux e Palæſtina Henricus benignis diplomatibus. Uno
eorum ad a. 1189. inſtrumento, appellatur Henricus *Dux, fi-*
205. *lius quondam Henrici Ducis de Sanſonia*. Anno 1204. a fra-
tre Ottone IV ad Philippum Regem defecit, nactus in ſe Gos-
lariæ advocatiam. Innocentius III. id ægre tulit. Igitur ſtu-
duit Dux Henricus, Ottonem IV cum Philippo Rege,
licet fruſtra, reconciliare. Philippo 1208 occiſo, fratri
210. adhæſit. In Angliam abiit anno 1209. adulto. Agne-
tam, uxorem alteram Henrici Longi, patri genuino Conrado,
Marchioni Landsbergico, feliciter reſtituit Gruberus. Idem
p. 43. ſeq. initia Marchionatus Badenſis ſolide evolvit, iudicio
Eccardum utique ſupergreſſus. Proſcribit hic ſolide pro-
218. ſcriptionem, quæ fingitur ad a. 1215. a Friderico II. Ratisbonæ
in Henricum Longum emanaſſe. Iam a. 1214 gener Hen-
rici, Otto, Ludovici Bavariæ Ducis filius, patrimonium Agneſæ
225. uxoris, Palatinatum, poſſidere cœpit. III. Gruberus oſtendit
optime, Henricum Longum, ad vitæ finem vicariam Impera-
toris in Saxonia tenuiſſe poteſtatem, cum Ducatu. Ut Eccardus,
nata occaſione, Phil. Iul. Rethmeieri Chronicon caſtigavit, ita
Eccar-

Eccardum Ill. Gruberus passim confutat. *Cadimus, inque vicem plagis contundimur ipsi!* Qui Germaniæ historiam avent in numerato habere, eis hic largus apponitur apparatus. Angliæ, Daniæ, Galliæ, Italiæ, Græciæ & Palæstinæ, immo ipsius Armeniæ res, passim nobis hic ob oculos ponuntur. Applaudimus igitur Ill. Scheidii laboribus, quibus hunc thesaurum, vel potius eius, ipsi concessam, editionem, orbis eruditus ac politicus debet, ad omnem famæ perpetuitatem valituram. Quali autem animo in Eccardum fuerit Gruberus, vel ex hoc indicio p. 84. constat, ubi sic indicavit: *Pudet me Domini Eccardi, qui ne leviter quidem se scientia locorum Germaniæ tinctum, toties prodit.* Aiunt, graviores passim a Grubero in Eccardum fuisse obelos coniectos, quos, benigno & æquo animo in manes Eccardi, eliminaverit Ill. Scheidius. Nisi Eccardi in labores incidisset Gruberus, parcius ipse ad perspicaciam pervenisset. Colimus merito merita & memoriam Quatuorvirorum, Leibnitii, Eccardi, Gruberi, ac in primis Scheidii, qui ad labores historicos feliciter profligandos, favente Minerva, factus est.

CENTIFOLIUM CAMALDULENSE, SIVE NOTItia Scriptorum Camaldulensium, quam, ceu prodromum, exceptura sit bibliotheca Patrum Camaldulensium; seu operum ad historiam, disciplinam, & ascesin sac. ord. Camald. a tinentium, collectio, Tomis VI comprehensa. Cuius bibliothecæ, seu collectionis accurandæ ad calcem prævius exhibetur conspectus. Auctore P. MAGNOALDO ZIEGELBAUR, ordinis S. Benedicti, Societatis literariæ incognitorum in terris Austriacis Secretarii.

Venetiis, ex typographia Io. Baptistæ Albrizzi, Hieronymi filii, 1750. in fol.

Alph. 1.

Cuius

Cuius praematuram mortem dolendi gravissimas habet causas resp. litteraria, Cl. Auctor, laudabile suscepit consilium, celeberrima monachorum Camaldulensium, eruditionis gloria & ingenii monimentis, quae reliquerunt, illustrium, nomina, posterorum memoriae diligenter commendandi. Cum enim inter omnes convenit, quanta emolumenta similes libri rei litterariae attulerint, eo magis de centifolio hoc multa praeclara exspectanda sunt, quo rariores sunt, de Camaldulensium in litteras meritis, commentarii. Quamvis superiori seculo *Petrus Cannetus*, Abbas, in congerenda Camaldulensium Bibliotheca, multum temporis consumserit; latent tamen ea, quae conscripsit, in Bibliothecis manu exarata, usque dum fidem liberent doctissimi monachi Murenses, quam dederunt, interprete viro celeberrimo *Angelo Calogiera* in epistola ad *Ziegelbaurium* mens. Febr. 1747 scripta, fore, ut eorum opera opus illud emendatum & absolutum prodeat. Equidem fateri haud piget, Camaldulenses, si eos cum aliis Benedictinorum familiis contuleris, admodum parum in componendis libris laborasse, adeo ut scriptorum, eius ordinis exiguus sit numerus. Neque id, quantum iudicamus, mirum est, si cogites, hoc esse ordinis illius institutum, ut cum ab omni societate remoti, in locis desertis vitam degunt, ac meditationi aliisque exercitiis sacris operam dant, omnis fere denegetur iis facultas, in litteras incumbendi. Certum est, musas aliorum consortio delectari, seque raro ab humana societate pati disiungi. Quid, quaeso, ab eremitis licet sperare, quibus ne opificum quidem opera, ad comparanda ea, quae ad victum cultumque corporis sunt necessaria, uti datum fuit. Nihilominus, non prorsus abhorrere Camaldulenses a suavissimis litterariis negotiis, abunde comprobat, quod nuntiamus, *centifolium*, in quo conscribendo eum tenuit Cl. Auctor tractandi ordinem, ut, servato litterarum, quae cognominum primae sunt, ordine, de mortuis aeque ac iis, qui adhuc in vivis sunt, differat, ac potissimum scripta ab illis exarata, sedulo enumeret. Nostri instituti ratio imponit nobis necessitatem, singu-

ſingulos nominandi, de quibus commentatus eſt. Memorat igitur *Abundium Collinam*, *Aloyſium Maſſæum*, *Ambroſium Traverſarium*, *Andr. Vallemannum*, *Angelum de Anna*, *Angelum Calogiera*, *Angelum Gabrielium*, *Anſelmum Coſtadonium*, *Anton. Franciſc. Caramellum*, *Antonium Parmenſem*, *Arcangelum Haſtivillium*, *Arcangelum Spinam*, *Auguſtinum Romanum Fieri*, *Auguſtinum Fortunium*, *Aurelium Antonellum*, *Barthol. Fabragroſſam*, *Baſilium Viennenſem*, *Baſilium Balvenſem*, *Benedictum Puccium*, *Benedictum Buſſium*, *Benedictum Locatellum*, *Bernardinum Gadolum*, *Bonaventuram Fanenſem*, *Bonifacium Collinam*, *Cyprianum Artuſinum*, *Clementem Orioli*, *Demetrium Scaranum*, *Euſebium Hiſpanum*, *Euſebium Periolum*, *Ferdinandum Romualdum Guiccioli*, *Franciſcum Hiſpanum*, *Fulgentium Thomaſelli*, *Germanum Bottam*, *Germanum de Vecchiis*, *Gherardum II.* ſcriptorem Seculi XIII, *Gregorium IX.* Pontificem Romanum, quem Camaldulenſi ordini adſcriptum fuiſſe, alii affirmant, alii vero negant; *Gregorium Farullum*; *Guidonem Aretinum*, *Guidonem Grandum*, inſignem ac celebrem geometram; *Guitmundum*, ſive *Guimundum*, Seculo XI. florentem; *Hieronymum Pragenſem*, quem cave eundem credas cum amico Huſſi; *Hieronymum Bardium*, *Hyac. Mariambrocetti*, *Hippolytum Ballarinium*, *Iacobum Brixianum*, *Iacobum a Certaldo*, *Innocentium Matthaeium*, *Ioannem Baptiſtam Cremenſem*, *Ioannem Baptiſtam Loffredum*, *Ioannem Laudenſem*, Sec. XI. clarum, & ſanctis adnumeratum; *Ioannem Tarviſinum*, *Ioannem Benedictum Mittarellium*, *Ioannem Claudium Fromond*, *Iuſtinianum Bergomatem*, *Ladislaum Radoſſanium*, *Laurentium Pantaleonium*, *Lucam Hiſpanum*, *Marc. Antonium Paggium*, *Mariottum*, *Martinum*, ordinis antiſtitem Sec. XIV. *Maurum Lapium*, *Maurum Sartium*, *Michalem*, *Michaelem de Monte-Phiaſonio*, *Nicolaum Biadium*, *Nicolaum Monerbium*, *Odoard. Mariam Baroncinum*, *Paulum Canalem*, *Paulum Iuſtinianum*, *Paulum Orlandinum*, *Paulum Surianum*, *Petrum Benincaſam*, *Petrum Candidum de porticu*, *Petrum Cannetum*, *Petrum Damianum*, celebrem Sec XI. Scriptorem; *Petrum Delphinum*, *Petrum Quirinum*, *Philippum*

Fantonium, *Philippum Mariam Macchiarellium*, *Placidum*, Sec. XII. illustrem, *Rodulphum*, Sec. XI. clarum; *Rodulphum* iuniorem, Seculi XII. ornamentum; *Romanum Merighium*, *Romualdum*, totius Camaldulensis familiae Auctorem & patrem; *Romualdum a Bergomo*, *Samuelem Clusentinum*, *Sebastianum a Fabriano*, *Secundum Piccolatium*, *Seraphinum Fellecchiam*, *Severam Parellam*, *Silvanum Bosello*, *Silvanum Razzi Simeonem*, qui Sec. XIII. claruit, *Theophilum Macchettium*, *Thomam Minuim*, *Thomam Naufrescum*, *Timotheum a Biblena*, *Venturam Minaclum*, *Vitalem Aquaductum*, *Vitalem Zuccolum*. Quamvis hic satis magnus esse videatur scriptorum, Camaldulensium ordinis, numerus; plures tamen, qui in hunc censum veniunt, omissos esse, *indice* comprobatur, quem a Cel. *Calogiera* studiose confectum, noster operi suo adiunxit. Excipit hunc *Catalogus Bibliothecae patrum Camaldulensium*, quam Cl. *Ziegelbauerus* promisit; morte tamen impeditus, promissa haud executus est. Animus ei erat, *sex* illius conficere *Tomos*, eorumque *primo*, huiusque *Parte priore*, historiarum Camaldulensium libros tres, quibus aliarum quoque religionum origines inserendae, *posteriore* uberiores rerum Camaldulensium commentarios, Auctore *Augustino monacho Angelorum*, complecti: *secundo*, *Ambrosii Camaldulensis* epistolas, alias eruditorum virorum ad Ambrosium, eiusdem praefationes & hodoeporicon; item *apologiam* pro historiarum Camaldulensium libris contra *Lucam Hispanum*, aliaque opuscula a *Guidone Grando* aliisque conscripta: *tertio*, *Petr. Delphini* epistolas: *quarto* opuscula, ad disciplinam monastico-eremiticam spectantia, qualia sunt: *regula S. Benedicti*, commentariis *Silvani Razzi* illustrata: *eremitarum Camaldulensium constitutiones*, a *Rublo Iustiniano* editae: aliae huius generis constitutiones, cetera: *quinto* libellos asceticos: *sexto* denique miscellanea, sive ad historiam, sive ad disciplinam monasticam, sive ad sacram ἄσκησιν referantur, comprehendere. Habemus sane, cur doleamus, expectationem, quam de praeclaro opere excitavit Cl. Auctor, vanam fuisse; nec tamen diffitemur, haud leve nos sentire levamen, cogitantes, superbire adhuc

fami-

familiam Camaldulensium viris doctissimis, qui satisfacturi sint forte spei nostræ. Quod ut fiat, summopere precamur. Abunde ex his patere arbitramur, quale sit libri, de quo dissérimus, argumentum. At vero interesse videtur lectorum, paulo accuratius nosse, quanta ex eo exspectare oporteat commoda. Exemplo nobis sint, quæ de *Paulo Iustiniano* disseruit. Pauca de vita eius innotuerunt. Quamvis enim illustrissimis natalibus usus sit: nihilominus, cum solitario vitæ generi sese addixisset, obscuritatem in laude posuit, ac virtutes illas, quas in aliis eremitis admirati sunt homines, exprimere multum studuit. Cum Romualdum, sanctorum, quos Romanenses colunt, cœtui adiunctum, summa prosequeretur reverentia, Auctor fuit novi eremitarum sodalitii, quod ab illo nomen sortitum est. Tanta enim misse fertur vitæ sanctimonia, tantaque edidisse miracula, ut sectatores eius, ad expetendam illius a Romano pontifice beatificationem, adducerentur. Vitam finivit ann. 1528. multis ingenii monimentis clarus. Horum catalogum *Ioannes Avogadro Tarvisinus*, & *Augustinus de Floribus*, confecerunt. Alia latina, alia italica oratione exaravit. Spectant huc *sacra eremi Camaldulensis constitutiones*, anno 1520 typis descriptæ, & a *Silvano Razzio* illustratæ: *tractatus obedientiæ: epistola ad M. Ant. Flaminium*, & *tractatus de officiis pontificis*, aliaque, quamvis maximam partem adhuc lateant, tenebris oppressa. *Petri Delphini* epistolæ a multis doctis viris, ob rerum utilitatem, & dictionis elegantiam, commendantur. Aliter de illis iudicarunt *Menagius* & *Niceronius*, ita ut nonnisi tres, aut quatuor, ista laude dignas censerent; ceteras spernerent omnes. Opposuit illis Cl. Auctor auctoritatem *Helvetiorum*, qui lexicon universale Basileæ in lucem emiserunt; sed vix credimus, tantam eam esse Auctorum, ut, nisi aliis argumentis res comprobetur, quidquam efficiat. Inter reliqua referet nonnullorum, scire, quæ de *Iustiniano Bergomate* notavit A. ut alia taceamus.

DE SACRA POESI HEBRÆORUM, PRÆLECTIOnes Academicæ, Oxonii habitæ a ROBERTO LOWTH, A. M. Collegii Novi nuper Socio, Poeticæ publico Prælectore. Subiicitur Metricæ Harianæ brevis confutatio, & Oratio Crewiana.

Oxonii, ex typographeo Clarendoniano, 1753, 4 mai. Alph. 2 plag. 4.

Auctor Clariss. Poeseos prælegendæ, ex instituto ac legato Henr. Pirkheadi, LL. D. Colleg. Omn. Animar. quondam Sodalis, provinciam nactus, non commodiori aut feliciori exordio auspicaturum sese prælectiones suas arbitratus est, quam si eas, divina ante omnes Poesi explicanda quasi consecrasset. De hac ergo 34 prælectionibus ita exposuit, ut non, cum plerisque Poeseos Hebr. interpretibus, metrorum commenta, coniecturarum vanitate, sectatus, ipsius magis orationis poeticæ in Sacris LL. naturam, vim, elegantiam, artificia, sublimitatem suavitatemque, sententiarum componendarum, ordinandarum artem atque concinnitatem, evidentibus exemplis, gravissimis pariter ac suavissimis deprehensam, non subtili minus enarratione, quam politissima oratione, describeret. Sed ne metrum quidem ac numeros prætermittit, quantum notare eos, in deperdita prorsus pronuntiatione linguæ mortuæ, elegantis iudicii viro datum erat. Ac primo, metricam esse Poesin Hebræorum, indiciis docet manifestis; etsi, quales illi numeri sint, iam demonstrata ratio vetat deprehendere: eminent illa indicia in Psalmis, literarum ordine dispositos versus habentibus, quales sunt *25. 34. 37. 111. 119. 145. Prov. 31, 10.* extr. Threni Ier. toti, præter Cap ult. in concinnitate congrua verborum, ac pæne syllabarum, sibi respondentium; in glossis denique, id est, peregrinis vocabulis, aut vocabulorum conformationibus; ipsorum versuum alii aliis longiores, 7 syllabarum brevissimi, 14. longissimi, per unum semper carmen pari fere mensura continuati atque exæquati, sententiam cum sua clausula integram absolventes; ultra ascendere, coniecturas veritus, sibi haud permisit. Universi

versi autem carminis hæc lex, hoc artificium, ut certo verborum numero sententiæ decurrentes, nunc similibus similes, nunc adversæ reddantur adversis, mox repetita, mox illustrata; nil fere desit, nil redundet; unde & hæc orationis forma מזמור dicitur, quasi recisum undique amputatumque, vitis modo, quæ מזמרה vocatur: cum soluta contra oratio, quasi libera, fusa ac fluens, שלוחה appelletur. Orationis autem poeticæ vis, ex significationibus voc. משל, quod de universa adhibetur, (cum & proverbium, seu ænigma, & comparationem, & dominationem, seu dignitatem principis significet,) tribus dicendi formis constituitur, Sententioso & Acuto, Figurato, ac Sublimi. Sententiosi generis eadem origo apud Hebræos, quæ apud Græcos, idem consilium, ut præcepta sapientiæ, consilia vitæ regundæ, vaticinia quoque & oracula, versibus expressa, memoriæ facilius insculperentur: eaque vel maxima sapientiæ laus, aut secunda certe, haberetur, sapientum dicta callere; *Prov. I, 6. Sap. VIII, 8. Eccl. I, 25. VI, 35. XVIII, 29.* quorum alia quidem obscura, acuta, subtilia, unde & ænigmata (מליץ) vocata: sublimia alia, audacia, animi motibus sublata: quo ex genere sunt vaticinia Iacobi (*Gen. XLIX.*) Mosis ipsius, in Deuteronomio: qui & ad extera alia huius generis provocat monumenta, *Num. XXI, 14. 15. vers. 27. 30.* ubi dicta τῶν מושלים οἱ ὁ vertere, αἰνιγματιστῶν, August. Quæst. 45. in Num. egregie explic. Poetas: utrumque tamen genus concinnum ac numerosum; coniuncta autem in SS. LL. illa duo genera sic inveniuntur, ut, cum elata ac sublimitatis dignitate pleraque emineant, sententiarum acumine cuncta sint expolita. Simplicissima in didacticis Psalmis ratio: ubi, cum præter numeros, ac verborum concinnitatem, nil admodum sit poeticum, res ab initio nude proposita, verbis deinde variatur, per Synonyma repetitur, aut contrariis comparatur. In Figurato autem Genere apud Hebr. præcipuæ Figuræ vigent Metaphoræ, Allegoriæ, Comparationis, Prosopopœiæ; communibus fere legibus subiectæ. Metaphoræ a rebus ducuntur, aut naturalibus, quarum imagines apud Hebræos sunt simplices, perspicuæ, a rebus notis & ob-

viis repetitæ, evidenti similitudine constantes, eidemque perpetuo rei signandæ addictæ ac veluti mancipatæ: quales sunt tenebræ ac lux, rerum adversarum secundarumque imago: aquarum exundationes, calamitatum: (quæ translatio apud Iobum nusquam obvia, nonnisi torrentis perfidi similitudine usum, *Cap. VI, 15 - 20.* quales Arabia habet, Arabem fuisse, tanto magis arguit;) earum tamen præcipuæ rerum, quæ Iudaicæ regioni propriæ, quanto audaciores nobis ac longius repetitæ, tanto magis familiares Iudæis, facilioresque videbantur: veluti mons Libanus, virili dignitati serviens exprimendæ, sicut muliebri venustati Carmelus, in Cant. Salom; fera arundineti, *Ps. LXVIII, 30.* i. e. Leones in carectis Iordani, tyrannum signans ferocem: quo ipso familiaritatis iure, leviori nonnunquam similitudinis nexu defunguntur contentæ: aut e vita communi, artibusque genti familiaribus atque caris, ut agricultura, pecuaria, trituratione, improborum pœnis egregie sane designandis accommodata: *Es. LXIII, 1. 3.* a mortuorum quoque statu; aut a sacris, ut a templo, sacerdotis ornatu, Cherubinis; aut ab historicis denique, præcipuis illis quidem, & apud Iudæos celeberrimis, quales sunt creatio mundi, *Ier. IV, 23 - 26. Ies. XXXIV, 11. Ioel. III, 15. 16.* diluvium Noachicum, *Ies. XXIV, 1. 18: 19. 20.* Sodomorum excidium *Ps. XI, 6. Ies. XXXIV, 8 - 10.* maris rubri transitus, *Ies. XLIII, 16 - 19. LI, 9. 10.* promulgata lex, *Exod. XIX, 16-18. Mich. I, 3. 4. Ps. XVIII, 8 - 15.* & alia. In Allegoriæ rationem eadem conveniunt; quæ quidem, ubi metaphoram habet continuatam, hac licentia apud Prophetas utitur, ut & simplicem metaphoram, & comparationem apertam habeat intermistam; *Genes. XLIX, 9. Ps. CX, 3.* aut sicubi diligenter continuetur, variarum tamen rerum conquirat imagines, veluti descriptio senectutis apud *Eccles. XII, 2 - 6.* constantior apud *Ies. XXVIII, 23. 29.* ubi diversa frugum terendarum ratio, iustitiam divinæ gubernationis, suavissima æque atque accommodatissima imagine signat. Ubi vero in parabola inest, utitur coloribus rerum notarum ac perspicuarum, ut vineæ fallacis, *Ies. V, 1 - 7. Ezech. XV.* cedri superbientis, *Ezech. XXXI.*

XXXI, elegantium porro & iucundarum, ut illa ipsa sunt, & aheni spumantis imago *Ezech. XIV, 3.* rei designatæ per omnia congruarum, qualis est fabula Nathanis, *2 Sam. XII, 1-4.* Iothami, *Iud. IX, 7, 15.* constans quoque ac pura est, nec propria permista habet translatis, ut *Ies. V, 1-7. Ps. 80.* ubi tamen quædam, perspicuitatis causa, adiuncta; *Exod. XXXI.* Mystica in primis Allegoria, rebus sacris dicata unice, undecunqe imagines arripit, eas tamen, quæ & ipsæ veræ sint, suamque propriam habeant rationem, non imaginem tantum, unde & ea sæpius intermiscentur, quæ ad sacrum illud arcanum unice, ea quoque interdum, quæ ad rem externam sint referenda. Hoc e genere totum est Salomonis canticum, *Ezechielis XXXV. Ps. CXLV,* & alia complura, Theologis celebrata. Comparatio apud Hebræos, ubi illustrandæ rei inservit, rebus utitur tenuibus quoque, *Ies. X, 14. Nahum. III, 12.* ubi augendæ, magnificis, Cedro, Libano, Templo, maris furore; ubi tantum ornat, rebus, quæ lex est comparandi summa, nec similibus nimis, nec longe abhorrentibus; nonnunquam illa tria genera coniuncta ac permista; *Iob. VI, 15-20.* Modo verbo uno indicatur, *Genes. XLIX.* sæpius, Cant. Salom. fere ubique; modo pluribus sententiis repetita illustratur: *Deut. XXXII, 11. Iob. l. c.* Prosopopœia denique, aut eas res animat, quæ per se non sunt, tanquam attributa divina, sapientiam, potentiam, iustitiam; aut congruam personis orationem, etsi fictam, tribuit, ut Deboræ canticum matri Siseræ, *Iud. V, 28. 30.* Sublimitas & magnificentia, summa virtus Hebraici carminis, qua dictionem, negligens vulgaris orationis, ellipses amat, personarumque ac temporum permutationes: qua notiones; elata & audax, maxime insignis, ubi attributa divina per humanam quandam, aut brutorum quoque, similitudinem exprimit: (*Ps. XVIII, 35.* cet.) qua motus animi; miro sane ubique artificio concitat admirationem, exprimit gaudium, iram, dolorem quoque. Hæc de universa Poeticæ orationis forma atque artificio. Iam ad singula carminum Hebraicorum genera illustranda progressus A. primo de נבואה, sive Poesi prophetica, docet, omnia

omnia Poeseos attributa in orationem propheticam convenire; primo enim metricam esse: Rabbinorum certe Masorethartum, Hieronymi, aliorumque id negantium auctoritatem, cum ignorantia elevat verae rationis, tum inconstantia, quum iidem manifesto metricum Salomonis Canticum (quod Poema quidem esse, sed eo nomine tantum, cedunt, atque agnoscunt, quod parabolam habeat) Threnosque Ieremiae, vulgari accentuatione, peculiari Psalmos, distinxerint, & in Canticorum omnium versibus distinguendis, varient mire ac diffideant; uti vel editt. conferenti apparet: de MStis autem Anglicanis utique propediem docebit Vir Cl. Beni. Kennicottus, qui Opere critico omnes Codd. Hebraicos, qui in Bibliothecis Anglicanis servantur, accurate recensebit, iamque ex tribus Bodleianis, talem discordiam Auctori Doctiss. indicavit. In Dresdensi quoque codice, (cuius puncta a recentiore sunt manu,) qui paraphrasin Chaldaicam singulis commatibus habet subiectam, in metricis nil aliud spectatum, nisi linearum aequalitas, ita, ut una nonnunquam linea ab Hebraico incipiat, in Chaldaicam desinat. Bene est, quod iam huius de se facti promissi fidem exsolvere voluit Vir doctissimus, egregiumque prorsus ad sacram Criticam opus, viginti MStorum collationem, etsi haud dubie σημεῖον ἀντιλέξεως futurum, prodere. Hieronymi etiam insignis levitas, cum ineptae atque alienae prorsus Hebraicorum cum Latinis, Graecisque numeris comparationi indulgens, Canticum Mosis in Devteron. alio loco (praef. ad Chron. Euseb.) pentametris constare, alio (Epist. 155. ad Paulam Urbicam) Iambicis Tetrametris, ait. Sed origo ipsius rei ratioque, numeros poeticos prophetarum scriptis asserit. Ad musicam enim vaticinia olim accinebantur: *1 Sam. X, 5-10. XIX, 20-24. 2 Reg. III, 15.* quod non ad comprimendam, ut plerique cum Maimonide putant, sed ad excitandam magis perturbationem illam, agitatae divinitus mentis, pertinuit. *Ier. XXIII, 9. Exod. III, 14, 15. Dan. VII, 28. Habac. III, 2, 16.* Itaque & vocabulum Nebuah, non de vaticiniis tantum ipsis, sed de hymnis etiam, in laudem Dei compositis, & ad

ad muſicam cantatis, adhibetur; *1 Chron. XXV, 1-3.* unde & Maria illa, Aharonis ſoror, prophetis vocatur; & præcepta Agaris, poetice ſcripta, Prov. *XXX, 1.* dicuntur משא τοῖς ὁ, χρηματισμὸς, Hieron. viſio, Chald. vaticinium; exempla denique vaticiniorum complura extant vere poeticorum; in libb. Moſis, *Mich. VI, 6-8. 1 Sam. XV, 22. 23. 2 Sam. XXIII, 1-7. Ieſ. XXXVII, 22. 35.* Sententioſam porro prophetarum eſſe orationem, argutam & concinnam non magis, quam ſublimem atque magnificam, quiſpiam negaverit. Dicola multa habet, ubi paria paribus reſpondent: tetracola, quæ alternis: tricola, quæ ex parte: pentacola denique, quæ ſibi varie congruunt. Exempla facile quisque iam per ſe notabit. Orta autem hæc ſententiarum concinnitas ex more, in ſacris literis paſſim obvio, hymnos, aut alternis canendi, aut ſententias intercalares ſubinde ſuccinendi, *Nehem. XII, 31. 38. 40. Pſ. LXXXVIII*, tit. *Exod. XV, 20. 21. Eſr. III, 11. Pſ. CXXXVI. 1 Sam. XVIII, 7. Iſ. VI, 3.* unde & voc. ענה, quod proprie de carmine amœbæo dicitur, ad cuiuscunque carminis ſignificationem extenſum eſt. *Exod.* XXXII, *18. Num. XXI, 17. Hoſ. II, 15. Pſ. CXLVII,* 7. quod cantandi genus πρόασμα & ἐπῳδὴν Græci vocant. Eandem in ſacris prophetarum libris formam orationis agnoſcit Auctor Iudæus, Aſarias, qui in Mantiſſ. Diſſert. ad lib. Coſri, pag. 418. eſſe ait in ſacris Canticis poeticam rationem, non in numerorum aut pedum motionibus, ſed in ſententiarum ac rerum numeris. Omnino autem in eo poſita poeſeos prophetica forma, ut, ex conſilio vaticiniorum, res futuras aut perſpicue, aut elate & magnifice proponendi, plena ſit imaginibus, audacibus illis quidem, vividis, iucundis, rei aut declarandæ aut extollendæ accommodatiſſimis: exempla præbet *Ieſ. Cap. XXXIV. XXXV.* Alterum poeſeos Hebr. genus vocatur קינה, elegia, lamentis fere inſerviens; quales ſunt Threni Ieremiæ, ſed & *Ezech. XXVII. XXVIII. Pſ. XLII,* nec non lamentato Davidis de morte Sauli & Ionathanis, *2 Sam. ult.* depromta e libro ישר, cuius appellationem inde ductam putat Auctor, quod, in enarranda ſingulorum carminum occaſione ac materia, præmiſſum ſingulis

 fue-

fuerit, וישיר & cecinit, uti *Ps. XVIII.* init. ויאמר, quod & Syrus & Arabs vertere, *& cecinit*. Tertium genus משלים, proverbiorum, seu Carminum didacticorum, brevium, argutorum, & parabolicorum nonnunquam, nec sine nexu saepius. Quartum שיר, Odarum, quae aut suaves sunt atque elegantes, ut Psalmorum plerique, aut sublimes ac magnificae, uti *Ps. XXIV, 50. 19.* aut mediae, ex utroque mixtae, ut *Ps. XCI, 77*, quique vocantur Schire-Hammaaloth, non graduum cantica, quasi per gradus templi cantata, sed propter reditum ex captivitate Babylonica. Omnium perfectissimae sunt Mosis, *Deut. XXXII*, Deborae, *Iud. V. Habac. III. Ies. XIV, 4-27.* Hymni denique, qui & Schirim, magis proprie tamen vocantur תהלים, laudibus divinis sacrati: quales *Ps. CIII, 18. CXLV.* cet. Separatim denique de Cantico Salomonis ac Iobi libro agitur, in quorum illo tractando Bossueti rationem amplectitur, qui, secundum festorum Hebraeorum tempus, per 7. dies, totidem partes carminis descripsit: utrumque tamen iustum Drama esse, recte negatur. Quam multa in hoc praestantissimo opere, cum ad interpretationem Scripturae S. tum ad universae Poeseos cognitionem, & profanorum quoque Poetarum intelligentiam, egregie afferantur, indicare non opus est, excerpere autem paene infinitum: quo labore tanto etiam iustius supersedemus, quod & complura ab aliis occupata, & eiusmodi pleraque omnia sunt, ut a boni atque diligentis ingenii acumine sua sponte notentur; tanta simplicitate sunt, tantaque evidentia, quae summa quidem observationum commendatio habetur. Pro commentario adhibendus erit iste liber, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Quod liberior est in contemnenda punctorum auctoritate, audaciorque in mutando ac coniectando, de hoc non iam libet disquirere; inconstantiam notasse iuverit, quod, cum *Ies. XXVIII, 28.* in vocab. לחם יורק; excidisse putet ו (quod tamen in simili oppositione omissum est *Ies. I, 3.* in voc. (ישראל) idem illud subintelligendum esse, nec temere intrudendum, moneat ad *Ps. CXXXIII, 3.* in voc. שירד: Etsi in verbis *Ies. LXII, 5.* יבעלוך בניך, quod, ex Masoretica pun-

punctatione, sign. *mariti erunt tibi filii tui*, omnes haud dubie difficultates censendus est expedisse, sic punctando, בֹּנַיִךְ conditor tuus, i. e. quod postea explic. אלהיך, & *Ief. LIV, 5.* עשיך. Etsi ne punctis quidem mutatis, בניך a voc. בנה duci potest, nullo Grammaticorum adversante. Quod autem itidem corrigit *Ief. XLIX, 17.* מהרו בניך מהרסיך, *cita fient filii tui*, aut, ut ipse vult, *conditores tui, qui Te devastarunt*, in eo ne sensu quidem adiuvatur: cum in respondenti membro, מחריביך ממך יצאו, alterum illud, *ex te prodibunt*, manifesto reddatur superiori, *filii tui*. Nec est quod ad *1 Sam. XV, 22.* ex interpretationibus vett. coniiciat, eos legisse והקשיב pro להקשיב; neque enim propterea Hebraeus addere debuit ו, quod tam saepe omittit in pari structura, si quis interpretum sensui supplendo necessarium putaverit; neque pro און ותרפים, quod per Hendiadyn commode explicatur, legisse alterum vocabulum sine ו censendi sunt: quae loquendi ratio ne Hebraica quidem foret. Complura quoque ex Hebraicis illis carminibus, Latinis numeris elegantissime expressa, subiecit. Quodque obiter indicatum volumus, quartam Virgilii Eclogam, cum ad nullum eorum, de quibus vulgo explicetur, referri possit, divino quodam instinctu prolatam, cum Iesaiae descriptionibus, & forma orationis, & arcano illo sensu, putat congruere. (Prael. 21. not. extr.) Quam vero metrorum Hebraeorum descriptionem in Prolegom. ad Pss. excudit Harius, episc. Cicestr. eam ex *Ps. CXI.* qui Alphabetico ordine descriptus, & poeticae orationis manifesta vestigia habet, &, quae ad alia transferantur, suppeditat, ita redarguit, ut Harianis canonibus contrarios indidem eliciat, ad metra & numeros pertinentes, quibus tamen, quia describendi simpliciter forent, non immorabimur. Prima quoque praelectione, quam de universae poeseos natura, consilio, praestantiaque praemisit, carmen, in honorem Harmodii & Aristogitonis cantari solitum Athenis, in versus distinctum, passimque correctum dedit.

Erklärung des Neuen Testaments ꝛc.

id est,

D. CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI EXPOsitio Novi Testamenti P. V. continens primam Actuum Apostolicorum Sectionem.

Hannoverae, sumtibus bibliopolii aulici heredum Foersterianorum 1753. 8.

Alph. 1 plag. 12.

Sine praefationis ambitu, pergit summe venerabilis Autor in edisserendis Novi Foederis libris; hinc & nobis licebit, sine ambagibus ad recensendam particulam *quintam* Operis Heumanniani procedere, priora *duodecim capita* actuum Apostolicorum complectentem. Hac enim ratione optime dispesci posse putat Noster librum historicum Apostolicum, ubi post effusionem, ita dictam, Spiritus Sancti, res gestae primo loco enarrantur, quarum caput Petrus sistitur. A capite deinde decimo tertio res gestae Pauli potissimum, usque ad calcem libri, exponuntur, secundam quasi historiae, a Luca conscriptae, sectionem conficientes: ubi Venerabilis Auctor in ea est opinione, quod Lucae libellus per Paulum, cuius in itinere comes Lucas fuit, auctoritate Canonica fuerit affectus. Sed haec linquimus, & ad enarranda quaedam expositionum Heumannianarum argumenta nos potius accingimus.
Pag. 1. Πράξεις τῶν Ἀποςόλων, secundum *Camerarii*, aliorumque doctissimorum virorum sententiam, optime redditur: *res gestae ab Apostolis:* quod & ex eo potissimum elucet, quia in hoc libro omnia, quae enarrantur, ad Apostolos referuntur.
14. Ἐντείλασθαι, commate *secundo* Capitis primi, non per *iubere, mandare, &*, quae his sunt similia, verti potest, ideo, quia nihil a Luca additur, quod Christus Apostolis in mandatis dederit. Hinc, si ratio haec praegnans admittitur; nihil aliud significat, quam *ultimum vale* amicis, suis acclamare; ubi in more positum est, ut valedicentes amici, illis, a quibus discedunt, aliquid mandent, iubeantque. Praeivit hic *Heumanno* iam

iam dudum doctissimus *Heinsius*, hic excitatus. Forte tamen hic lectores nostri auctoritatem huius vocis, ex Auctoribus Graecis desumtam, desiderabunt. In eodem commate celeberrimus Auctor noster cum iis communem facit causam, qui reliqua verba ita construere volunt: *quos per Spiritum Sanctum elegerat*. Pronomen ὃς hic postpositum, ut rem Graecis consuetam Auctoribus, *Heumannus* sumit, atque ex Ciceronis duplici exemplo confirmat. Τεκμήρια, *indubitata signa* cum *Beza* converti posse, rite hic declaratur, atque ita exponitur, de Servatore nostro, cum Apostolis post resurrectionem comedente, colloquente, latus effossum, & manus perforatas commonstrante, ut illi de vera ipsius resurrectione, atque certissima praesentia confirmarentur. *Versu quarto*, συναλιζόμενος, cum optimis Graece doctis Auctoribus, per *congregans* exponitur, addita simul non infirma causa, quod tunc temporis non in convivio, & in coenaculo inclusus cum Apostolis Christus fuerit, sub dio potius commoratus; abiturus scilicet in sublime. Ad *vers. 13.* Venerabilis Auctor enarrat, discipulos Servatoris in diversorio vulgari, vel suo, fuisse commoratos, quod dictio Lucae satis clare ostendit, silentio non pressuri, si Apostoli tunc in templo fuissent congregati. *Versu 25.* dolet Auctor summe Venerabilis oscitantiam virorum doctorum, vocem Lucae temere exponentium. Nam, Πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, non significat, Iudam in inferiora malignorum geniorum domicilia abiisse, sed ad eligibilem Apostolum haec verba esse referenda, qui succedat in locum Iudae, frivole atque malitiose a sua statione discedentis. Lepidam hanc *Heumannus* addit causam suae expositionis, quia non scribitur καὶ ἐπορεύθη; sed πορευθῆναι. Forte hic lectores Noster inveniet facile secum consentientes, nisi acute quis dicere velit, quod secundum sententiam Heumannianam non exstet: Καὶ πορευθῆναι; uti necessario scribendum fuisset, quia ad λαβεῖν refertur, atque copula, sine insigni orationis ambiguitate, hic deesse nequit, cum talis necessitas *Cap. II, 30.* vix locum habeat. Additur quidem alia quoque ratio ab *Heumanno*, non inconcinna, cum scribit, minime esse probabile, apostolos pre-

Pag. 15. 17. 19. 31. 48. 49. 50.

cantes, de Iudæ damnatione aliquid immiſcere precibus ſuis potuiſſe. Poterit tamen hic aliqua veritatis ſpecie regeri, quod damnatio Iudæ, inter formulam hanc precandi, non incommodius, quam inter orationem Petri præcedentem, locum mereatur aliquem. Quod per *τόπον munus* ſeu *officium* indicetur, probatur ex *Livio*, aliisque Romanis ſcriptoribus, per *locum* munus quoddam deſignantibus. Denique confertur hæc dictio Græca cum voce Romana: *in alicuius locum ſuccedere:* ſimulque ex priſcis eccleſiæ doctoribus, *Didymo* ſcilicet, *Theophylacto*, atque *Oecumenio*, certitudinem ſuæ dictionis confirmat

Pag. 51.

61. Auctor. Ad *Caput II* Lucæ accedimus. Tuetur hic, cum aliis, ſententiam ſuam *Heumannus*, Lutherum reprehendens, & ὤφθησαν convertens: *conſpecta ſunt illis*, ſeu apparuerunt illis.

62. Hæc verba, uti Noſter evincit, viſionem tantummodo deſignant, non rem vere in oculos incurrentem, ſed ab Apoſtolis tantum mente conceptam, atque imaginationem illorum occupantem, uti ſimili ratione Petrus *Cap. X, 19.* linteum, cœlitus delatum, non vere & corporaliter, ſed per viſionem modo, ita dictam ecſtaticam, conſpexerit. Quæ celeberrimus *Verpoortenius* Auctori noſtro olim hac in cauſa oppoſuerat, hic repetuntur, atque ex ingenio Heumanni fœcundo vindicantur facile. Linguæ ab Apoſtolis viſæ non fuerunt diviſæ & ſeparatæ, ſed integræ, atque hinc inde diſperſæ, in viſione

65. ab Apoſtolis conſpectæ. Miramur hic doctiſſimum *Heumannum*, Chriſtianum Theologum in leviſſima cauſa, & ſecundum diſſentiendi libertatem, adverſarium ſuum, cum impudentiſſimo homine, ethnico & profano *Zoilo*, comparantem, & ludibrio habentem. Si hoc non eſt agere dictatorem velle, quid ſit, fatemur nos non intelligere.

66. In ſequentibus enarrat Noſter reliquam huius viſionis rationem, aſſerens inter reliqua, omnes omnino homines, Chriſti nomen profitentes, tunc temporis cum Apoſtolis congregatos, Spiritum S. accepiſſe, ita tamen, ut facultas linguarum peregrinarum, omnibus quidem conceſſum fuerit auditoribus, apoſtolis vero ſolis datum, in peregrinis linguis magnalia Dei eloqui, atque gravi orationis vi ediſſerere.

Nec

Nec improbabile eſt argumentum, ab Auctore prolatum. Ad Pag. 80.
verſum *nonum*, tuetur Noſter lectionem, a bonæ notæ codi-
cibus probatam, atque novam ſe Iudæam inveniſſe ſibi perſua-
dere vult. Præſupponit, regem Aſſyrium, Salmanaſſarem, 81.
incolas regni Iſraelitici in Aſſyriam deportaſſe, atque illis tra-
ctum quendam regionis ad habitandum conceſſiſſe. Hinc
concludit, naturale eſſe, uti ipſe loquitur, huic provinciæ
nomen novum ab incolis novis fuiſſe inditum, eamque *Iu-
dæam* appellatam. Lis multiplex fuit de *Iudæa* hac, cuius
Lucas meminit, neque fuit adhuc, qui eam dirimere auderet,
præter Heumannum V. Cl. Nec negamus, commodam quam
maxime eſſe hanc Iudæam Aſſyriacam, ab Autore inventam,
ſi modo vera ſit, quod nos in medio relinquimus, nudam
coniecturam hic deprehendentes, ubi ne unicus quidem no-
minatus eſt Auctor, huius Iudææ Aſſyriacæ mentionem fa-
ciens. Vaticinium Ioelis, cum inſequentibus, apud Lucam 95.
occurrens, ab Auctore ad deſtructionem templi & urbis, quin
etiam reipublicæ Iudaicæ, refertur, ubi terribilis ille & ma-
gnus Domini dies ſit appariturus. Hoc multi interpretes ita 126.
aſſumunt, nec in eo a veritate illos aberrare putamus. Ad
verſum *quadrageſimum ſecundum* notatur, *Hammondum* fru-
ſtra in ſignificationem vocabuli *κοινωνίας* inquiſiviſſe, cuius
notio vera hic ſit, *communionem*, communem rem ha-
bere, atque ſocietatem ſingularem conſtituere. *Κλάσις τοῦ* 128.
ἄρτου, ex mente Noſtri, hic occurrens, ad ſacram cœnam,
eiusque uſum refertur. In *Capite tertio v. 13.* ample inquirit 144.
Auctor in cauſam, quare Petrus Ieſum dixerit *παῖδα*, & non
υἱόν. Ex vocabulo Hebraico, a Petro uſurpato, Noſter
hanc rem conficit, & hinc iis contradicit, qui ſecum non ſen-
tiunt, ſed *παῖδα ſervum* intelligere malunt. Lis nullius fere
eſt momenti: filius enim Dei eodem reſpectu etiam ſervus
& miniſter Dei eſt. *Verſu 58.* ſuam Auctor profert para- 158.
phraſin, ita ſe habentem: Deus itaque, qui in his temporibus
filium ſuum e mortuis reſuſcitavit, primo ad vos illum miſit,
promiſſam felicitatem afferentem, ut unusquisque a ſcelerata
vita

Pag. 159. vita fecederet. Liceat hic nobis aliquid addere. Auctor provocat ad *Act. II*, 32. ex eo loco fuam explicationem corroboraturus. Convenire tamen hæc teftimonia inter fe, perfecta quadam ratione, ipfe textus non admittit. Deinde urget: *ἀναςήσας προφήτην verf. 22.* non convenire cum noftra voce: quod tamen, fi venia tanti viri fieri poffit, negandum nobis eft, ftatuendumque, has phrafes inter fe quandam habere relationem, eam fcilicet, quod Iefus a Deo fit excitatus ut *propheta*, & etiam ut *fervus*, *παῖς*, qui mittitur ad ob-
179. eunda munia & iuffa Domini. Hæc fi vera fint, de Chrifti in vitam revocatione non poteft hic fermo effe. In *Capite quarto* ad *verf. 24.* fcribit Nofter, b. *Langium* & *Lindhammerum* vim inferre textui facro, quando adftruunt, vnum tantum ex Apoftolis clara voce preces feciffe; reliquos vero Apoftolos tacite, mente animoque precatos effe; Hoc videtur effe contra vocem Lucæ, fcribentis, omnes Apofto-
207. los, fuo ore, Deum celebraffe atque laudaffe. De Apoftolis, & omnibus Chriftianis, pariter ad *v. 12. Capitis quinti* monetur, illos, *quotidie* conveniffe in porticu Salomonis, loco fcilicet
208. amplo atque illuftri. In fequentibus dicitur, pios modo homines in focietatem Apoftolorum veniffe, non vero hypocritas, ab hac focietate religiofa, per fubitam Ananiæ atque
211. Sapphiræ mortem, deterritos. Paulo poft, *κατὰ τὰς πλατείας*, *per plateas fingulas* exponitur, uti huiusmodi dicendi ratio-
222. nes, plurimis in locis Scripturæ Sacræ occurrunt. Ad *verf. 31.* dicitur, prægnantem ibi occurrere phrafin, ita exponendam: Deum exaltaffe Chriftum adfcenfione fua in cœlum, & ad dextram fuam federe feciffe, ut inde cognofcatur, Chriftum non effe falfum Meffiam, fed ducem certiffimum ad Deum,
257. verum doctorem atque principem falutis æternæ. Per *Libertinos Cap. VI*, 9. intelligendos effe putat Auctor, Romanos Iudæos, five natos, five factos ex profanis gentibus, & primo loco Lucam illos ideo nominaffe, quod Roma, locus domici-
258. lii eorum, caput mundi Romani effet. Nomen hoc inde fortiti funt quia maxima ex parte a dominis fuis, quibus venditi antea manu miffi erant. Hoc pacto, e numero fer-

ſervorum excludebantur, in numerum honeſtorum virorum admiſſi. De Ioſepho, Stephani orationem perluſtrans Noſter, ambigue & minus recte *Cap. VII, 9.* ſermone vernaculo dicit: *Sie verkauften ihn in Aegypten*, quod *nach Aegypten* eſſet dicendum, quo Græca particula εἰς ducit lectorem interpretem. Ceterum *Heumannus* putat, Stephanum in oratione ſua aliquoties non leves errores commiſiſſe. De Samaritanis, Spiritu Sancto ornatis, multa diſputantur *Cap. VIII*; conſentit tamen in eo Auctor cum interpretibus, quod per Spiritum Sanctum dona extraordinaria illius intelligenda veniant, præcipue vero dona miraculoſa linguarum peregrinarum. Ad urbem vero Samariam ſolam hanc gratiam divinam refert Auctor, nec de reliquis religionis Samaritanæ incolis nos aliquid hic cogitare iubet, niſi ludibrio & pudori quis ſe exponere velit. Prolixam obſervationem nobiscum communicat Auctor ad *Cap. IX, 5.* docte conſcriptam; nimis tamen acerbe de *Bengelio* & *Mayero*, Hamburgenſi quondam Theologo, iudicat. Ad *verſ. 15.* obſervatur, *portare nomen* ibidem ſignificare: nomen in corpore geſtare, tanquam ſignum, ex quo alicuius dignitas & munus conſpici queat, ſicuti famulus, ſeu ſervus, domini ſui characteriſticam geſtat figuram. Hinc *Paſor* nefandæ audaciæ hic accuſatur, hoc in teſtimonio βαςάζειν per *divulgare* & *promulgare* exponens. De Cornelio, centurione illo Romano, & ad fidem Chriſtianam poſtea converſo, multa habebunt lectores, quibus ſibi gratulentur legendis. Statuit Autor, Cornelium religionis philoſophicæ fuiſſe ſocium, nec profanum adeo hominem, nec Iudæum, nec proſelytum: quæ omnia ſecundum veritatis tramitem recte hic exponuntur. Quis ἀνὴρ ſit ἀγαθὸς ad *Cap. XI, 24.* exponitur, ille ſcilicet, qui excellit donis & virtutibus. Hinc non eſt vir *bonus*, ſed vir *excellens*, vertendum. Vocabulum ἀπαχθῆναι a Luca *Cap. XII.* uſurpatum, cum *Wolfio*, celeberrimo poſt fata etiam Theologo & Critico, explicatur de iis, qui ad ſupplicium trahuntur. Hinc veri ſimillima eſt expoſitio, cuſtodes illos Apoſtolicos ab Herode ſupplicio fuiſſe deſtinatos. Re-

Pag. 289 · 336. · 381. · 401. · 449. · 513. · 544.

linquimus cetera lectoribus, satis testimoniorum, ab *Heumanno* explicatorum, hic inventuris, & secundam Actuum Apostolicorum sectionem anxie nobiscum exspectaturis.

IO. FRIDERICI WEIDLERI INSTITUTIONES *Astronomiæ, selectis observationum & calculorum exemplis illustratæ.*

Wittenbergæ, sumtu Sam. Godofr. Zimmermanni, 1754, 4. cum fig. æn.
Alph. 2 plag. 3.

Auctoris, Mathem. super. in Acad. Wittenberg. Profess. celeberrimi, tot monumenta in his Actis extant, quæ singularem eius in scientia siderum eruditionem & industriam declarant, ut encomio ulteriori eo libentius abstineamus, quo certius ipsum opus id eloquitur. Eum autem in conscribendis his Institutionibus sibi proposuit finem Cl. Auctor, ut prolixa sane, pro hodierno statu, Astronomiæ elementa, quæ intra limites compendii sic dicti Mathematici non, nisi summo evidentiæ dispendio, coercere licet, luculenter, succincte tamen, exposita, compareant, & aditum ad ulteriores patefaciant profectus. Scopum hunc, in certissimum cultorum Astronomiæ emolumentum, optime attigit Cel. Auctor. In plurium enim Lectorum commodum non nisi consueta Mathematum elementa præsupponuntur; & iis quoque consultum est, dum demonstrationum & solutionum principia, quibus opus erat, ex quarta Institutionum Matheseos Cl. Auctoris editione, adscriptis paragraphorum numeris, indicantur. Sic quoque claram de praxi astronomica ideam excitat Cl. Auctor; &, cum præceptorum astronomicorum evidentia potissimum pendeat ab exemplis, ea idoneis calculorum schematibus egregie explicat. Quæ notatione digna visa sunt, ex Astronomorum maxime recentiorum scriptis, quæ passim laudantur, congesta & illustrata hic deprehendes; quæ vero limites elementariæ institutionis fuse pertractare non per-

permiſerunt, ita invenies recenſita, ut ex allegatis probatiſſimis Auctoribus facile ſuppleri poſſint.

Generaliter hæc dicta ſint de opere eximio; breviter nunc ſingula capita indicabimus. More conſveto in duas partes diſtribuitur Opus, quarum prima eſt *Sphærica;* ſecunda, *theorica*. Illa comprehendit X. Capita, Obſervationes communes, & inde pendentes punctorum & circulorum ſphæræ coeleſtis notiones, exponit Cap. I. In Cap. 2. Inſtrumenta aſtronomica, ut Quadrans, Teleſcopium, Micrometrum, horologium oſcillatorium, nec non ſpecula aſtronomica, deſcribuntur. Cap. 3. refert ſtellas ad horizontem ope altitudinum & Azimuthorum, docetque inventionem altitudinis poli. Adjiciuntur prima refractionis & parallaxeos, quæ altitudines afficere ſolent, principia. In Cap. 4. fit relatio ſiderum ad æquatorem per aſcenſiones rectas & declinationes, quam evicta per obſervationes Solis declinatione maxima excolit. Cap. 5. comparationem ſiſtit temporis primi mobilis & ſolaris, cum partibus æquatoris. In Cap. 6. præſertim expenduntur, quæ a meridiano, horizonte, & tempore pendent, ut determinatio aſcenſionum rectarum ſiderum, culminationum, arcuum ſemidiurnorum, ortus & occaſus, temporis ex altitudine & viciſſim, ſitus Eclipticæ reſpectu horizontis ad datum tempus. In Cap. 7. referuntur ſidera ad Eclipticam per longitudines & latitudines. Cap. 8. ortum & occaſum poeticum explicat. Cap. 9. de crepuſculis & altitudine atmoſphæræ ex iis cognita diſſerit. Cap. 10. Effectum refractionis & parallaxeos, reſpectu aſcenſionis rectæ, declinationis, longitudinis & latitudinis, proſequitur.

Pars theorica XIII capita complectitur. Cap. I. ſyſtemata mundi recenſet, ſc. Aſtronomiæ veteris, Ægyptiorum, Philolai a Copernico inſtauratum, Tychonis Brahe. Copernicanum rationibus Kepleri & Newtoni confirmatur. Cap. 2. agit de Sole, & tres ſectiones continet. Sect. I. Solis maculas, naturam, parallaxin, diſtantiam, & magnitudinem conſiderat. Sect. 2. Theoriam ſolis in Eccentrico; ut Sect. 3 in Ellipſi, præſertim ſecundum Keplerum, exponit. Cap. 3. Lunæ dica-

tum est, & tribus itidem sectionibus absolvitur. Sect. I. lunæ naturam, distantiam, & magnitudinem contemplatur. Sect. 2. motus lunæ tum in hypothesi circulari, secundum Ricciolum, tum in Ecliptica Kepleri, expendit. Sect. 3. Calculos motus lunæ ex Tabulis Riccioli, de la Hire, Cassini, ob oculos ponit. Cap. 4. quæ Eclipsin lunæ concernunt, & calculum eius, fuse docet. Cap. 5. Eclipsis solaris considerationem init, eiusque calculum parallacticum, adiectis exemplis, luculenter explicat. Cap. 6. Eandem, ut Eclipsin terræ, spectat, huiusque calculum & proiectionem orthographicam proponit. Cap. 7. Planetarum superiorum ♄, ♃, ♂, naturas, motuum theorias, & calculos, ex Tabulis, tum de la Hire, tum Cassini sistit. Cap. 8. Planetarum inferiorum, ♀ & ☿, quoad naturam, motuum vicissitudines, theoriam, & calculos, ex iisdem Tabulis, rationem habet. Cap. 9. planetarum hactenus consideratorum parallaxes, distantias, & magnitudines determinat. Cap. 10. Satellitum Iovis & Saturni præcipua phænomena recenset, & calculum Eclipsium circum Iovialium ex Tabulis Cassini affert. Cap. 11. Fixarum stellarum phænomena, conatus pro reperiunda earum parallaxi annua, & inventum Bradleii aberrationis fixarum, ex successiva lucis propagatione breviter enumerat. Cap. 12. Mutationum in fixis animadversarum, stellarumque novarum & variabilium, historiam tradit. Cap. 13. Cometarum phænomena, motus, naturam, refert, & deductiones quasdam ex observatis cometæ locis instituere docet. Index tandem rerum & verborum adiicitur.

FRANCISCI MARIÆ CESARIS THERESIA: seu Ostenta Dei O. M. edita pro Augusta Maria Theresia, Romanorum Imperatrice, Regina Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ, &c. &c.

Viennæ Austr. 1752, 4.
Alph. 4. Plag. 3.

Quamvis, nostra aetate, inter tot vernacula carmina, despecta fere sit Latinae poeseos elegantia, cuius, ab omni aevo, summum studium fuerat; sunt tamen hodieque erectiora ingenia, quae, hac quoque in parte, ultra seculum sapere adnituntur. In hunc censum omnino venit doctissimus Abbas, Franciscus Maria Cesar, natione Italus; cuius eximium opus, de laudibus Mariae Theresiae, Augustae, in publicum nuper prodiit. Nec poterat, digniore in argumento, doctrinam, ac singularem, in pangendo carmine Latino, facultatem ostentare, quam, cum laudatissimae Principis, nomenque, & facta immortalia, celebraret. Equidem non constitutum animo fuit, omnes Augustae laudes, uno hoc carmine, promere: quippe quae longe vastioris operis materiem praeberent. Unicum bellum canit, post mortem D. Caroli VI. auspiciis optimae Principis gestum: in quo uno, quantum prudentia, fortitudine, ceterisque divinis virtutibus, ea valeat, clarissimis documentis apparuit. Absolvitur autem ipsum eruditissimi Viri opus quatuordecim libris, heroico carmine conscriptis: quorum singuli, doctis elegis, consecrati sunt summis, per Europam, Principibus. In universum, inest grata sermonis elegantia, ac versus facilitas; nihil asperi, nihil quod rosos ungues prodat. Ubique spirat cultissimum vatis ingenium: quoque difficilior res fuerit, eo magis elucescit. Mira inprimis descriptionum venustas est: nec iniucundum, credo, lectoribus sit, speciminis loco, unam alteramve particulam excerpere. Iam vero, in ipso limine Operis, deprehendimus insignem militis Prussici descriptionem, qua nihil elegantius est, aut magis ad vivum expressum:

Flos omnis iuvenum cunctis delectus ab oris,
Qua patet Europe, qua circumscribitur undis.
Est moles membrorum illis immensa, torisque
Pectora vasta patent latis, scapulaeque, lacerti

 Excur-

Excurrunt validi: ſpatiis tum cetera iuſtis
Reſpondent pariter membra, & ſpatiantur ad unguem.
Haud caput obnubit, parvus ſed pileus ornat.
Per caput obrepunt pexi, ductique capilli,
Quos canos iuxta frontis confinia reddit
Et cremor, & niveus pulvis: qua deſinit autem
Occiput, in geminas diſcretos tania partes
Stringit, & æquali torquet diſcrimine crines.
Dividuosque ſimul, iunctos oſtentat & illos.
Sic ubi promiſit ſe tortilis ille capillus,
Et tergo illuſit, faciem tum vertit ibidem,
Seque in lemniſcum paſſus diſſolvit; & illic
A prima pariter deſciſcens vitta figura,
Indignata comis necti, quas nexuit ante,
Explicat, inque ſinus aperit ſe quatuor, uno
Complexos nodo, placidis iactatur & auris.
Explicita eſt genti, limataque frontis imago:
Intendunt limos oculos, hirquisque tuentur
Transverſum: ſtantes illos, & torua minantes,
In cœlum erectos tollunt: nec figere terræ eſt
Copia; conſtringit ductu ſeptemplice collum
Inſtita, quæ prohibet deiectum obvertere vultum,
Et viſu libare ſolum, componere cunctis
Solemne eſt faciem, ſpecie nitentis, & iram

Spi-

Spirantis: rigida it cervix, & panda, caputque
Obstipum: gaudent oris diducere rictum,
Et summis labiis supplantant verba loquentes.
Grandior emineat moles ut corporis, uti
Exuviis renuunt longis; immania membra
Ut pateant, cura est: vestis brevis exprimit artus;
Quamque Laconismum saguli dixisse liceret.
Illa genu demissa tenus non occulit ulla
Membra plicis, rugisque suis; curtissima paret
Sub sagulo exomis: similis complectitur arctum
Bracca femur, simili caliga quoque crura premuntur.
At braccæ, & caligæ tantum candoris inhæret,
Ut bissum, & nivei plumas pene æquet oloris.
Hinc veluti facies, cui sculpta ferocia, terret:
Sic ea mundities, canus color ille videntes
Allicit, & quamvis mistus terrore moratur.

Nec minus apposite dicta sequentia sunt, quibus ipsam, in agendis militaribus rebus, dexteritatem, ardoremque exponit:

Maior at est longe terror; dum strenua pubes
Ingreditur: totidem Martes procedere quippe
Credideris, quotquot iuvenes sua signa sequuntur.
Magnifice incedunt omnes, & crura tolutim
Subsultimque movent, gressus suspendere curant;
Alternisque gradus fracti volvuntur in orbem,

In-

Insultantque solo, & simili discrimine passus
Adglomerant: adeoque miro tamen ordine cuncti
Et facere & conferre gradum didicere per usum
Assiduum; ut cunctos nervo iuraveris uno
Et proferre pedem, & tremulum iactare per auras.
Scilicet & mirum est, illud quancunque videtur
Ad superare fidem; quando res exigit, unus
Belligeri aut Regis iussus lustrare volentis
Edoctas acies; qua passim incondita nuper
Copia pergebat, constabat & ordine nullo,
At nutum, vocemque ducum, sonitumve tubarum,
Ilicet in numerum sese, recipitque, refertque.
Nec mora fit: pedites miles lectissimus, omnes
In medium evadunt, æquata & fronte frequentes
Instituunt versus, pariter iuga structa videntur
Ad latera: exemplo, sub eodem & tempore prorsus
Hac ferratus eques serie digestus ad unguem
Stipat agens, illos dum protinus agmine denso
Flexumenes claudunt equites levia arma ferentes.
Ante galeriti pedites, equitesque feruntur,
Præceduntque suum corpus: mox agmina cogunt
Subsidia & simili pacto directa sequuntur.
Idque parum est, belli ratio si forte reposcit,
Ob varios casus, ingens exercitus ille

Multi-

Multiiugis formis se claudit, & explicat; ergo
Nunc acies fingit laxas, exinde frequentes:
Nunc dextro in cornu diducitur, inque sinistro
Stipatur, nunc extrorsum se firmat, & una
Introrsum extenuat: cuneos versatilis exin
Agmine cultrato praestat: pectusque subinde
A fronte, a latere, a tergo, velut exigit hostis
Impetus, obvertit, citroque ultroque rotatur.

Inprimis autem copiosus, disertusque est Abbas doctissimus, altiusque effertur, quando virtutes ipsas Augustissimae Mariae Theresiae, quando laudes aeternas Invictissimi Imperatoris, totque summorum, in Aula, virorum, egregia merita canit. Et post plura alia, laudat illam in hunc modum:

Ut Iuno ingreditur, ridet Venus, utque Minerva
Eloquitur, florent Charites, Bellonaque certat,
Ut Cybele foecunda.

At nobis non licet, in praesens, per singula ire. Ipsos potius Musis amicos, ad eximium opus totum lustrandum invitamus, idque Eruditissimo Auctori, vehementer, atque ex animo, gratulamur.

CONTINUATIO CHRONICI BOHEMICI, olim conscripti a Cosma, Pragensis ecclesiae decano, nunc e codice MSto Pragensi producta, per IOACHIMUM, S. R. I. Krakovski Comitem de Kellowrath.

Pp pp Viennae,

Viennæ, typis Ioannis Thomæ Trattner, Universitatis typographi, 1752, 4.

Alph. 1. plag. 1.

Qui disciplina illustris collegii Thereſiani Vindobonæ continentur, iuvenes illustrissimæ stirpis Germanicæ, potissimum vero Austriacæ, quoties vel de Philosophia, vel de iure civili, aut Germaniæ publico, ingenii vires disputando periclitantur, aliquem ferme utilem librum machinis exscribendum curant, eundemque postea nobilibus auditoribus distribuunt. Quod igitur certamen litterarium cum illustrissimo etiam *Comiti de Kollowrath* subeundum esset, isque non in selectas modo sententias, sed in universum quoque ius civile sermones eruditos habere instituerét, operæ se pretium facturum esse iudicavit, si, quæ vel nondum, vel non integra certe, formis litterariis descripta, in manus hominum pervenisset *Bohemici chronici continuatio*, eam prelo subiiceret, ac foras ita daret. Etsi enim B. Io. Burkhardus Menkenius noster, aliquam illius continuationem, quæ res ad annum 1142. usque gestas complectitur, Tom. III. pag. 1771. Scriptorum rerum Germanicarum inseruit: ab hac tamen illa non minus, quam ab aliis rerum Bohemicarum annalibus, quos, ut verisimile est, a *Pulkava* confectos, & idem ille noster l. l. pag. 1618. & Ludewigius postea in reliquiis manuscr. Tom. XI. pag. 261. publicarunt, plane diversa est. Exemplum, unde descripsit eam illustrissimus Comes, bibliotheca *Capituli Canonicorum metropolitanæ ecclesiæ Pragensis* asservat, in membrana eius formæ, quæ folii habet magnitudinem. Codex ipse cum alias etiam Cosmæ continuationes complecteretur, quas indicat in præfatione, relictis tamen iis aliorum curæ, hanc potissimum, quæ nunc in manibus est hominum, edendam suscepit; cuius duos modo Auctores fuisse, doctissimus Comes ex eo scite colligit, quod alter ad annum 1130, se, quas tradit memoriæ, rebus interfuisse profitetur, alter, sub finem

nem operis, idem de se commemorat. Iam cum chronici Bohemici continuatio illa, res ab anno 1126. ad 1320. gestas contineat, adeoque, quod interiectum est temporis, unius hominis aetatem excedat, duos illos diversos fuisse Auctores coniicit. Sed duorum etiam hominum aevo maius illud est. Fieri tamen potuit, ut alter res, quas ipse attingeret vivendo, litteris consignaret; alter eas etiam, quae paulo ante memoriam suam gestae essent, vel intellectas fama, vel ex aliorum commentariis, ut fit in hoc librorum genere, sumtas, in aevum propagaret. Quinam vero fuerint illi, non una omnium est sententia. *Pessina*, qui ante Comitem illustrissimum Kollowrath hunc codicem manibus suis tractavit, alterum *Pragensem Canonicum* fuisse, margini adscripsit; alterum, eumque prioris partis auctorem, Balbinus, ex ordine Praemonstratensium, *Asceteriique Strahoviensis Professum*, iudicavit. Hanc coniecturam ex opere ipso robur aliquod firmamentumque nancisci, editor eruditissimus observat; in eo tamen a Balbino dissentit, quod hic eum *Iaroslaum*, sine idoneo teste, vocat. Quem usum in historia Bohemica, Seculi potissimum XII, habeat, per se nemo non intelligit. Etsi enim nonnulla, e rumore vulgi collecta, continet; ut ferme sunt, quae de admirandis quibusdam eventis traduntur; dictio etiam, ut isto tempore, non satis casta est: tamen utilia in hoc opere pleraque, accurateque satis dicta sunt; quod integrum nobis, servata etiam antiqua scribendi ratione, praesertim in propriis Bohemorum nominibus, exhibetur. Passim etiam ea insperguntur, quae ad illustrandam rem Germanicam facere videantur. E quo genere, cum tanquam gustus aliquis operis nunc faciendus sit, pauca seligemus. Primum igitur, quam infeliciter a Lothario, quem Saxonum regem vocat Auctor, pro Othone, Moraviae duce, qui cecidit ipse illo praelio, adversus Bohemos pugnatum sit d. 12 Cal. Mart. anno 1126. fusius exponitur; commemoratis etiam prodigiis, quae victoriam his portenderint. Eiusdem Lotharii res gestae, variis etiam in locis deinceps pro- Pag. 1. 2.

Pag. 4. produntur; ut reconciliatio eius cum duce Sobieslao: con-
12. ventus Imperatoris principumque Leodii 1131. d. 4. Cal. April. factaque ibi Innocentii, profugi, ad res Romanæ ecclesiæ moderandas, electio, nulla tamen coronationis Cæsareæ, quæ tradi vulgo solet, mentione facta: eiusdem, cum principibus,
15. Bambergæ, in castro Plizu, Goslariique, congressiones, factæque his in locis, nunc conclavium, nunc palatiorum rui-
19. næ: expeditio adversus Polonos, rogatu Belæ cæci, Pannoniæ regis, suscepta. Tum corona, Lothario, a papa Innocentio, Romæ, in Laterano S. Ioannis monasterio, imposita, quia Petrus, Leonis filius, ecclesiam S. Petri tenebat: Friderici I. iter Romanum, quæque in urbe deinceps gesta sint ab
49. eodem: eius cum principibus colloquium, Magdeburgi 1159.
51. ipso Christi natali habitum, initumque ad ulciscendam Me-
55. diolanensium iniuriam consilium: ipsa denique Mediolani obsessio, ubi Ludovicus, frater Imperatoris, Palatinus de Rheno, *ex antiquorum suorum successorum dignitate Suevorum in prima fronte militiæ fuisse dicitur:* bellum Rudolphi Habs-
116. burgici adversus Ottocarum, Bohemiæ Regem, ad quem primum Imperii dignitatem *ab Electoribus, qui habuissent potestatem & ius eligendi imperatoriam dignitatem, per Coloniensem archiepiscopum, & alios plures nobiles*, delatum quidem, ab ipso autem, suasu maxime Andreæ, regni Camerarii, repudiatam esse, Auctor est: & alia plura traduntur. Belli vero causam haud obscure in Ottocarum confert; etsi, quia, ut ait, *inter sublimes personas versatur factum*, libere, quinam maxime fuerint accusandi, prodere nolit, præsertim
121. cum, præter duo vexilla restituta, Bohemiæ nempe & Moraviæ, *in Kamberk* d. 12. Cal. Sept. Imperator regem quoque *sub spe posuisset restitutionis & aliarum terrarum; asserens, se necessitatibus & indigentiis ac rerum carentia esse prægravatum;* alter etiam alteri duplex matrimonium, inter
124. utriusque liberos ineundum, stipulatus esset. Decretoria vero, inter utrumque principem, pugna, oppressioni quam præ-
165. lio iusto similior fuisse videtur. Quæ omnia haud paulo dili-

diligentius narrantur, quam quæ de Saxonum originibus, Bohemorumque initiis traduntur. Qua denique formula Pag. 172. Bohemiæ Duces, terras suas, sub Lothario Saxone adhuc tenuerint, ex eo intelligimus, quod Sobieslaus, Bohemorum 33. Dux, sacris, quæ Pentecostes vocantur, peractis, Imperatorem, Bambergæ 1138. comitia habentem, *adiisse*, *gratiaque eius favente, id obtinuisse* commemoratur, *ut Wladislaus, filius suus, in regimen Ducatus sibi succederet.*

GOTTLOB ERDM. ZEIBICHII, ARTIUM LIBERAlium Magistri, Athleta Παράδοξος, e Monimentis Græciæ Veteris conspectui expositus. Insertæ sunt aliquot numismatum Icones, ac Græcæ inscriptiones. Ex Autographo B. Fratris edidit, & de usu Antiquitatum Athleticarum in paginarum divinarum interpretatione quædam præfatus est, CAROLVS HENR. ZEIBICHIVS, in Acad. Vitemb. Prof. Publ.

Vitembergæ, sumtu Io. Ioach. Ahlfeldii, 1748. 8. plag. 15.

Exstant quidem iam nonnulli, de istiusmodi argumento, libri, quos inter inre memorantur *Iac. Lydii* agonistica sacra, liber, qui non mole quidem se sua commendat, hoc insigniori tamen laude dignus est, quo elegantius ibidem, oracula sacra, ad antiquitates agonisticas pertinentia, investigantur. Accedunt, *Petri Fabri agonisticon, sive de re athletica Libri III*, opus, tam amplam antiquitatum copiam exhibens, ut qui, mores veterum pugilum investigare laborans, non viderit, maximo thesauro careat: *Octavii Falconerii inscriptiones athleticæ*, ubi marmora descripsit A. circa thermas *Titi* effossa; est & gymnasium athletarum additum: *Eduardi Corsini Dissertationes IV* agonisti-

 cæ,

cæ, a nobis alibi designandæ. Omnes tamen isti labores non obstant, quo minus eximiam gratiam mereatur Auctor huius libri doctissimus, cuius aliquam partem iure quoque sibi vindicat Auctoris frater, sive editionem, sive præfationem æstimes. In posteriore, potissimum epistolas Paulinas illustrantes, antiquitates ludorum Isthmiorum, atque aliæ, perquam idoneis modis illustran-
Cap. I. p. 1. tur. Nos iam ad rem ipsam vocamur. Summam athletarum apud Græcos existimationem ac παραδόξου defini-
4. tionem, initio statim deprehendimus. Est autem is, qui stadium ingressus, bis ad minimum pluriesve, uno & eodem die, summa contentione nititur, ut semper superior discedat, eaque re communem vincit opinionem.
Cap. II. Inde voc. δόξα exponitur, quod proprie opinionem designat, neque gloriæ significatu notum fuerit antiquissimis Græcorum. Eadem occasione proprietatis Græcæ
pag. 6. fons in interpretibus antiquis, quos vulgo *Scholiastas* no-
7. minant, invenitur, quo fiat, ut e. g. Hesychius plerumque propriam notionem primum, dein translatas ponat. Ita & is ipse δόξαν per δόκησιν, ac Φήμην priusquam τιμὴν exponit. Quæ cum ita sint, παράδοξος non semper in vitio ponetur, sed mediam habebit significationem. Idem illud clarum fiet, si quidem de hoc argumento scripto-
15. res evolvamus. Spectant eo: Lysimachi Alexandrini Θηβαϊκὰ παράδοξα; Myrsyli ἱστορικὰ παράδοξα; *Antigoni Carystii* συναγωγὴ ἱστοριῶν παραδόξων; *Ciceronis paradoxa*, & si quæ
C. III. p. 16. sunt alia. Hinc ordo tangit Auctores apud quos mentio fiat παραδόξων athletarum; horum primus producitur *Arrianus*, in *Diss. Epict. II*, 18. qua data occasione observatur, παίζειν esse in obscenis, διαπαίζειν autem, illudendi
33. notione, verbum rarius occurrens. Sequuntur *Eusebius*, *Augustinus*, *Iuvenalis* interpres. Ille *hist. eccles. VIII*, 7. iste princip. *rhetor. pag. 299. in collect. rhet. Pithœana*, hic au-
50. tem ad *Sat. VIII. vers. 185*. Eodem spectant, *Plutarchus*, *Lycophron*, *Dio Chrysostomus*, atque alii. **Ex** *Dione Chrysostomo*

fostomo præfertim *ἀγὼν παράδοξος* exponitur. Eodem Capite, ablativus Græcis iure quodam vindicatur, quem & recte cum aliis defendunt, *Franc. Sanctius* in *Minerva*, *Scioppius* in *gramm. philos. pag. 100. 130. Nic. Frischlinus grammat. Græc. cum Lat. congr. Part. I. p. 84. Part. II. p. 45. seqq. Lamb. Bos in myster. ellips. Gr.* passim; doctor. Parisiens. *nov. Græc. ling. method. VIII, 2. pag. 455. sqq. Io. Verbey, in nova via docendi Græca, II, 1. pag. 17. seq.* Post memorantur marmora, nominibus athletarum *παραδόξων*, sex, quorum primum Romæ quondam ad thermas *Titi* repertum, postea *Chigianum* palatium illustravit, alterum ibidem cernitur, tertium est literatum saxum Græciæ Asiaticæ, quartum insigne Farnesianum, quintum Florentinum, ex atrio marchionis Richardi, a *Th. Reinesio* prolatum, ultimum a Iosepho Scaligero eo relatum: hæc omnia exhibentur atque illustrantur; eoque numerantur, qui adversus histriones & omnes scenicos artifices coronati vocantur. Numi circiter tres eodem possunt referri. Primus Nicææ percussus est, regnante Commodo, quem *Andreas Morellius* exprimendum curavit, nosterque, ut reliquos, aeri incisum repetit; alter sub Eliogabali principatu excusus a Stobensibus; tertius æneus, quem Comes *de Thomas* exprimendum curavit, in *Lettre de Monf. de Boze sur une Medaille antique de Smyrne, du Cabinet de Monf. le Comte de Thoms qui y joint sa reponse*, quam epistolam in his Actis percensitam meminimus. Miscentur iterum variæ obfervationes, quas inter omissio præpositionis *διά*, propter, apud Græcos frequens, e. g. *ἀγοράζειν θέαν*, pecuniam pugilibus & huius generis aliis præbere, id est, *διὰ τὴν θέαν τόπον ἀγοράζειν*. Ita: *στεφανοῦν εὐαγγέλια, θύειν εὐαγγέλια, θύειν γάμους, λευκὴν ἡμέραν θύειν, ἄρμα τάμνειν, κ. τ. λ.* Illis omnibus expositis, *Augustini, Gaulmini, Modii, Potteri, Bulengeri, Reinesii, Valesii, Cuperi*, definitiones athletarum *παραδόξων* excutiuntur, ac reprehenduntur: defenditur contra, ac pluribus exemplis illustratur, iam

C. IV. p. 57.
89.
Cap. 5.
Pag. 106.
C. VI. p. 138.

iam ante commemorata definitio. Inter exempla ſunt, qui vel quinquies ac ſexies eodem die vicerunt. Neque minus exponuntur λαμπροβούλιον, κοινοβέυλιον, ἀνδρῶν & παίδων
C.VII.p.162. certamine, δίαυλος, πεντάθλοι, atque alia. Succedunt interpretationes variorum divini Codicis oraculorum, e dictis partim elicitæ, e. g. *Eph. VI, 10. ſqq. Apoc. VII, 16. Luc. XIII, 24. Col. I, 29. IV., 12.* ſimulque ὡς ἐν παρόδῳ me-
C. VIII. moratur, Colaſſenſes quam Coloſſenſes dici melius. Deni-
pag. 167. que varia certaminum genera nominantur, quæ athletas παραδόξους habuerint. Sunt inter ea κυρίως gymnici ludi: hinc poetarum, muſicorum, ſcenicorum, certamina, quorum participes proprie ἀγωνισαὶ fuerint dicti. Ubivis hic etiam elegantiſſimæ excurſiones miſcentur atque obſervationes, e. g. quod *Pollux* in bonis ſcriptoribus multa damnet, quod cithariſtriarum victoria numis videatur expreſſa, quod Mytilene quam Mitylene accuratius ſcribatur, de *Phrynicho* iudicium, quod *Nero* tragœdias cantarit, quis Πυθαύλης fuerit, quomodo *Panænus* idem *Phidiæ* frater ac filius fuerit, quod ellipſis nominum υἱὸς & ἀδελφὸς, item ἀδελφὴ & θυγάτηρ, quibusdam fraudi fuerit, & huius generis aliæ. Sic varietas delectans vtili admiſcuit dulce, atque elegantiorem litteraturam exhibuit potius quam oſtentavit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLIV.

NOUVEAU TRAITE DE DIPLOMATIQUE, &c.

i. e.

NOVI COMMENTARII DE ARTE DIPLOMATICA, cuius fundamenta expenduntur: regulæ constituuntur instrumentorum distinguendorum, & characteres bullarum pontificalium & diplomatum singulorum seculorum exponuntur, cum illustrationibus quamplurimarum rerum historicarum, chronologicarum, & criticarum, ac defensione tabulariorum celeberrimorum contra varias obtrectationes: editi a duobus monachis ordinis Benedictini, congregationis S. Mauri.

Tomus I.

Parisiis, apud Guiliel. Desprez & Petrum Guilielmum Cavelier, 1750, 4.

Alphab. 3. plag. 9.

Ita primum splendidissimi operis Tomum nuntiamus vidisse lucem, cui eo maius pretium statuendum est, quo rarius nostra ætate, e literatissima Gallia, huius generis libri adferuntur. Quam modo diximus, Gallia, inter multa alia beneficia, quibus eruditorum cœtum sibi obstrinxit, hoc quoque iure suo referre potest, quod felicissime ibi, si non inventa, saltem ad disciplinæ formam redacta fuit di-

plomatica ars, a *Mabillonio*, immortali laude digno, cuius opera, ad fortunatissimos in difficillima re progressus faciendos, apta nunc via est & munita. Quo maior sane utilitas est, quæ ad omne historicarum disciplinarum redundare genus solet; quove maiore cura, si inprimis diplomatum auctoritate ad componendas illustrium controversias utendum, in explicandis illis versari decet; quo denique proclivius est, falsariorum fraude decipi, & a veritate declinare: eo laudabilius omnium consensu est indefessum studium, quod inde a *Mabillonii* ætate, præstantissimi viri, in nostra maxime Germania, & vicina Italia, in emendandis, comprobandis, illustrandis, refutandis, defendendis *Mabillonii* præceptis, &, quorum ne numerus quidem iniri potest, colligendis ex universo terrarum orbe omnis generis diplomatibus, auspicato posuerunt; ita, ut, quamvis Galliæ de *Mabillonio* insignes debeamus gratias, pares tamen ab eadem pro *Mabillonio* exasciato exspectare possimus. Sed novi iam in Gallia caput extollunt *Mabillonii*, qui eius exemplum sibi proposuerunt ad imitandum, ac *primum* operis, quod conscripserunt, *Tomum*, nobis exhibent. Longissimam ei præmiserunt præfationem, ut, repetitis nonnullis de necessitate artis diplomaticæ eiusque utilitate, totius operis rationem latius exponerent. Ipse ille Tomus, nonnisi *partem primam*, & *secundæ duas priores sectiones*, complectitur, de quibus iam ita differemus, ut persequamur singula argumenta tractata, eaque diligentius notemus, quæ accuratiore observatione digna videbantur. *Partis primæ*, qua principia artis diplomaticæ fundamentalia explicantur, eiusque fides & auctoritas ab obtrectatoribus vindicatur, duæ sunt sectiones. *Priore* generatim, quid de legibus diplomaticæ disciplinæ statuendum sit, exponitur. Orationis initium fit a laudibus *Mabillonii*, & operis illius, quod de arte diplomatica reliquit, cuius tantam esse, credunt ex vero Auctores, præstantiam, ut *Papebrochii* conatus insigniter superet. Nec solum addunt suffragia
Pag. 8.

9. *Dupini*, *Fontanini*, *Hickesii*, *Baringii*, *Habnii*, *Blasii Antonii Nassarris*, *Scipionis Maffeii*; sed etiam opus illud ab erro-

12. rum suspicione, in quam a *Baudelotio* & V. C. *Nic. Lengleto*

leto du Fresnoi adductum fuit, liberare studuerunt, idque inprimis comprobare, quod nec *Papebrochius*, cui *Baudelotius* favet, iustam laudem *Mabillonio* denegaverit. Notum est, quanta inter Iesuitas sit monachosque Benedictinos dissensio, num *Papebrochii*, Loiolitæ, an *Mabillonii*, qui Benedicti familiæ adscriptus erat, maior fuerit his in rebus, aut diligentia aut gloria. Neque a *Lengleto* sibi persuaderi volunt, quod Pag. 18.
Hickesius, lumen Angliæ, leges diplomaticæ artis, quas *Mabillonius* tulit, non comprobaverit. Præter has, aliorum quoque contra *Mabillonium* criminationes confutantur. Progre- 35.
diuntur ad enumeranda artis diplomaticæ fundamenta viri celeberrimi, quæ cum non possint non in exemplis diplomatum, nobis servatis, posita esse, diligentius de iis, quæ *Mabillonius Libr. V.* ære & *Libr. VI.* typis describenda curavit, & copiose, disputant, eaque itidem ab obtrectatoribus defendunt. Iis enim *Mabillonium* magna fide esse usum contendunt; nec de originalium, ut proprio nomine rem exprimamus, dignitate iure dubitari posse. Parum abest, quin in dicenda hac caussa contra id, quod nimium est, peccent, ac regulis suis diplomaticis tantam tribuant vim, ut nemo, qui iis recte utatur, errandi periculo obnoxius sit. Quare nec illos sine reprehensione dimittunt, qui circumspectius & cautius in ea re versantur. Sic longa oratione contra *Mu-* 47.
ratorium dimicant; etsi nobis videatur, maior peritorum hominum pars ab illius partibus stature. Prudenter enim hic scripsisse videtur: ***atqui olim non defuere falsarii, tam acuti ingenii, tantaque industria, ut in confingendis præcedentium seculorum monimentis, nec contra chronologiam, neque contra historicam eruditionem, aut notariorum formulas, quidquam peccarent, & probe imitari nossent veterum characteres & notas, aut earum tantummodo apographa confingere. Si quando eorum fœtus occurrunt; neque enim quisquam neget, quin talia efformari potuerint, & ex iis aliqua superesse possint, frustra interdum artis criticæ subsidia adhibentur, ad falsas eiusmodi merces a veris secernendas; rel. antiquit. Ital. med. ævi Tom. III pag. 30.*** Cum de diplomatum auctoritate differunt, 50.

 aper-

apertis quidem verbis contendunt, maiorem eam esse fide historicorum coaevorum, adeo, ut si inter scriptorem aequalem & litteras publicas discordia sit, has illi praeferendas
Pag. 56. esse, censeant. Tamen non negant, haud raro contingere, ut maior esse debeat historicorum auctoritas, ubi vel assentationis causa, vel ex errore, a veritate recedunt diplo-
58. mata. Fieri quoque posse, ut errata chronologica, in monimentis ceteroquin germanis, fint admissa: multo minus nos decet, reiicere diplomata propterea, quod manifesto falsas definiunt aetates rerum, quae a tempore, quo illa conscripta sunt, fuerunt remotae. Sic ridiculum est, in diplomate apud *Matthaeum Paris. pag.* 483. Franciam, opera Caroli, ad Christiana sacra conversam dici. Certum tamen est, diplomatis auctoritatem abunde confirmari posse historicorum suffragiis; atque absurdam esse *Harduini* sententiam, ex consensu historicorum & diplomatum colligentis, utraque monimenta spuria esse &
61. supposita. His deinceps nonnulla de numismatibus adduntur, eaque diplomatibus auctoritate inferiora esse, demonstra-
64. tur. Maxima sane debet esse fides diplomatum. *Edicta* enim *publica*, publica quoque conscripta sunt auctoritate, de qua nemo sapiens quidquam detrahet; hincque eruditis recte dicitur, ea se ipsa probare, quod magistratus nomine sunt edita,
67. & testium subscriptionibus confirmata. Accedit litterarum vetustas. In *antiquissimis* enim, quae *Molinaeus* scripsit, *fides adhibetur instrumento, de assertione & enuntiatione, nedum quod assertio illa facta fuerit; sed etiam de veritate ipsius asserti*. Hinc, quamvis subinde diplomati desint nonnulli veritatis characteres, antiquitas tamen eius illi facile quasi addit; *antiqua* vero habetur charta, quae septuaginta ante annos
69. fuit consignata litteris. *Actorum* autem *privatorum*, quae nec sigilla, nec testium nomina prae se ferunt, quamvis alioquin parva sit fides; tamen haud raro in chirographis de accepta aut reddita pecunia, & diariis mercatorum, inesse solet. De exemplis, quae barbara voce *copias* appellamus, difficilior est quaestio. *Si scripturam authenticam non videmus*, ait *Gregorius Magnus* in *decret. Libr. II Tit. 2. Cap. 1. ad exemplaria*

nihil

nihil possumus. Quænam horum verborum sit sententia, magna est doctorum dissensio. Nostri sodalibus suis accedunt, qui Gregorii opera ediderunt, ista sic exhibentibus: *si chartulam authenticam, aut exemplaria non vidimus, nibil possumus.* Usu etiam experimur, chartarum exemplis, vel a magistratu, vel a notario comprobatis, omnino haberi fidem. Pag. 73.
Tabulariorum vero tanta est reverentia, ut instrumentis, inde productis, omnino sit credendum. In hac sententia mirifice sibi placent Auctores, ac de fide archivorum iuridica defendenda, admodum solliciti sunt. Quid sit, quod Protestantes accusent, eos tabularia pontificiorum respuere, iisque fidem denegare, non satis capimus. Facilius iis ignoscimus, quod, differendo de archivis Statuum Imperii, nonnulla tradiderint falsa. Eo referendum esse, putamus, quod comites & equites immediatos pari loco habent: quod nimis generaliter pronuntiant, eandem esse Principum in suis territoriis potestatem, quæ Cæsaris est in imperio: quod civitates mixtas admittunt: quodque civitates Hanseaticas, diversas a civitatibus imperialibus & municipalibus esse, contendunt. His enarratis, uberrimo doctrinæ apparatu, tabulariorum explicant antiquitates. Quamvis enim *archivi* vox, media ætate, non solum instrumenta vetera, & locum, quo illa asservabantur; sed etiam reliquiaria denotaret: nostro tamen ævo priorem illi tantum tribuimus significandi vim. Brevitatis studio strictim monemus, disputasse viros doctos de tabulariis gentium orientalium, item Græcorum, Romanorum, Gallorum denique, & Germanorum. De his satis accurate observant, distinguendum esse tabularium Imperii & Imperatoris; ea vero, quæ de tabulario Spirensi, sive potius Cameræ imperialis, adserunt, minus recte se habent; & quæ de Fuldensi Abbate, Archicancellario Imperatricis, tradunt, falsa esse, magna diligentia *Io. Heumannus* V. Cl. comprobavit. Pergunt ad tabularia ecclesiastica & monastica, iisque, si non maiorem, tamen parem esse auctoritatem, statuunt, & illustris *Maffeii* suffragio confirmant. In his servabantur chartaria, quæ, quo maiorem ad comprobanda pristina iura, adferebant sacro ordini

75. 82. 84. 87. 89. 91. 93. 94. 96. 97.

dini utilitatem, tanto maiore diligentia cuſtodiebantur. Illuſtribus ſane monaſteriorum S. Dionyſii, Caſinenſis, Clunia-
Pag. 113. cenſis, aliorumque exemplis abunde hæc comprobantur. At vero, num fuit poſſibile, ut ex tot ſeculorum calamitatibus, bibliothecis infenſiſſimis, tot diplomata, tanquam ex naufragio evaderent, & incorrupta ad nos transmitterentur? Abſona ſane eſt nimia hæc dubitandi libido, quam bene Cl. AA.
115. compreſſerunt. Quid? quod vetuſtiſſima ad noſtram ætatem perveniſſe diplomata papyracea, non negavit *Maffeius*, etſi pa-
120. rum alioquin *Mabillonio* favet. Nec fieri poteſt, ut teſtimonio *Hincmari* comprobetur, negligentiores fuiſſe in conſervandis diplomatibus ſua ætate monachos. Quis enim ideo
124. omnia diplomata credat eſſe ficta & falſa? Adhæc, ſi codices librorum, decem aut duodecim ante ſecula, ſcriptos, adhuc
125. exſtare conceditur, cur diplomata ſupereſſe, neges? His generatim diſputatis, accedunt AA. ad confutandas nugas *Hardui-*
130. *ni*, iam dudum exploſas; cupiunt vero, aliis perſuaderi, veram & ingenuam fuiſſe retractationis formulam, in *diario Trivultienſi* publicatam, hancque ob cauſam iuſto acrius in *Lacrozianam* memoriam, bonis omnibus ſuaviſſimam, graſſantur. Simili ratione, partium ſtudii ſuſpicionem haud effugient, cum ipſi viros ordinis monaſtici omnes, a ſuſpicione fraudis fictorumque diplomatum liberare ſtudent, hancque
133. ob cauſam non ſolum *Muratorium;* ſed, quod mireris, ipſum *Mabillonium* erroris accuſant. Etſi ingenue confitemur, parum aptam videri, quam proferunt, teſtimonii *chronici Sublacenſis* interpretationem, ad abſolvendos omnes monachos a crimine fictarum litterarum; nec, ſi illam admiſerimus, iure inde poſſe colligi, nullum exſiſtere diploma, a
154. ſeq. monachis fictum. Parum quoque res Proteſtantium ſe noſſe, abunde oſtendunt, cum de nonnullorum ſententia, quod multa exſtent huius generis inſtrumenta fabuloſa, ita ſtatuunt, ut parum abſit, quin eam communem quaſi Lutheranorum, aliorumque, qui a ſede Romana liberati ſunt, doctrinam & fidei articulum eſſe cenſeant. Sed nimis longi nobis ipſis videmur in narrandis huius generis argumentis, quæ monachis facile igno-

ignoscas. Quare strictim de iis, quæ hac de re supersunt, dicemus. Quamvis diplomatis unius varia extent exempla ori- Pag. 162.
ginalia, eaque inter se mirifice differant; nec tamen inde concludi posse, persuadere Lectt. AA. volunt, illud esse falsum, propterea, quod sæpenumero plura eiusdem instrumenti descripta fuerint exempla, eadem diversis temporibus innovata, hincque nata fuerint *chartularia*, quæ frequentia esse solent in tabulariis ecclesiarum, monasteriorum, & his similibus. Ho- 186.
rum causam, quæ nonnullis suspecta fuit, agendam, susceperunt nostri, ac verbosius, illa originalibus æquiparanda esse, demonstrare satagerunt. Pugnant contra *Simonem, novorum* 187.
commentariorum de Gallicanis clericis Auctorem, & V. C. *Len-* 188.
gletum du Fresnoy, quorum uterque, cum non æque propensus esset erga sacrum ordinem, ac doctissimi nostri Benedictini, non est mirum, quod nec tanta apud illos, quanta apud hos, sit monimentorum fides, in quibus tamen haud raro omnia monasterii, aut fani cuiusdam, iura posita sunt. Ultimo denique 209.
huius sectionis capite ostenditur, quod ex exemplis sæpenumero colligi queat, num originalia vera fuerint, an ficta. Eam ob caussam copiose de vitiis scribarum agunt AA. iisque de auctoritate diplomatum nihil detrahi posse, comprobandum sibi sumunt.

Progredimur ad sectionem partis primæ posterio- 233.
rem, qua variorum monimentorum, communi diplomatum nomine comprehensorum, certa ac vera nomina explicantur, ac singulorum usus exponitur. *Litterarum* varia sunt 237.
genera. Aliæ sunt ecclesiasticæ, eæque *apostolicæ*, qua voce designantur partim *conciliorum*, Romæ celebratorum, decreta, partim *decretales*, sive responsa, ad eos, qui Papam consuluissent, missa; partim *bullæ canonicæ* Græcorum; aut *formatæ* 239.
Latinorum; item *regulares*, quæ ab episcopo ad episcopum missæ, præ se ferebant formulam: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & voce Ἀμὴν concludebantur; *sim-* 240.
plices & deprecatoriæ, quas presbyteri scribebant; *commendatitiæ*, quibus maxime monachi, iter facientes, ab Abbatibus reliquis monachis commendabantur; vel *emancipatoriæ*, Abbati a mo- 241.
nachis, si ob suspectum præsulis officium de pristino munere dece-

decederet, traditæ; *communicatoriæ*, ſive *confeſſionis*, item *confeſſoriæ*, quibus de fide & religione peregrinaturi, teſtimonium a confeſſoribus perhibebatur, ſolis deinde epiſcopis reſervatæ; *dimiſſoriæ*, *apoſtoli reverentiales*, quibus aliis permittebatur, eum, qui illas acceperat, ad ſacra officia admovere; *pœnitentiales*, pœnitentibus, Romam proficiſcentibus, datæ; *canoni-*
Pag. 243. *cæ*, a metropolitano ad clericos plebemque epiſcopi, nuper electi, perſcriptæ; *formales*, ſive *circulares*, *ſynodicæ*, *tracto-*
244. *riæ*, vel *tractatoriæ*, quas nonnulli inter ſe diſtinguunt, alii
246. confundunt; *invitatoriæ*; *excuſatoriæ*, quibus purgabant ſe epiſcopi, qui concilio non-intereſſe poterant; *vocatoriæ*, a papa ad epiſcopos datæ, ut ad ſuſcipiendum ordinationis ritum Romam venirent. His addi poſſunt litterarum genera, perinde in foris eccleſiaſticis, quam ſecularibus recepta: *citatorialium*, *requiſitoriarum*, *commonitoriarum*, quales, a Theodoſio iuniore ſcriptas, publicavit primum *Mabillonius ſuppl. ap. de re dipl. pag. 88.* ac docte expoſuit, licet longe alia de
249. illis ſententia fuerit illuſtris *Maffeii*, a Benedictinis noſtris
251. copioſe confutata; item, quæ omnium principes ſunt, *excommu-*
252. *nicatoriarum*, quarum varia memorantur genera; *decretorum* denique ac *decretalium*. Porro eccleſiaſticis cum laicis com-
254. munes fuerunt *litteræ appellatoriæ*, *apoſtoli*, *placeti*, litteræ, quæ a verbo *placet*, illis ſubſcripto, nomen ſortitæ ſunt; *litteræ patentes*, barbare *patentæ* dictæ; litteræ *gratiæ*, *remiſſionis*, *quitationis*, *perdonationis*, *abſolutoriæ*, *proviſiones*, litteræ
256. *ſalvi conductus*, *allegantiarum*, ſive *allegationum civitatis & patriæ*, *bullæ credentiæ*, *appares*, a paribus, *pagenſes*, *de niſi*. Ex his ſpeciminis loco adductis, ſatis apparet, quanta fuerit auctorum celeberrimorum, in colligendis ac iuſto ordine diſponendis variis literarum ſpeciebus, diligentia; nec fateri piget, haud minorem induſtriam adhibuiſſe eos, ad explicanda ac enume-
258. randa infinita fere genera *epiſtolarum*, *indiculorum reſcri-*
270. *ptorum*. Litteras, generatim ſic dictas, excipiunt *chartæ*, ſive,
274. quod antiquioribus placuit, *chartulæ*, quarum nomen cum an-
276. tea eſſet diplomatum regiorum proprium, tempore Normannorum ad alia quoque eorum genera transferri cœpit. In his

cum

cum præcipue eminent *litteræ sacramentales*, vel *charta iura-*
ta, haud prætermiſſa fuit a noſtris oblata occaſio, de iureiuran- Pag. 277.
do clericorum, copioſius quam oportebat, disputandi. Sicuti illis
ſubditi obſequium & pietatem regibus; ita hi, ſe iſtos defen- 285.
dendos ſuſcepiſſe, teſtabantur litteris *mundeburdii*. His acce-
dunt *auctoritates* Ludovici pii, *pancharta* Caroli calvi, *relatio-* 287.
nes, quæ Græce *ἀναφοραὶ* dicebantur, viris illuſtribus traditæ,
& rem geſtam exponentes: *charta traditionis*, *transfuſionis*, 288.
uſufructuariæ, *donationis*, *confectoriæ*, *ſemiplantariæ*, *legatariæ*,
nemini utiliores, quam clericis; hisque ſimiles chartæ *fun-* 291.
dationis, *eleemoſynariæ*, *ſolutionis*, *venditionis*, *obnoxiationis*,
obligationis, *cautionis*, *charta pigneratitiæ*, *hereditariæ*, qui- 292.
bus filiabus Francorum, contra legis Salicæ rationem, pro- 294.
ſpiciebatur, *diviſionis* & *confirmationis*, de *ducatu*, *patricia-*
tu, vel *comitatu*, *rogatoriæ*, vel teſtium ſubſcriptionibus mu- 295.
niebantur, *audientiales*, vel *ambagibales*. Præter has, non-
nullæ occurrunt chartarum appellationes admodum difficiles,
& inter doctos viros controverſæ, quales ſunt voces, *monob*, 296.
andelane, *andelangus*, *ſenica*, *per punctum confirmata*. Porro
memorantur *chartæ rabbini*, *litteræ diffidatoriæ*, quibus bel-
lum, aut certamen privatum indictum fuit. Progrediuntur 297.
Auctores ad *notitias publicas & privatas*, quarum ſolennes
formulæ ſunt: *notum*, *noverint*, *noſſe debetis*, cet. deinceps ad 312.
inſtrumenta iudicialia, cuius generis ſunt *mandata*, *proceſſus*, 316.
ordinationes, *aſſignationes*, *inquiſitiones*, *conteſtationes*, *prote-* 317.
ſta, *libelli*, quorum cum fere infinitus eſt numerus, eminent 318.
inter illos, *libelli dotis*, *iudicia*, *placita*, *ſententiæ*, *dicta*, *lau-* 319.
da, *arreſta*, *definitiones*. Sequuntur leges, ſive ab Imperato- 325.
ribus, aut præfectis prætorio, datæ, *edicta*, *leges*, *litteræ ſacræ*, 328.
ſacræ iuſſiones, cet. appellatæ; ſive *conſtitutiones*, ab Imperatori- 329.
bus Francicis & Germanicis, a pontificibus, aliisque factæ, & præ- 331.
ter alia nomina, *ſtatuta*, *pragmaticæ ſanctiones*, *ſtabilimenta*, *ty-* 333.
pi, dicuntur, quibus adduntur *receſſus imperii*, ſive *capitularia*, 335.
iisque inferiora ætate *ordinamenta*; ſive *auctoritates*, *præce-* 338.
pta, *privilegia*, eorumque *confirmationes*, tam a regibus, 340.
quam ab epiſcopis promulgatæ. His innumera adiiciuntur

tabularum huiusmodi scriptarum nomina, quæ cum nimis lon-
Pag. 354. gum foret percensere, satis futurum iudicamus, notasse, quod
358. post ea, quæ iam memoravimus, de *instrumentis*, *conventionibus*,
388. *politicis* & *synallagmaticis*, *syngraphis*, *chirographis*, *contra-*
403. *ctibus*, *concordatis*, *tabulis pacis* & *fœderis*, speciatim *testa-*
mentis monachorum, de *brevibus*, tam generatim spectatis,
quam speciatim *papalibus*, eadem diligentia exposuerint doctis-
simi Auctores; ac his pertractatis nonnulla alia addiderint di-
plomatum nomina, quæ omnibus tantum non sunt commu-
411. nia. Huius generis sunt *documenta*, *monimenta tabulæ*, *tituli*, *di-*
416. *plomata*, *paginæ*, *memorialia*, *memoratoriæ*, *monstræ*, item *scri-*
420. *pturæ*, *instrumenta*, *acta publica & particularia*, cet. Ita sane
ad nauseam fere enarrata fuerunt veterum monimentorum, quæ
in tabulariis conservantur, genera; sed alia quoque eorum sunt
425. ornamenta, præter singulares partes. Spectant huc *regesta*,
quæ breves actorum publicorum exhibent summas: *Tomi*
chartarum, *libri censuales* & *polyptici*, quibus reditus eccle-
429. siarum accuratius enumerantur, *vasaria*, *codices terrarii*, *in-*
432. *ventaria*, *repertoria*, libri *inquisitionum*; sive barbare *enque-*
434. *starum*, *rotuli*, *matriculæ*, *diaria*, *libri ordinarii*, *chartularia*,
445. aliaque. Accedimus, his ita constitutis, ad characteres di-
plomatum externos, quibus magnam in arte diplomatica au-
ctoritatem tribuunt Auctores, eamque imprimis contra Cel.
443. *Heumannum* Altorfinum, moderate tamen, defendunt, tan-
446. demque rectissime pronuntiant: *non ex uno characterismo*,
sed ex omnibus simul de vetustate chartæ pronuntiandum.
Speciatim disputant, primo loco de illis rebus, in quibus olim
448. scripta fuerunt huius generis monimenta. Antiquissima æta-
te sæpius, recentiore rarius adhibebantur hanc in rem *saxa* &
metalla; vetustiore tamen ætate *tabulæ lapideæ* & *ligneæ*, &
sequiori ævo etiam *areæ*, item laminæ *plumbeæ*. His acce-
453. debant varia pugillarium genera, diptycha, & folia arborum,
in quibus prisci Romani scripserunt, item libri *lintei*, *carbasi-*
457. *ni*, aliique; de quibus copiose agitur. Tabulæ ligneæ obdu-
ctæ erant cera, ex quibus nonnullæ conservatæ sunt. Ex ea-
458. rum numero præcipue memorabilis est tabula illa, qua *itine-*
rarium

rarium Philippi pulcri Franciæ regis, eiusque coniugis, describitur, ab *Antonio Cocchio*, Florentino medico, singulari diligentia illustratum. Græci appellabant tabulas, in quibus leges eorum Pag. 461.
pœnales, civiles, & sacræ inscriptæ erant, *κύρβεις* & *ἄξονας*, quamvis fuerit inter utrumque genus & materiæ & formæ discrimen: Romani vero dixerunt tabulas, ex quibus libri 467.
componebantur, *codices*; pugillares autem *codicillos*. *Charta* nomen proprium erat papyro Aegyptiorum, ac præter eam exstitit *charta plumbea*, quod *Mabillonius* & *Montefalconius* contendunt. 473.
At vero diplomata non nisi in membranis ac chartis descripta fuisse, & ita ad nostram ætatem pervenisse, bene monent, de utriusque, membranæ quidem & chartæ origine, ac variis generibus & usibus, satis copiose commentati. Inter alia de 516.
charta *bombycina*, sive *cattunea*, sive *Damascena*, observant, plerosque illud inventum seculi IX. esse censere; iis tamen repugnare illustriss. *Maffeium*, qui codicem Marci Venetum celeberrimum in illa scriptum esse, credit; hunc autum seculo saltem IV. non esse superiorem, peritissimi iudicarunt. Charta ex panniculis composita, & nobis usitata, a Si- 521.
nensibus A. C. 91. inventa esse dicitur; in occidentalibus tamen provinciis seculo demum X. ex sententia *Montefalconii*; rectius vero seculo XI, quod *Muratorius* contendit, adhiberi cœpta fuit. Dubia omnis illa res videtur *Maffeio*; nec sine causa testimonium *Petri Cluniacensis*, de charta bombycina potius, quam vulgari, intelligendum esse monet. Id 524.
certum est, & in arte diplomatica bene tenendum, nulla exstare diplomata chartacea ante seculum XIII. sequenti autem seculo demum fuisse ita usu recepta, ut charta vulgaris esset ordinaria inscribendorum materia. *Charta* denique *signata* diplom. 525.
(*Stempel-papier*), antiquiore ætate non penitus fuit ignota. 533.
Inter instrumenta scribendi, quibus vetere & media usi sunt ætate, præcipue commemorantur: *regula*, *norma*, & *canon*, lineis in charta ducendis, *punctorium*, *subula*, *caniculus*, sive *atramentarium*, *stilus*, *graphium*, *calum*, *celtes*, *palimpsestus*, 537.
calami, *arundines*, *iunci*, *penna*, a *Iuvenali* iam memorata, 540.

 peni-

peniculus. Atramentum scriptorium, sive *librarium* veterum,
quod ab *atramento sutorio*, sive *calchanto*, distingui consue-
vit, nonnisi nomine cum nostro conveniebat, ex diversa alio-
quin materia compositum. Nihilominus difficillimum est,
utrumque discernere, quamvis id certum sit, atramentum ve-
terum diutius retinuisse colorem, adeo ut diplomata, se-
culo X. inferiora, si litteræ videntur aliquid de pristino colo-
Pag. 542. re perdidisse, non possint non esse suspecta. Præter atramen-
tum nigrum in libris MSS. occurrunt, *aureum*, *argenteum*,
purpureum, *rubrum*, *viride*, *cæruleum*; rarius vero in diplo-
544. matibus. *Chrysobullæ* enim, seu *bullæ aureæ*, non ita dictæ sunt,
quod litteræ aureæ in illis conspiciantur, sed quod sigillis au-
reis sint munitæ; quamvis nonnulla Imperatorum Græcorum
& Germanorum diplomata, item Italica & Anglica cir-
cumferuntur, aureis litteris scripta, dubiæ tamen auctoritatis,
& maxime ab *Hickesio* & *Muratorio* impugnata, quos Cel.
551. Auctores refutare conati sunt. Subscriptiones Imperato-
rum haud raro fiebant minio, ac cinnabari. Progrediuntur
558. doctissimi Benedictini ad *scripturam*, & eruditissime disputant
de *litterarum inventione*, *scriptura universali*, antiquiori ævo
565. haud incognita, de *scriptura Sinensium*, qua non *soni*, sed
568. mentis cogitata exprimuntur; de *hieroglyphis Aegyptiorum*,
de scriptura *Alphabetica*, recentiore diluvio, sed antiquiore
573. Mose; de litteris Assyriacis, Babylonicis, Aegyptiis, Etruscis,
Latinis, Græcis, quas non ex Aegypto, sed Phœnicia repe-
580. tendas esse censent; Samaritanis, & quæ ex his ortæ sunt,
592. Copticis, Gothicis, & Etruscis; de charactere Ebræorum qua-
drato, quem recentiorem esse Samaritano pronuntiant; de
diversis modis, versus, sive lineas ducendi, perpendiculari,
608. orbiculari, spirali, horizontali, de forma bustrophidica, apud
Græcos, Gallos, & Etruscos usitata. Explicant porro omnium,
quæ nobis conservatæ sunt, inscriptionum antiquissimam,
Fourmontio, Amyclis, in ruinis templi, Apollini dicati, inven-
625. tam, ac nonnullas alias vetustissimas, quas ipsi exhibent æri
incisas. Proferunt denique nonnulla alphabeta, orientalium,
Græcorum, septentrionalium, Latinorum, aliaque, quæ brevi-
tatis

tatis causa iam prætermittimus. Ex his satis patet, quanta diligentia, non diplomaticæ, sed totius fere criticæ artis præcepta, in egregio hoc opere tradita sint, & exposita.

ISTORIA DEGLI ANNI SANTI DAL LORO PRINCIpio fino al presente del 1750.

id est,

ANNORUM SANCTORUM HISTORIA, AB EOrum exordio ad annum 1750. deducta, desumta magnam partem ex libro eiusdem argumenti, Auctoris P. L. F. Thomasii Mariæ Alfani Dominicani opere, edita a DOMINICO MARIA MANNI, Academico Florentino. Accedunt monumenta, inscriptiones, & numismata, quibus iubilei Romani illustrantur.

Florentiæ, ex typographeo Io. Bapt. Stecchi, 1750, 4. Alph. 1. plag. 13.

Benedictus XIV, qui ecclesiæ romano-catholicæ præest, anno 1750. iubileum annum Romæ celebravit, more inde ab anno 1300 satis trito. Accendit ea celebritas industriam scriptoris haud unius. Alii historicos egerunt, alii theologicis commentationibus eam illustrare studuerunt, alii critica ac polemica eo pertinentia dederunt. Incruenta est Cel. Manni tractatio, quam præ manibus atque ob oculos habemus, & ex qua promulsidem, seu potius bellaria, dabimus. Ex ludis secularibus Romanorum, Honorio imperante, anno 404 adhuc celebratis, iubileos sanctosve annos Romæ profluxisse, Auctor negat. Ab anno enim 404. usque ad annum 1300 intervallum longissimi temporis defluxit. Videntur Cel. Viro peregrinationes, Romam olim, ex pio more, invisendis liminibus Pauli ac Petri Apostolorum, directæ, originem peregrinationum iubilearum continere. Bonifacium VIII, a. 1300. tempus ipsis centenarium dedisse, sibi persuasit. Memini-

minimus inter hæc Alberici, Monachi trium Fontium, qui in *Chronico* ad a. 1214. testis est, iam Innocentium III anno 1200. Romæ gaudia secularia celebrasse. In Præfatione Cel. Mannius, ab Origine itineris Romam a. 220. facti exorsus, peregrinationes sacras Romanas edisserit, Ennodii Diaconi, Constantis II ad a. 663. Caroli Magni ad a. 774. qui limina templi S. Petri inviserunt. Soliti fuerunt, iam ante Gratiani *decretum*, Episcopi Italiæ eo confluere ad quintum Maii. *Distinct. 39. Can 34.* Peregrinatores eiusmodi fuerunt dicti *Romipetæ*, *Romei*, ab Hispanis *Romarii* & *Romerii*, *Romipedæ* apud Matthæum Parisiensem ad a. 1250. & in Itinerario Papæ Gregorii XI. Peregrinationem illam dixerunt homines ætatis mediæ *Romipetagium*, Itali nunc *Romeaggio*. In Epistolis b. Lupi Ferrariensis Benedictini circa annum 853. dicitur Monachus Dolivaldus, *ad beatissimos Apostolos Petrum & Paulum* ivisse, *ceterosque sanctos, ut Dei misericordiam imploraret*. Clemens VI. iubileum, seu sacrum annum Romanum, ad annum quemvis quinquagesimum restrinxit, caussatus, ita se imitari iubileum, Israelitis olim præscriptum *Lev. XXV. Exod. XXIII, 10. 11. Num. XXXVI*, 4. Thomasii Mariæ Alfani libros duos, æque inscriptos *Istoria degli anni santi*, Auctor hic consuluit. Alfanius vero rigaverat arva sua ex libris Andreæ Vittorelli, & Olympii Ricci, de eodem argumento conscriptis. Iulianus Canonicus urbis Austriacæ, eiusque frater Ioannes Mansionarius, Chronicon scripserunt circa a. 1300. ac ad hunc annum isthæc memoriæ prodiderunt: *Anno Domini* 1300. *Sanctissimus Papa Bonifacius, qui destruxit illos de Columna totaliter, & civitatem illorum, & castra dirui fecit, concessit & dedit omnibus vere penitentibus & confessis, qui limina sanctorum Apostolorum visitabunt, a festo nativitatis Domini* 1300 *usque ad annum unum*, & *etiam qui stabunt Romæ continue diebus XV, visitando singulis loca sancta, indulgentiam omnium peccatorum, excepto peccato usuræ, ad quam Indulgentiam ivit populus sine numero.* Memorabile est, usuræ peccatum fuisse extra indulgentiam collocatum. Eodem anno per M. Aegidium Columnam, Cardinalem, iussit scribi

ſcribi Bonifacius *Iſagogen fidei, ad Regem Armeniæ, & Capitula fidei Chriſtianæ, quæ Bonifacius miſit ad Tartarum, Chriſti ſanctiſſimam legem amplecti volentem.* Anno iubileo ſecundo, tres nobiles Veneti venerunt ad limina Apoſtolorum, & attulerunt tabulam criſtallinam auro argentoque ornatam, ante Petrum locandam. Numiſmata, quibus Auctor opus diſtinxit, ex apparatu ſummorum virorum nactus eſt, quorum benignitatem & nomina merito prædicavit. Papæ XVIII, iubileum ſeu annum ſanctum celebrarunt, Bonifacius VIII, a. 1300, Clemens VI. a. 1350, Bonifacius a. 1390, Bonifacius IX a. 1400, Martinus V, a. 1423, Nicolaus V a. 1450, Sixtus IV, a. 1475, Alexander VI, a. 1500, Clemens VII a. 1525, Iulius III a. 1550, Gregorius XIII a. 1575, Clemens VIII a. 1600, Urbanus VIII a, 1625, Innocentius X a. 1650, Clemens X a. 1675, Innocentius XII & Clemens XI, anno 1700, Benedictus XIII a. 1725, Benedictus XIV a. 1750. Auctores LXXII fuerunt Mannio ad manus, qui de iubileo ſcripſerunt ante eius ætatem. Ad Papas ſingulos, ex hiſtoria & numis, inſcriptionibusque, lectiſſima e penu laborioſe collecta, attulit. Formulam indictionis iubilei, a Bonifacio VIII profectam, Pag. 2.
Guilielmus Ventura Aſtenſis, poſteris conſervavit in *Chronico* c. 26. in L. A. Muratorii *Scriptoribus rerum Italiæ* Tom. XI. Statua, quæ Bonifacium VIII e ſaxo refert, in horto Mar- 10.
chionum Riccardiorum ſupereſt Florentiæ, heic denuo in 16.
æs inciſa, conſonans cum vultu ac mitra Bonifacii, in nummo, quem protulit in medium Cel. Manni. In poſtica apparet porta, quam ſupra eminet imago Ieſu ad pectus protenſa. Epigraphe eſt: *Iuſti intrabunt per eam.* Dicitur vulgo, Bonifacius *regnum* ſeu mitram, trium ſtriarum ornamento diſtinctam, uſui adhibuiſſe. At hæc, nec in ſtatua neo in nummo apparet. Sunt, qui referant, indulgentiam peccatorum, a Bonifacio confeſſis & contritis propoſitam, patuiſſe ita, ut pertinuerit quoque ad templa Pauli, Ioannis Lateranenſis, S. Mariæ Maioris, & Laurentii. At hæc ſunt relata recentioris ævi, a Noſtro repudiata. Falſum præterea eſt, vocabulum *iubilei* ſub Clemente VI demum exortum fuiſſe,

uſur-

Pag. 21. uſurpatum quippe iam ætate Bonifacii VIII. Homo 100 anno-
rum, antea iam appellatus fuerat a Flodoardo in Hiſt. Rhe-
24. menſi Cap. 17. *iubileus*. Clemens VI. dixit, ſe duabus viſionibus
divinis impulſum eſſe, ad iubileum quinquageſimo anno ad-
ſignandum, ſi fides eſt eius literis bullatis Romam miſſis 1350,
quas ediderunt Albericus & S. Antoninus P. I. *Summæ theo-
logicæ* ad Tit. 10. Cap. 3. 6. At merito eam pro ſuppoſititia
reputat Cel. Manni. Aliam *Bullam* Clementis iubileam edi-
dit Stephanus Baluzius Tom. I. *Vitarum Pontif. Avenionenſ.*
æque ſuppoſititiam. Exſtant præterea *Bullæ* eiusmodi aliæ non
minus ſpuriæ, quas Autor propius inſpexit, ac ſub examen re-
30. vocavit. Solennitates iubilei expedivit obiitque Romæ loco
Pontificis Legatus, Epiſcopus Tuſculanus, Annibal, ſeu An-
nibaldus *di Ceccano*, iubileis indulgentiis 15 Iul. immortuus.
Maximam Romæ ſe tunc infudiſſe multitudinem hominum,
teſtibus non eget. Utrumque natalem domini & anni
præcedentis, & anni 1350 exeuntis, complectebatur iubileus.
In ædem S. Petri, ad videndum Sacrum ſalvatoris vultum, qua-
dam Quadrageſimali Dominica tot homines convenerant, ut
multi eorum opprimerentur & exſpirarent, teſte Henrico
Rebdorfio. Pretia rerum creviſſe Romæ eo tempore,
teſtimoniis auctorum non indiget. Latrones in territo-
rio Romano ſibi prædas avide corraſerunt, ut ex pecca-
33. torum indulgentiis per peccata nova diteſcerent. Transalpi-
ni, peregrinatoribus ſacris fuere moleſti, impoſitis vecti-
galibus & exactionibus, coerciti Bulla Papæ fulminante.
Ludovicus, Rex Hungariæ, ſub finem iubilei Romam ſaluta-
vit, Neapoli luſtrata, ad vindicandam fratris Andreæ mortem,
occiſi in caſtello Averſæ per uxorem Ioannam, ut fama vul-
gatum fuit. In palatio Pontificis habitavit Rex, & quotidie
Miſſæ in æde S. Petri interfuit. Spectavit idem *Sudarium
Ieſu*. Antonii Minoritæ corpus translatum fuit Patavium 14
37. Febr. & ipſe cœlitibus fuit adſcriptus ſolenni formula. Cle-
mens VI. Hugoni, Cypriorum Regi, a. 1350. per epiſtolam, in-
dulgentias plenas, in uſum inſulæ Cypri, cuius incolæ
Romam haud poſſent adire, obtulit. Brigitta, e Suecico regio
ſan-

ſanguine nata, venit, conſenſu procerum, Romam ad iubileum, vidit *ſudarium* ſanctum, ſimulque viſa ſibi eſt convicta ex revelatione Ieſu, recte adſeri, id omnino eſſe genuinuam. Vide Brigittæ *Revelationes IV, 81.* Suecos, eodem per- Pag. 39.
egrinatos, excepit ipſa hoſpitio ſuo. Hugo, Rex Cypri, Romæ eodem tempore fuit, nec non Eduardus Rex Angliæ, Eliſabeta Hungarorum regina, alii, largis Papæ indulgentiis cumulati. Bonifacius IX a. 1390 Bullam iubilei Avenione evulgavit, luſtraturis templa S. Petri, S. Pauli, S. Ioannis in Laterano, & S. Mariæ Maioris, petitioni Romanorum gra- 41.
tificaturus. Urbanus VI id beneficii ad annum 33 iam revocaverat. Regibus Luſitaniæ & Angliæ, eorumque familiis, Bonifacius IX. litteras indulgentiarum tranſmiſit. Albertus, Marchio Ferrarienſis, Magnus Hieroſolymitani Ordinis Magiſter, aliique viri ſummi, Romam adierunt. Mediolanenſes, bello diſtenti, ex liberalitate Bonifacii IX. obtinuerunt indulgentias, domi valituras tantundem. Fratribus Dominicanis, 45.
Erfurti capitulum generale celebrantibus, eandem indulſit liberalitatem Pont. immo & Franciſcanis Aſſiſii congregatis. Anno 1400 iubileus annus cœpit denuo celebrari, cum Bonifacius IX. Aſſiſium ſe contuliſſet. Erat tunc ſchiſma inter eum & Petrum Lunenſem. Rex Galliæ, ne quis Gallorum Romam iret ad iubileum, edixit. Peſtis ea tempeſtate Italiam infeſtavit. Peregrinatores ſacri obierunt Romæ ſexcen- 49.
ti. *Bullam* peculiarem Pontifex, ad indicendum hoc iubileum, haud promulgavit. Martinus V. a. 1423 iubileum iam celebravit, teſtibus: Onuphrio Panvinio, in *Chronico Romanorum Pontificum*, & Andrea Vittorellio ad a. 1423, recentioribus refragantibus. Nicolaus V, ad Manichæos in 58.
Boſnia & Croatia exſtinguendos, a. 1449. Thomam, Epiſcopum Pharenſem, ablegavit. Franciſcanorum comitia Ro- 60.
mæ ſacra 1450 pentecoſtalia adiuverunt contribulis ſui, Bernardini Senenſis, adſcriptionem in cœlitum adorandorum numerum. Nicolaus V, cum purpuratis, nudipes obiit deambulationes religioſas. Archiepiſcopus Trevirenſis, Iacobus, comitatus 150 equitibus, Romam inviſit, nactus a Nicolao V privilegium inſtituen-

ſtituendi Trevkis gymnaſii, in quo agerent omnium or-
Pag. 81. dinum doctores. In Lombardia hauſta fuit mira hominum multitudo, peſtis lue. Romam venit Catharina, Bosniæ regina, ad 29. Apr. regno orbata, hic morte defungi optans. Obiit Romæ 1487, ſepulta in *Ara cœli*, ubi epitaphium eius ſuperat. Ioannes, Dux Saxoniæ, Dux Calabriæ, Rex Walachiæ, Rex Bosniæ, aliique Summates, iubileo Romæ interfuerunt. Nicolai V. numiſmata iubilea prætermittimus. Sixtus IV ad annum 25. revocavit iubileum, ac 1475. id ſibi honoris impertivit, ut oves arceſſeret ſuas ad indulgentiarum pabula
84. carpenda. Iniicitur eius cauſæ mentio in Sixti IV epitaphio, quod eſt intra baſilicam Vaticanam. Iubileum id geminum natalem Ieſu comprehendit, finitum tandem a. 1476. exeunte Maio. Alexander VI. ex Lenzolorum gente, adoptata in familiam Borgianam a Calixto III, anno 1498 iubileum indixit, viam procedentibus ad ædem S. Petri præſcri-
87. bens incommodam, Alexandrinam, quam nunc adpellant *Burgonuovo*, a. 1505. per Iulium II. lapidibus ſtratam. Iubileum id multi inviſerunt Bohemi, ut ſolverentur iniecto, per Paulum II, excommunicationis vinculo. Iubileum fuit publicatum ter, 1498, 12 Apr. porro 1499, 28. Mart. ac tandem 22. Dec. eiusdem anni, Dominica IV Adventus, finita Miſſa. Pœnitentiariis fuit regula præſcripta, recenſens peccata graviora, a quibus ipſi hominibus confeſſis ac contritis indulgere poſ-
92. ſent abſolutionem. Burchardus enarravit ſtructuram ſanctæ portæ, ritusque ad eam attinentes. Ipſe Alexander VI eam aperuit & clauſit. Ioſephus Baldaſſarri tradidit, *dall' Iſtoria ſagra dell' Anno Giubbileo*, Papam nullum hoc ante Alexandrum feciſſe. At novitas rei quærenda eſt in nova, portæ novæ, ſtructura. Latrones in monte Viterbienſi, oratoris Galliarum opes & comitatum invaſerunt, diripuerunt
101. multa, nonnullos occiderunt. Numisma Alexandri VI, ad annum 1500. cuſum, Molinetus protulit, a Noſtro repetitum. In poſtica apparet Pontifex, primum portæ ſanctæ lapidem ponens, inter purpuratos, adiecta epigraphe: *Reſeravit & clauſit an. iub.* M. D. Clemens VII annum 1525. iubileo

bileo insignivit, a Christianis, aquilonem versus incolentibus terras, haud admodum frequentato. Pontifex in numismate, iubilei indice, promissam præfert barbam. Videtur id, duobus post, pluribusve annis cusum. Inde enim ab anno 1527, quo in mole Adriani latuit obsessus, ad finem vitæ barbam tonderi haud voluit, mœroris ita memoriam conservaturus. Dantur tamen numi Clementis, ex ære, iubilei, qui Papam tonsum referunt. Maximum est numisma istius Pontificis, a Radolfino Venuti descriptum, quod æque mentum Papæ tonsum exhibet. Pestis tum Romam & iubileum adflixit. Inviserunt tamen legati Regis Mexicani, ac Imperatoris Aethiopum. Locus datus litteris indulgentiarum, in varia regna missis. Iulius III anno iubileo 1550 se reddidit illustrem. Autor fuit disciplinæ illius ecclesiasticæ, qua examen institutum est doctrinæ ac probitatis ab iis, qui confessiones peccatorum excipiebant. Quatuor basilicæ frequentatæ, ad indulgentiarum thesauros acquirendos. Stephanus, patriarcha Armeniæ maioris, 47 Archiepiscopis comitatus, ac duobus episcopis suæ nationis, professus est hoc iubileo consensum cum fide Romana, recepit indulgentias, confirmatus a Papa in dignitate. Franciscus Borgia, iam divus, Dux Candiæ, comitatus 30 equitibus Hispanis, iubileum ac Romam illustrarunt. Philippus Neri instituerat a. 1548. *Societatem S. Trinitatis*, excipiendis ac curandis peregrinatoribus sacris Romanis. Cœpit illa munere suo, in iubilei celebritate, fungi anno 1550. Anno 1551 in Epiphania, Iulius III, pro more, missa celebrata, clausit portam sanctam S. Petri, adiectis solennibus. Omittimus numos eius iubilares, ex quo Carolus V, eiusque filius Philippus II, aliique, Reges, litteras indulgentiarum ab eo nacti sunt. Gregorii XIII iubileus, a. 1575. celebratus, fuit frequentia populorum adfluentissimus. Iussit ipse, ut vultus sacer, lancea, qua latus Christi apertum, quamque Baiazetes Sultanus Innocentio VIII donaverat, & capita Petri ac Pauli, populo devoto pioque ostentarentur. Ad quatuor basilicas indulgentiæ peccatorum generales iterum decretæ, ad quas diverso tempore

Pag. 105. 110. 112. 116. 121. 128. 135.

facris procedendi ritibus publice itum eft. S. Carolus Borromæus, iubilei adiutor, Mediolanenfibus Romæ pedes lavit,
Pag. 137. ac ad menfam ferviit. Pietatem fuam Romæ tunc æque voluit elucere Philippus Nerius, cuius *Congregationem, Oratorii* dictam, eo anno confirmavit Pontifex. Iubileum Romæ celebrarunt, Cardinalis Antonius Granvella, Prorex Neapolis, Dux Bavariæ Erneftus, Dux Cliviæ Carolus Fridericus, ibi defunctus, cuius epitaphium gloriofum fervat Roma in *S. Maria dell' Anima.* Non eft, cur de iubileo Clementis VIII ad annum 1600 dicamus. Nihil enim fere rituum novorum, huic, vel fecutis iubileis acceffit. Numi ac infcriptiones, quibus finguli iubilei ad pofteritatem transmiffi funt, non funt huius loci. Celeberrimi fane Auctoris diligentia, quam ne minima quidem geftorum momenta effugerunt, nunquam non fe prædicabilem oftendit, digna, quam pofteri fufpiciant, ac Romani inprimis laudibus profequantur.

SAGGIO D' EXPERIENZE INTORNO LA MEDIcina Elettrica, &c.

i. e.

TENTAMEN EXPERIMENTORUM CIRCA MEDIcinam Electricam, a quibusdam phyficæ cultoribus captorum Venetiis, ad Abbatem NOLLET, Academiæ Scientiarum Parifienfis, Societatis Londinenfis, Inftituti Bononienfis, Collegæ, Magiftri phyfices Delphini, defcriptum a Doctore IOANNE FORTUNATO BIANCHINI, Medicinæ Profeffore Neapolitano.

Venetiis, 1749, 8.
Plag. 15.

Vis electrica tuborum atque orbium vitreorum, frictione, atque celeri vortice circumactorum, hinc incalefcentium, igneumque aliquod aeris flumen per corpora animata transiicien-

iicientium, postquam sese variis phænomenis curiosis, & fere stupendis, manifestavit, effectus quoque salutares in corporibus ægrotantium edere cœpit. Recensentur doctissimi Ioannis Francisci Pivatti, Iurisconsulti, Venetiis per experimenta physica clari, tentamina tuborum electricorum, in corporibus ægrotantium capta. Momentaneo aliquo illorum impetu, podagricis atque arthridite rhevmatica tactis, articulorum usus redditus fuit. Implevit enim Vir eruditus tubos materie aromatica, fragrante atque volatili, varia, qua tuborum internæ superficiei crustam induxit, illosque infirmorum corporibus admovit, intellectumque fuit, per imperceptibiles vitri meandros, medicinam in corpora experimentis subiecta penetrasse: namque, si balsamo de Peru plenus tubus esset, illius odor totum pervasit hominem, ut sudor eius balsamum spiraret, atque ipse succus inclusus sensim absumeretur, omnique & odore & sapore privaretur, quo plus frequentiusque vitrum ipsum frictione incaluisset. Illustris Comes Maffei, Epistola ad Pivatium scripta, admirabiles huius experimenti effectus in podagricos testimoniis affirmavit, veritus tamen est, ne sensum mali plus, quam caussam, medicina ista abstulerit. Ast Doctor Verrati, Bononiensis, effectuum electricorum excellentiam, experimentis uberioribus, atque additis insuper rationibus, confirmavit, tubosque fragrante materia inductos, plus simplicibus tubis agere docuit, ipsiusque materiæ inclusæ iter, non tantum per vitra, sed etiam ad tractum catenæ ferreæ, quam æger tangit, propagari affirmavit, atque iuvenem, affectu nervino aliquo affectum, curatum vidit. Adeoque electricismus nunc alius simplex per Italiam instituitur, alius medicatus, atque instruuntur nunc, pro materiæ medicæ vitro inclusæ differentia, tubi electrici *antipodagrici*, *antapoplectici*, *diuretici*, *anthysteri*, *sudorifici*, *cordiales*, *cephalici*. Equidem ignis ipsius, ex corpore ægrotantium, si medicatus tubus est, prolecti, color alius, quam qui tubo simplici admoto fuit, haud observatur: ast sensus eorum, qui experimento subiacent, vividior longe est, quam quem habent, si vacuus medicamento cylinder fuerit. Hinc, cum propulsa materies medica, per transversos tubi

cryſtallinos parietes, in corpus hominis eſſet, ſudor de nocte magnus ac copioſus ægrotis obortus fuiſſe deprehenſus eſt, cum celeri effectu, ut, qui hoc medicamento uſus erat ægrotus, artuum inferiorum motu privatus, altero die ſine ſuſtentaculis incedere poſſet. Neque tantum in morbos nervoſi generis, imperium ſuum electriciſmus exercuit, ſed aliis quoque morbis, ut *obſtructionibus viſcerum*, *ictero*, atque *tumoribus* fuit ſaluberrimus. Inter virtutis tuborum electricorum medicæ teſtes atque defenſores, nominatur excellentiſſimus Profeſſor, qui hanc Academiam noſtram ornat, Winklerus, cuius oratio panegyrica, ſuper hoc argumento 1748 habita, cum encomio recenſetur.

Apud omnes tamen fidem nova iſta medicina infuſoria haud invenit, fueruntque, tam inter Neapolitanos, quam inter Anglos, quibus, experimenta a Pivatio per tubum medicatum inſtituta, haud ſucceſſerunt: ſive quod cruſtam balſamicam internæ vitrorum parieti haud recte inducerent, qui imitati ſunt; ſive quod vitra, atque cryſtallina vitrorum materies, non reſponderet, eſſetque talis, per quam minimæ particulæ frictionibus excitatæ transſpirare haud poſſent. Vana etiam fuerunt Abbatis Nolleti facta ſuper eodem argumento tentamina, cuius Epiſtola, qua Pivatii experimenta ſibi haud ſucceſſiſſe aſſerit, inſerta eſt. Sed Pivatius, Libro, cui *reflexionum phyſicarum ſuper medicina electrica* nomen dedit, facta a ſe experimenta repetit, atque illorum fidem vindicat, laudatque tubos pice medica inductos, illosque orbibus vitreis præfert. Deſcribit etiam maſſam medicamentoſam, qua vitrum inducendum eſt; conſtat illa ex *Terebinthina Cyprina*, *balſamo Peruviano*, ſeu *Toletano*, *Benzoino ſulphure*, *galbano*, *ſuccino*, *aſa fœtida*, *ſtorace*, aliisque ſimilibus reſinis odoriferis. Omnis materies, pro tubi capacitate, ſubtiliter pulveriſata, vitro includitur, ipſumque vitrum agitatur, ut eius parieti pulviſculus adhæreſcat; deinde tubus ſuper carbonibus frequenter rotatur, ut maſſa liqueſcat, oportetque cylindrum ſubinde, ubi incaluit, manu circumagi, ut cruſta æqualis fiat. Recenſentur abinde, contra Nolleti incredulitatem, odorum per transverſum vitrum

vitrum halantium differentiæ, postque experimenta cum terebinthinaceis, ac balsamicis facta; tandem sulphuris communis experimentum adducitur, cuius halitum Lipsienses, quorum fidem Auctor excitat, per cameram ubique diffusam fuisse, atque ab illo, qui tubum tetigerat, in se receptum, ab eodemque sudores sulphur olentes illis nocte effusos fuisse, retulerint. Sed nihil horum, omni adhibita industria, quam excellentem illi esse novimus, Abbas Nolletus vidit, nec viderunt aut observarunt alii, veluti Auctor refert: *Watson* Londinensis, *Iallabert* Genevensis, *Bosius* Wittembergensis, *Pater Garus*, Taurinensis. Ipse Auctor, sulphuris odorem, etiamsi globum rapidissime verteret, haud percepit, atque camphora quoque, moschum, sal volatile Anglicum, balsamumque Peruvianum, sine successu tentavit. Scripta erat ad Pivatium epistola, de Mercurio, per transversum vitrum tubi, in corpus lue Gallica affecti hominis compulso, quo illi omnes unctionis mercurialis effectus venerint; verum hydrargyrus, Auctori experimentum instituenti, præterquam quod lucidissimum phosphorum, in globo vitreo agitatus, funderet, haud paruit. Ne quid experimentorum deesset, Electricismos omnes, quotquot electricitatis medicæ fautores per Italiam mente conceperant, vomitorios, purgantes, soporiferos, imitatus est A. Inclusit *Euphorbium*, quod ex purgantibus summum est, postea *opium*, somniferum remedium, vitro, sed electricitate hac modica, nullos effectus illorum, quos fama ferebat, produxit. Interea tamen eruditus Vir, Doctor Bianchius, celebre universitatis Taurinensis nomen, se, purgantibus tubo conclusis, quem manu capiendum atque continendum iusserat, alvum subduxisse gloriatus est. Adstipulatur *Veratti*, illustre nomen, suisque observationibus medicis, de effectu Aloes, gummi guttæ, Scammonii, medico, si quis electricitate perfusus tubum illis rebus plenum manu tenuisset, testatur. Mirum omnino, qui fiat, ut Italæ gentes electricismi vires plus Gallis percipiant. Certe excellentissimus naturæ antistes, *Nolletus*, in *Recherches sur les causes particuliéres des phenomenés electriques*, sine successu experimentum tentavit. Possetne pur-

gan-

gantis medicamenti ſtimulus, electrica vi, minimis vaſis cutaneis impulſus, perque omnia corporis vaſa, antequam ad inteſtina feratur, diductus, mechanicam purgandi vim, quæ in determinata aliqua acredine ponitur, retinuiſſe? Certe, omnem rationem ſufficientem phænomenorum phyſicorum deficere oportet illum, qui perſuaſum ſibi habet, electricíſmo alvum ſubduci poſſe. De medicamentis, æqua vi in totum hominem agentibus, paulo plus probabilitatis ſupereſt, fieri poſſe, ut medicamentum cute humana ſuſceptum, vel ſudores, vel urinam moveat. Quis autem modus, per impenetrabile vitrum, iſtas facultates medicas, mediante electricíſmo transprimendi? Certe, Auctoris omni, quæ potuit adhiberi, induſtria, nihil horum omnium effectum fuit. Negandum tamen eſt neutiquam, ſolo tremore nervorum, quem electrica effluvia in homine excitant, aliquid effici contra morbos nervoſi generis poſſe.

CAROLI FRIDERICI HUNDERTMARK, PHILOS. & Med. Doct. & Prof. Publ. Lipſienſis, Academiarum, Imperialis naturæ curioſorum, & Regiæ Holmienſis collegæ, Inſtituti Scientiarum & artium Bononienſis Academici, de Mercurii vivi, & cum ſalibus varie mixti, ſumma in corpus humanum vi atque efficacitate, eiusque cum Sulphure laxius vel arctius coniuncti virtute in idem nulla, liber ſingularis, in quo ſimul varia chemiæ capita illuſtrantur.

Lipſiæ, ex officina Ioannis Friderici Gleditſchii, 1754, 4 mai. Plag. 11.

Univerſam hydrargyri hiſtoriam, naturalem, phyſicam, chemicam, medicam, libellus edit. Ex gleba fuſca, quæ *minium* veteribus, vel ſpontaneus ſtillat, vel ignis tortura elicitur, aqueo fluore fuſilis, igne diſſipandus faciliime, ex minimis denuo concreſcens, ſumme mobilis, ex terra vitreſcibili & materia phlogiſta compoſitus eſſe viſus. Aurum, plumbum, faciliime penetrat, argentum minus expedite, cuprum

prum difficulter pervadit, ferrum neutiquam. Neque in metallorum, neque in femimetallorum numero, fed fluor metallicus eft, metallorum forte principium, licet ex illis obtineri arte nequeat. Plumbum atque Bifemuthum propius attinet, hoc interveniente, illi penitus iungitur, inde eft, quod impoftores hydrargyrum plumbo corrumpere didicerunt, tum aliis experimentis, cum maxime illo hanc fraudem detegente, quando adulterinus & corruptus plumbo mercurius, affufo fpiritu acido, in ceruffam folvitur. Venenum effe putavit antiquitas, atque pondere liquoris huius metallici interanea rumpi, arbitrata eft. Mitius fentiunt recentes, & aliquem eius ufum in primis viis effe poffe oftendunt, quando, fi ore captus eft, tota maffa defcendens duram fæcem expellit, vermesque exturbat, quos quoque, cum aquis cocta, enecare perhibetur. Vafa tamen lactea haud fuperat, fubito in unam maffam, defcenfu, concrefcens. Si fuus eft, crudus, purus, poteft quidem fuffitu, unguentis, ad fanguinem duci: nocet autem, quando particulas fanguinis rubras delet, inque tenue pus, faliva, fudoribus, urinis, alvo fluxurum, convertit. Cum falibus acidis, fpiritibus fcilicet falis marini, nitri, vitrioli, atque cum fulphuribus, amicum fubit conforfium, & diverfas utrinque mutationes patitur. Salium enim connubio acrefcit, mordax rodensque evafurus, quod mutatæ per iftorum falium adhæfionem formæ tribuitur. Mitefcunt autem cryftalli, cum novi hydrargyri fextuplum illis additum, vel fpiritus ardens defuper accenfus, vel materies, affufa frequenter aqua, elota eft; atque hi optimum, fi providentia accedit, medicamentum funt. Cum fulphuribus fimiliter coit, dubiumque eft, an acida, an inflammabilis fulphuris pars, eundem vinciat; funt autem variæ mixtiones exinde natæ, tam ab arte, quam a natura venientes. *Minium*, quod noftris *cinnabaris*, mercurii & fulphuris magma eft. Aft cum veteres *κινάβαρι* nominant, fuccum indicum ex rubro inficientem volunt. Pictoribus relinquenda illa res eft, medicis inutilis futura, utpote cum, fi quid in cinnabari eft, quod medicamenti loco effe poffit, ad mercurium, fub fulphuris velo latentem,

referri debet. Cum autem ille vinculum suum sulphureum in corpore haud deferat, inanis quoque fiducia est, quam multi in hoc medicamento collocant. Historicæ ac chemicæ declarationi, medicam *Experientissimus Auctor* subnectit, & usum pharmacorum inde paratorum explicat, suas aliorum sententiis opiniones obfirmans, aliquibus, qui cinnabarum magni faciunt, modeste contradicens, ubique perspicuus, lectione veterum & recentium plurimum valens, nihilque exponens, quod experimentorum fide compertum sibi haud habeat.

SCIENTIA ECLIPSIUM, EX IMPERIO ET COMmercio Sinarum illustrata; complectens integras Constructiones astronomicas P. IAC. PHIL. SIMONELLI, Observationes Sinicas P. IGNAT. KEGLER, Investigationes ordinis Eclipsium P. MELCH. A BRIGA, Soc. Ies.

Romæ, typis Ant. de Rubeis & Lucæ ap. Salv. & Io. Dom. Maresch. 1747, 4.

Alph. 4. plag. 5. Tabb. æn. 17.

Sylloge hæc est variorum *Tractatuum*, doctrinam eclipsium illustrantium, editorem agnoscens *R. P. Melchiorem a Briga, S. I.* In *Partes* distributa est quatuor, quarum priores duæ ea complectuntur, quæ, in Sinis elaborata, exinde in Europam transmissa sunt; duæ autem posteriores, quæ ex Europa in Sinas transiere, continent.

Partem itaque *primam* constituit: *R. P. Phil. Simonelli, in Sinarum Imperio tertium Visitatoris, Tractatus de geometrica, sive optica, eclipsium solis, lunæ, & siderum, constructione,* a. 1738. e Sinis ab Auctore ad dictum *R. P. a Briga* missus, constans pag. 156. Integra in eo sistitur eclipsium theoria, & praxis. Inprimis vero id egit Auctor, ut methodum, eclipsin solarem, seu potius terrestrem, typo quodam delineandi, atque hinc apparentiis locorum, penumbræ lunaris, phasium defectus solaris &c. determinandi, perspicue declararet;

raret; ea non ſolum e theoriæ principiis, ut par eſt, derivando, ſed & ipſam praxin, ad omnem, quæ poſſet, facilitatem non minus, quam accurationem, deducendo. Methodum hic utramque, & geometricam, & trigonometricam, ſemper combinavit, eam, quæ optime uſu venire poſſet, adhibens, quo ſemper una alteram iuvet, &, una commode locum non habente, per alteram res poſſit confici. Quæ omnia ordine & methodo optima, omnique cum perſpicuitate executum eſſe Auctorem, merito fatemur.

Pars ſecunda continet *R. P. Ignatii Kegler, Soc. Ieſ. in Imperiali Academia Pekinenſi Aſtronomiæ Præſidis, & Sociorum, obſervationes eclipſium, variorumque congreſſuum cœleſtium, in Sinis habitas*, pag. 106. Traduntur hic obſervationes circa eclipſes lunæ, ſolis, Iovis & ſatellitum, occultationes vel congreſſus inſigniores in planetis aliis, occultationes fixarum a luna, Cometarum a. 1737 & 43 tranſitus prope fixas. Generatim factæ ſunt hæ obſervationes ab a. 1725 usque ad 43. Adiecit his Doctiſſ. Editor Obſervationes de iisdem phænomenis cœleſtibus, in Europa inſtitutas, ut ambarum conſenſus exinde eluceſceret. Additæ præterea ſunt Tabulæ chronologicæ eclipſium ſolis & lunæ notabiliorum, de quibus conſtat, longe ante æram Dionyſianam, ad hunc usque diem, quarum fit mentio in ipſo Opere.

Pars tertia ſiſtit *R. P. Melch. a Briga Inveſtigationes ordinis eclipſium, ubi præcipua aliorum ecliptica periodi explicantur, nova inveniuntur*, pag. 228. In Epiſtola ad Academiam Pekinenſem exponit Auctor, quis fructus ex obſervationibus & ſtudio Aſtronomiæ in propagandam religionem redundet, & quantopere ideo ea conveniat Apoſtolicis in Sinarum Imperio operariis. Triplicem vero inveſtigationem ordinis eclipſium hic proponit: 1) ordinem earum in ſeipſis, & natura ſua; 2) in ſuis periodis, ſive harmoniam earum periodicam; 3) ordinem doctrinæ. *Prima* inveſtigatio nil aliud eſt, quam generalis quædam de eclipſibus tractatio, ubi traduntur prænoſcenda ante obſervationem eclipſeos, ſive generalia circa naturam luminarium, eclipſium cauſas, finem,

Tttt a uſum,

usum, tam astronomicum, quam alium, phænomena luminis secundarii & colorum, specierum phaseos, quantitatis, locum, tempus, numerum, & intervalla. Omnia itaque hæc, quæ distinctis propositionibus perspicue declarantur & demonstrantur, vicem subire possunt Introductionis in integram doctrinam eclipsium. In *altera* investigat. ante omnia ostendit, dari periodicam eclipsium revolutionem. Dein eiusmodi periodi construendæ leges tradit. 1) In investigandis eclipsium periodis licere sequi methodum veterum Aegyptiorum, per motus medios, traditione notos, & iterata observatione confirmatos. 2) Epocham tamen, sive initium periodi eclipseos, statuendam, tempore vero, in aliqua eclipsi aut observata, aut legitime e Tabulis deducta, quæ non sit ita parva, aut distans a nodis, ut hi in fine periodi distent a luminaribus ultra terminos, qui requiruntur, ut alicubi detur eclipsis. 3) Inter motus medios utendum illis annis solaribus, qui & ad intentum aptiores sunt, & a cœlo non admodum diffident, & adhuc apud gentes cultas sunt in usu. 4) Ad constituendas eclipsium periodos, æquandos annos solares cum lunaribus, saltem per aliquot epactas, eo perfectiores, quo minores. Porro fundamenta & artificia constructionis periodorum exponit A. Ostendit hic, apocatastasin eclipsium perfectissimam, sive in omnibus omnino circumstantiis exactam, non inveniri posse intra pauca annorum millia, imo ipsam habitudinem inter pauca secula restituendam sperari non posse. Attamen non frustra ideo requiri periodicam eclipsium revolutionem, etsi occurrant hic varietates inter Astronomos. Licet nempe motus medii excogitati sint, ad facilitandam computationem, & differant a veris motibus, iis tamen (stabilita aliunde epocha,) uti nos posse in condendis eclipsium periodis, etiam independenter ab hypothesibus. Iam terminos, qui requiruntur, ut accidere possit eclipsis, tam solis, quam lunæ; sive distantiam eorum a nodo, secundum placita præcipuorum Astronomorum exhibet. Examinat denique cyclos luni-solares hactenus assumtos. In horum nullo restitutionem eclipsium inveniri, probat, nisi ingens numerus annorum

rum

rum assumatur. Discrimen cycli luni-solaris a periodo Iuliana, atque imperfectionem cycli vulgaris 19 annorum, perspicue demonstrat, ut & aliarum, ut Aegyptio-Chaldaicae, Chaldaicaeque compositae. Nec magis perfectas esse, machinam a *de la Hire* traditam, nec non investigationem per certos numeros, cuius fundamentum clare exponit; aliam ipse regulam explicat, eiusque consensum cum calculo palam facit. Pergit dein ad emendandas allatas periodos, & inventionem novarum periodorum luni-solarium, simul & eclipticarum. Rei natura non permittit, ut de his uberiorem tradamus notitiam, quare ad ipsum fontem ablegamus Lectorem cupidum investigationum harum, non arduarum minus, quam usu suo se commendantium.

Pars quarta, tertiam dictarum investigationum sistit, ordinem nempe doctrinae, de quibusvis eclipsibus praedicendis, repraesentandis, observandis. Uti praecedentes investigationes erant praesertim chronologicae, ita haec est theorica. Principio generatim de constructionis eclipsium omnium astronomicae fine, utilitate, inventione; eorum, quae hunc in finem assumuntur, veritate; hinc ipsius constructionis rigore, commentatur A. Post fundamenta theoriae & praxis recentioris, eaque veteribus iam probe nota fuisse, ostendit; qua occasione varia notat de *Thaletis* eclipsi, eius collatione cum epocha Troiae incensae, Olympiadum, U. C. & solis defectione in Sinis visa anno ante C. N. 776. Quid etiam veteribus notum fuerit de ipsa arte, tam observandi, quam praedicendi eclipses, exponit. Dignissimae sunt, quae legantur, disquisitiones historicae, hanc in rem a Doctiss. Auctore allatae. Progreditur deinceps ad ipsam doctrinam constructionis eclipsium. Primo, quomodo calculus hunc in finem instituendus, ordinandus, abbreviandus sit, edocet. Varias hic Tabulas astronomicas examini subiicit, earum consensum ac dissensum exponit, huncque e medio tollit; post integrum calculandi processum, probo ordine, ac perspicue tradit; dein ipsam constructionem, ceu exempla praecedentis calculi, clare describit. Enumerat ea occasione methodos hactenus notas, pro definien-

dis phasibus eclipseos lunaris, quæ sunt: geometrica & mechanica simul, per constructionem geometricam & circinum; arithmetica per tabulas; trigonometrica; algebraica, secundum *Maierum*, *Louville* &c. per sectiones coni, secundum Cl. *Boscovich*; per harmoniam periodicam, sive ex alia eclipsi iam observata: mere organica; denique observatio immediata. Porro varia praxeos geometricæ subsidia utilia in usum vocare edocet, quo pertinet *P. Christ. a Maire* nova methodus geometrica, pro determinanda latitudine & longitudine cuiusvis puncti in circulo, hemisphærium terræ illuminatum repræsentante, nec non *Boscovichii* nova methodus adhibendi phases aliquot eclipseos solaris, ex observatione notas, ad determinandas reliquas ignotas, & plurima problemata solvenda. Porro usum globi geographici, in investigandis eclipsibus declarat, simulque de globorum utilitate & inventione varia notat, alia quoque instrumenta peculiaria pro eclipsibus, ut notas illas *Appiani*, & machinam *Hireanam*, affert. Postea ipsam methodum, observandi eclipses solis, ut & transitus Mercurii & Veneris sub sole, (qua occasione de maculis Veneris disquirit,) reliquasque occultationes Martis, Iovis, Saturni, & utriusque satellitum, cometarum & fixarum, explicat. Dein usum eclipsium in Geographia, ad detegendas longitudines & latitudines, denique in moralibus, ut & in propaganda fide, exhibet. Adiectæ sunt novæ Tabulæ, pro periodica eclipsium harmonia, & Sinicarum observationum usu.

BIBLIOTHECA COLONIENSIS, IN QVA VITA ET libri typo vulgati & manuscripti recensentur, omnium Archi-Diœceseos Coloniensis Ducatuum, Westphaliæ, Angariæ, Mœrsæ, Cliviæ, Iuliaci, Montium; Comitatus Arensbergæ, Marchiæ; Vestæ Recklinghusanæ, Territoriorum Ravensteinii, Ravensbergæ, Essendiæ, Werdenæ, Civitatum Coloniæ, Aquarum-Grani, Tremoniæ, Indigenarum & incolarum Scriptorum. Præmittitur chorographica descri-

descriptio omnium Parochiarum ad Archi-Diœceseos Coloniensis Hierarchiam pertinentium. Subiungitur index quadruplex: primus cognominum; secundus nationum; tertius dignitatum & Statuum; quartus materiarum, & speciatim etiam Historiographorum, Anecdotorum, Anonymorum, & MSt. de his regionibus, & harum iure publico tractantium. Accedunt vitæ Pictorum, Chalcographorum, & Typographorum celebrium nostratium. Cura & studio IOSEPHI HARTZHEIM, Soc. Iesu Presbyteri, SS. Theol. Doctoris, Regentis Gymnasii Tricoronati.

Coloniæ Augustæ Agrippinensium, sumtibus Thomæ Odendall, civis & bibliopolæ Colon. 1747. fol.

Alphab. 4. plag. 19.

Ex amplissimo huius Operis titulo, cognosci iam potest universum Auctoris Clarissimi institutum; ideoque paucis modo referemus, quid præstiterit. Duabus potissimum de caussis, inductum se ad editionem illius esse profitetur. Tum enim scire se, ait, neminem, qui Archi-Diœceseos Coloniensis Scriptores recensere studiosius, eorumque vitas, uno iunctas Volumine, conatus sit ad posteritatis transferre memoriam: tum animadvertit quoque, complurium, qui his in terris floruerunt, eruditorum notitiam, vel prætermissam plane ab aliis, vel perperam ac falso nonnulla iis adficta aut detracta encomia fuisse. Operam igitur dedit Auctor, doctos patriæ suæ cives, quotquot reperiri quidem potuerunt, ut ex tenebris proferret in lucem: quo consilio vitam primum cuiuslibet scriptoris, ex documentis publicis pariter, manuque exaratis tantum, composuit, & quæ ad eam ex Topographia & Chronologia illustrandam confirmandamque facerent, undequaque collegit. Deinde scriptorum editorum Catalogos

ſubiunxit, nominatis etiam, &, ubi lateant, fideliter indicatis iis, quæ typis adhuc excuſa non fuerunt. Poſtremo nec Anonymorum rationem habuit nullam, ſed velum potius, quo ſe abdiderant, iuſtis retraxit locis, nec, quibus ſuos irrigavit hortulos, fontes reticuit, boni hiſtorici officio ſatisfacturus. Cæterum, ordine uſus alphabetico eſt, omnesque ſcriptores ſecundum prænomina produxit in ſcenam, qui tamen modus inficetus Lectoribus moleſtusque videbitur. Solo proſpectum eſt iis cognominum indice, quod ſumme etiam neceſſarium erat, in tanta Auctorum copia, quorum ſane plurimi non eam conſequuti famam ſunt, ut operæ pretium ſit, eorum prænominibus fatigare memoriam. Inter celebriores viros, qui exhibentur hac Bibliotheca, in oculos noſtros incurrunt: *Adamus Adami*, *Anna Maria Schurmannia*, femina quidem ſexu, at viris ob doctrinæ elegantiam iungenda, *Bernardus Sutholt*, *Caſparus Ens*, *Caſparus Klockius*, *Detmarus Müllerus*, *Guil. Inſulanus*, *Henr. Corn. Agrippa*, *Henric. a Roſenthal*, *Herm. Buſchius*, *Hermannus Comes de Newenaer*, qui primus Caroli M. vitam, ab *Eginhardo* deſcriptam, ex MSto edidit, *Iac. Middendorpius*, *Iac. Omphalius*, *Iac. Kickius*, *Io. Caſarius*, *Io. Duns*, Scotus, *Io. Ge. Eccardus*, *Io. Gelenius*, Canonicus Colonienſis, *Io. Buxtorfius*, *Io. Sleidanus*, *Io. Sturmius*, *Io. Wierus*, *Martinus Bucerus*, *Suffridus Petri*, *Salvianus*, *Reinerus Bachovius ab Echt*, *Thomas a Kempis*, *Tilemannus Hesbuſius*. Copioſius tamen de nonnullis erat dicendum, ſive vitam ſpectemus, ſive ingenii monumenta. Sic, ut exemplo utamur, *pag. 34.* de *Sutbolto* ubi differit Auctor, plura commemorare eius ſcripta potuiſſet, ſi vel ſolam conſuluiſſet *Bibliothecam Lipenio-Ienichianam*. Pauciſſimis etiam *p. 174.* de *Io. Ge. Eccardo* agit, nominatoque eius opuſculo, quod Coloniæ avtographum exſtat, & *gründliche Widerlegung Capitis II. der ſo genannten Securis ad radicem poſita, abgefaſst 1724.* inſcriptum eſt, ea ſubiicit tantum: *reliquum viri elogium, & ſcriptorum ſyllabum, dabunt Wirceburgenſes aut Hannoverani.* Aut ſilentio hunc virum tranſire penitus, maxime quum per exiguum ſaltem tempo-

ris

ris spatium Coloniæ commoratus sit, aut uberiori sermone eiusdem in literas merita exponere debebat. Tamen sua opus utilitate non destituitur, iisque cum primis se commendabit, qui religiosorum hominum quandam exoptant notitiam. Nec aliis historiæ litterariæ amatoribus Auctoris conatus displicebunt. Varia enim intermiscet passim, quæ certa huius studii capita illustrant. Pertinent huc v. g. complura *Chronica Coloniensia pag. 59.* inter quæ primum, opera Io. Kœlhoff, 1489. in fol. charactere Gothico, variisque referta iconibus, prodiit: *die Chronica van der hilliger Stadt Cœllen.* Repetitum typis est opus 1490. 1494. ac denique 1499. quæ vulgo notior est editio, &, quasi sola esset, laudatur; etsi rarissima sit, adeo, ut Scriptores nonnulli Germanicarum Bibliothecarum eius non meminerint, tanquam ignotæ, aut de cuius existentia dubitarent. *Pag. 310. seq.* de *typographis Coloniensibus* agitur, quibus addenda, quæ *pag. 35. seq.* obveniunt. Hoc scilicet loco diversæ, etiam antiquissimæ, *sacri Codicis editiones*, a Coloniensibus adornatæ, recensentur, laudata præ ceteris ea, quæ circa annum 1470 sermone Germanico in lucem fuit emissa.

HISTOIRE DE CATILINA, &c.

i. e.

HISTORIA CATILINÆ, EX PLUTARCHO, CICERONE, Dione Cassio, Sallustio, & aliis Historicis antiquis, desumta.

Amstelædami, apud Marcum Michaelem Rey, 1749, in 8.
Plag. 8.

Lectores nostri, qui redeunt in illius temporis memoriam, quo duo principes poetæ Gallici, fabulas tragicas, ab se confectas, Catilinæque nomen sibi præfixum habentes, theatro simul proponerent, ac pro sua quisque Venere, huiusque, præ altera illa, venustate, tanta animorum contentione digladiarentur, ut ipsam multitudinem partes in contrarias scinderent: intelligent facile, quid sit, cur Auctor, nefarii hominis

vitam ac res gestas denuo scribendas sibi putaret, nec minus ex præfatione statim videbit, quibus partibus maxime serviat. Opportuno enim, ait, tempore, hoc opus ab se confectum prodire, quo *Catilina* in fabula principis tragici, qui quidem regnante Ludovico XV. vixerit, *Crebillonii*, maximam Europæ urbem non minus commoveret, quam ipsum illud hominis monstrum urbem, in qua erat imperii orbis terræ domicilium, quodam tempore miscuerit. Atque uti habeat, quo consilium hoc suum ab aliorum reprehensionibus defenderet, &, cur post Sallustium, historicum omnibus numeris absolutum, ad scribendum appulerit animum, diceret, huius laudem paullulum imminuere conatur. Cum enim duo sint, quæ ad bonum historicum requirat, primo, ut a partium studio sit alienus; deinde ne quid earum rerum sileat, quæ momentum aliquod habere videantur, (præf. IX.): utramque hanc virtutem in Sallustio non intemeratam reperiri, probandum sibi sumit. Primo enim, ait, quod virtutem Ciceronis, in opprimenda hac factione conspicuam, suis laudibus minus ornet, facile indicare animum obnoxium, neque ab omni partium studio liberum. Cuius rei caussas, ex diverso orationis genere, quo uterque usus sit, atque ex eo ducit, quod, ob imminutum patrimonium, Sallustius Senatu, Cicerone forsan auctore, ut suspicatur noster, quoniam illius in Senatu magna semper auctoritas esset, moveretur. Deinde civilem Crispi prudentiam ideo suspectam reddit, quod, cum caussas conversionis reipublicæ, ætate Marii, Sillæ, ipsiusque adeo Catilinæ, factæ, quærat, eas in tribus maxime rebus conspici dicat, ambitione, luxuria, & perturbatione disciplinæ, (*dans la corruption des mœurs.*) Si enim ætas illa maximum habuerit ingentium virorum proventum: si res a Romanis optime gestæ tum fuerint: neque ambitio, nec luxus, nec morum corruptio, caussas eius corruptionis, ipso quidem iudice, sustinent. Quod exemplo Gallorum, in ipsis voluptatum illecebris, ac medio earum fructu, fortium victorumque, demonstrari satis posse arbitratur; ubi multum simul iactat victoriam Fontanæensem: oblitus forte, castrorum ibi munitiones ita fuis-

se

ſe duriſſimas, uti, qui eas defenderent, Galli, ipſo quidem non infitiante, erant molliſſimi. Iam ſi quæramus, quænam fuerint illæ converſionis rei Romanæ cauſæ, Salluſtio ignoratæ? divitiarum, reſpondet, amplitudinis, & potentiæ exceſſus; quam in rem Cap. 9. libelli Gallici laudat, qui eſt *des cauſes de la grandeur & de la décadence de l'Empire Romain.* Quæ quidem, quatenus ſententiæ Salluſtii ſint contraria, aut omnino vere dicta, in præſenti copioſe non diſputamus; neque quærimus, utrum Romani potius, an Galli, regnante Ludovico XV. quod Auctor adfirmat, Sillam, Marium, Cæſarem, Sertorium, & Pompeium, penitius cognitum habuerint perſpectumque. Sed ſatis diu tanquam in limine ſubſtitimus: veniendum eſt tandem ad ipſum libellum. Deſcriptus eſt ille in *tres alios libros*, quorum *prior* genus, educationem, iuventutem, Africæ adminiſtrationem, crimina peculatus & inceſtus, atque alia cum his coniuncta, usque ad illud tempus, quo in Conſulatus petitione reiectus, Cicero autem electus eſt, complectitur: *alter* de coniuratione exponit, usque ad egreſſum Catilinæ in caſtra Manlii: *tertius* denique illius eventum commemorat. Quæ omnia, cum ſatis nota ſint, non eſt ut pluribus repetamus. Ipſum orationis genus paulo interdum propius ad declamatorum dictionem accedere videtur, quam hiſtoriæ verecundiam decebat.

Pag. 1-72
73.

DE DUOBUS IMPERATORUM RASSIÆ NUMmis 1750. in 4.

Plagulæ 3.

Plura de hoc libello, ſplendidiſſime ornato, eruditeque ſcripto, quam titulus, quem integrum huc poſuimus, habet, ſcire nos Auctor noluit. Quo infrequentior autem, in vulgaribus hiſtoriæ compendiis, Imperatorum Raſſiæ mentio hodie eſt, eo gratiorem illum ſtudioſis pernoſcendarum rerum geſtarum, acceptioremque futurum eſſe, non vane auguramur. Sunt numi, quos explicandos ſibi ſumſit, *Stephani* potiſſimum, & *Vroſii*, Raſſiæ Imperatorum; in quibus illuſtrandis

ita doctissimus Auctor versatur, ut non vitas modo eorum breviter exponat, sed tribus etiam aliis, eiusdem gentis nummis, lucem affundat. Cuius generis libelli parvi, cum multorum in notitiam pervenire non facile soleant, & utiles tamen iucundique sint: argumentum huius breviter enarrando, operæ pretium nos facturos esse confidimus. *Stephanus* igitur, cognomine Duscianus, aut Eleemosynarius, 1331. rerum potitus, sæpe feliciter adversus Turcas dimicavit, regnique fines longius protulit, multisque civitatibus, ac toti ferme Albaniæ, Romaniæ, atque Epiro, regni sui iura indulsit. Quibus rebus gestis cum ingentes sumeret spiritus, consentientibus regni proceribus, Imperatoris titulum sibi arrogavit, relicta Vrosio, filio suo, regia dignitate; omniaque munera, quæ usu recepta illis temporibus, in Imperatorum aulis, erant, instituit, aquilamque bicipitem insignibus suis, albam in campo rubro, inseruit, ac pecuniam etiam, hoc imperatorio nomine insignivit. Sedet enim ipse in prioris numi adversa parte, ornatus diademate, dextra sceptrum tenens, lilium habens pro cuspide, lævaque globum amplexus, cui crux est imposita, additis verbis: STEPHANVS IMPERATOR. In altera parte S. Triphon. stans, nimbo redimitus, palmam dextra, similemque illi, cuius meminimus, globum sinistra ferens, visitur, circa cuius imaginem sunt verba: S. TRIFON. CATARINEN. Quo tempore imperatorium fastigium Stephanus adierit, non satis constat. Orbinus eam rem anno 1340. dissentiente tamen Cangio, adscribit; certum nihilominus est, in aliquo eius edicto, Ragusii scripto A. 1346. Imperatoris nomen iam usurpari. Accedit, quod Andreas Dandulus, Venetorum Dux, eundem in litteris, aureo sigillo signatis, & ante mensem Aprilis 1348. scriptis, *Græcorum Imperatorem* vocat. Fuit vero rei publicæ Venetorum amicissimus, quod & oblato sæpius auxilio, & legatione quadam, 1350. mense Aprili missa, satis declaravit; rogans, uti sibi, filio, uxori, atque heredibus, Veneta nobilitas concederetur, fœdusque secum, quo facilius expugnaret Constantinopolin, iniretur. Tabulæ nobilitatis datæ, hic etiam integræ leguntur. Quanquam vero antiquiores Rassiæ reges, in

in ſignanda pecunia, uſi forma Veneta ſunt: tamen, cum Conſtantinus rex iam antea receſſiſſet ab eadem, quod duobus numis probatur; mirabile videri nemini debet, ſi & hic, de quo agimus, ab ea differat. Sed hæc de priore numo repetiiſſe ſufficiant. Alter eſt, *Vroſii*, qui eodem habitu, quo pater, in eo repræſentatus, VROSVM IMPERATOREM ſe vocavit. In averſa eius parte iterum S. Triphon. martyrii palmam dextera, ſiniſtra globum, cruce ornatum, tenens, apparet, additis verbis: S. TRIPHON. CATHAREN. Quod igitur Cathari cuſus eſt, eum intra annum 1356. qua pater diem obiit, & 1360, quo Catharenſes, inclinata iam Raſſiæ fortuna, defecerunt ab Vroſio, Hungarorumque fidei ſe permiſerunt, ſignatum eſſe oportet. Quid vero illis numis fiat Vroſii, in quibus regium nomen gerit, quæritur. Cum illud imperatorii loco poſitum eſſe credibile non ſit; neque conſtet, parente vivo, numos ei cudere licuiſſe: ad Milutinum, vel Vroſium, ſanctimoniæ laude clarum, Vroſii, ultimi Imperatoris, proavum, vel alium quemcunque, eos referendos eſſe, Auctor iudicat, quod litterarum etiam forma non obſcure videtur indicare. Catharenſium civitatem & ius auri argentique feriundi habuiſſe, & ſuis aliquando legibus vixiſſe, ex alio quodam eius numo, in quo nulla fit principis cuiusquam mentio, demonſtratur. Tandem de Triphone quoque, cuius in his numis imago frequens eſt, hoc monemur, eius viri ſancti, ut fama eſt inter eas gentes per manus tradita, corpus, cum Venetias deportaretur, felici quodam fato, ad oras earum appuliſſe; Marci autem, quod eodem itinere, ſed alia navi, veheretur, ſecundis interea ventis Venetias delatum fuiſſe. Unde ita ille civitatis veneratione, a longo inde tempore, floruit, ut eadem propemodum illam Conſtantinus Porphyrog. de adminiſt. Imp. Part. 2. cap. 29. cenſuerit. Paſſa tamen hanc urbs bona calamitatem poſtea eſt, ut *Antonius a Boccole*, primus Venetorum in ea Rector, brachium eius alterum aſportaret, Venetiasque ſecum auferret, unde illud, in S. Fantini æde repoſitum, fruſtra, quod optime ibi cubaret, repetiiſſe dicuntur. Extant numi, hoc in commen-

tario memorati, Venetiis, in museis Antonii Savorniani, & Bernardi Nanii, illustrissimorum in ea republica Patriciorum, quod æque ac splendor libri, animum facile inducit ad credendum, eius natales, & in ea urbe, & in domo splendidissima, quærendos esse.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREmentum Scientiarum ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per partes publicata.

Volum. IX. Pars III.

Lipsiæ, apud b. Lanckisii heredes, 1753, 8. plag. 12.

Offeruntur hic lectori novem opuscula. Primo loco *Ioannis Christophori Harenbergii Exercitatio, ad hymnum psalterii Davidici LXIX.* in conspectum prodit. De summa
Pag. 363. hymni haud idem senserunt interpretes exegetæ. Alii, ad Messiam spectare singula hymni enuntiata, contendunt; alii, de exsilio Iudæorum Babylonico, ac eorum in Palæstinam reditu hic agi, sibi persuaserunt. Auctori visum fuit in medio ire, ac tutiori insistere tramiti. Quæ incisum tricesimum antecedunt, de Messia omnino esse capienda, monet. Concinit huic opinioni sententia Apostolorum. *Io. II, 17. XV, 25. Rom. XV, 3. Io. XIX, 8. Matth. XXVII, 48. Marc. XV, 36. Act. I, 20. Rom. XI, 9. 10.* Ad Davidem credit Auctor specta-
367. re incisa 30-37. David, in fatis Achitophelis imaginem Iudæ Iscariotæ prævidit. Prima pars hymni Iesum, in imo perpessionum statu versantem, exhibet. Secunda complectitur vaticinium de clade, & exilii calamitate, in nationem Iudaicam redundatura, v. 23-29. Tertia repræsentat Davidem, qui Dei opem exorat, & victoriam sibi promittit, suisque reditum in patriam, Absalomo victo, pollicetur, v. 30-37. Diras imprecationes in hoc effundi hymno, negat Auctor. *Terram viventium*, ibi memoratam, de pristina Palæstina interpretandam

dam esse, docet. *Schoschannim* sunt ipsi *sicynnotyrbæ*, modulationes tibiarum, cum saltationibus affectus placidi coniunctæ. Incisum 6, de stultitia, Messiæ obiecta & exprobrata, capiendum esse, significat. Non dissentit Raschi. Naturam Pag. 379.
sicera enarrat. Respici plusquam semel ad lutum lacus Sirbonidis ibi, haud alienum ipsi est docere. Ex vocabulo *διαπαντὸς Rom. XI, 10.* colligi posse, nunquam copiosam Iudæorum multitudinem se Iesu doctrinæ adgregaturos esse, negat. 388.
Reliquas, inde decerptas in Nov. Test. pericopas, illustrat. Nomen סִירָה extricat vers. 72. *Librum viventium* v. 29. exponit de Dei decreto, quod gratiam fœderalem excellentiorem complectitur. Addit reliqua, ad Davidem spectantia, Absalomo devicto, ad suos redeuntem. Excipit hanc dissertationem 397. 403.
M. *Io. Ludovici Sperlii Commentatio de Abrahamo, ad videndum Christi diem admisso, ad illustrandum locum Io. VIII, 56.* Sunt, qui ad visionem, quæ Abrahamo contigerit, hic respiciunt, fide constantem in Iesum nasciturum ac moriturum. Alii, vel ad natalem, vel ad resurrectionem Iesu spectari, contendunt. *Alethophilum*, qui apud Ven. Pratienium verba fecit, præcipue notat, credentem, veram visionem Iesu in lucem editi Abrahamo patefactam fuisse. Cohærentiam verborum, eorumque scopum, urget. Tandem decernit, Iesum provocasse ad Abrahamum, vita iamtum sempiterna gaudentem, quæ sit dies Iesu, quam expetiverit Abrahamus, tandemque mortuus, sibi impertitam gaudio fuerit prosecutus. 410.
Pergimus ad *Caroli Christiani Hirschii, de Origine Landsknechtiorum, observationem historicam.* Originem eorum militum stipendiariorum, a Ludovici XI, Galliarum Regis, invento deducit Auctor. Ludovicus enim ille, Germanos conduxit milites stipendiarios, iisque postea Helvetios immiscuit mercenarios milites. Maneranus autem originem ad Maximilianum I. revocavit. Ipsi suos sibi præfectos delegerunt, delectati musico tympana militaria pulsandi more, ac prædam reportatam sibi retinere soliti. In ancipiti reliquerunt ipsi res Maximiliani, ideoque suppliciis quibuscunque ab eo adfecti. Postea stipendiarius miles sensim in ordinem 425. 430.

Pag. 434. nem fuit redactus. Succedit *Anthologia græca, nunc primum e Codice MSto edita, studio Io. Iacobi Reiske.* Exhibet hoc loco Cel. Auctor retractationes & uberiores illustrationes versiculorum Græcorum anthologiæ, quos antea in Miscellaneis hisce evulgaverat. Profecit postea ex lectione uberiori, ac monitis Petri Wesselingii, nec non Io. Stephani Bernardi, Virorum in Belgio fœderato de litteris Græcis ac Latinis meritissimorum. Piersonus ediderat Leidæ libellum *Verosimilium*, in quo non pauca anthologiæ a Reiskio editæ carmina fuerant vulgata. His aliisque rationibus commotus V. Cl. telam suam repetit, eamque ita subinde emendat, ut ex emendatione, & genuino eius animo, veritas sinceritasque eluceat æque, ac non contemnendus eruditionis adparatus, nunquam non correctioni immistus. Delibemus aliqua. Χάραξ
445. est proprie una tantummodo sudes. Inde tota sudium series, quibus valla cinguntur, dicta fuit vocabulo eodem. Κόνταξ est perinde sudes, baculus. Inde *κόντακα παίζειν*, est idem ac ludere ludum, quo pueruli conum erectum certatim prosternunt tigillis, eique, qui primus prostraverit, victoriam decernunt. Habes, Lector, hic complura ad poetarum Græcorum rituumque antiquitates intelligendas. Subiunxit b. *Frid. Otto Menckenius, antiquum de Epiphania Domini Sermonem, qui in vetusto quodam Codice S. Augustino tribuitur, nunc de-*
482. *mum editus.* Acceperat eum, ante tria secula a rudi Monacho descriptum, a Ven. Gœringio, Principatus Mindensis antistite ecclesiastico, Io. Ludolfus Bünemannus, tunc Mindensis Gymnasii, nunc Hannoverani, Director, & hic demum communicavit cum b. Editore, qui adiecit compendiariæ scriptu-
491. ræ expositiones Bünemannianas, & subinde suas. Agmen claudit, *Commercium epistolare duorum magni nominis virorum, Ludovici Bourgueti, & Gisberti Cuperi, quo illustriora multa philosophiæ, antiquitatum, & literarum elegantiorum capita, doctissime illustrantur. Accedunt duæ Bourgueti, ad Io. Bapt. Ottium, & Io. Woodwardum, epistolæ.* Cuperus, de situ Thebarum, labyrinthis Ægypti, hieroglyphis litteris Etruscis, monogrammate Christi, origine alphabeti, & loco quodam Ter-

Tertulliani, Gallica lingua differit. Paulus Lucas, in Assuana superesse Thebas, credidit, haud procul a catarractis Nili. Bourgueto visum fuit, eas restare in oppido *Luxor*. Lucæ opinionem levi difflavit halitu Cuperus. Bourgueti sen- Pag. 494.
tentiam credit esse potiorem. Labyrinthus Creticus interciderat iam ætate Plinii, XXXVI, 13. Philostratus tamen, ut Apollonii sui vitam ornaret, eum sua ætate florentem ac ex-
stantem prodidit. Illa Plinii l. c. sic habent: *Adiuvantibus Heracleopolitis* (exstructionem labyrinthi), *qui id opus invisum mire infestavere.* Si eam adiuverunt, cur infestarunt? Tabulam Isiacam esse calendarium Aegypti, iam Rudbeckius sibi persuaserat. Fidem oculatam rei fecit Ven. Paulus Ernestus Iablonskius. Etruscas Inscriptiones esse ex- 499.
plicabiles, vix videtur Cupero probabile. Litteras earum 504.
cum *runicis* convenire, & cum Hispanicis vetustissimis, miratur: ratus, litteras Phœnicum esse antiquiores litteris Aegyptiorum ac Hebræorum. Bourguetus facile comprobavit, Assuanæ positionem haud esse situm Thebarum Aegypti gentinum. Priscas litteras Hetruscas, a priscis Celtibericis, in 511.
eo tantum differre, statuit, quod illæ a sinistra ad dextram, hæ perinde ac Runicæ a dextra ad sinistram legantur. Signum, cuius conspectu in cœlo Constantinus dicitur vicisse 515.
Maxentium, ac religioni Christianæ dedisse nomen, fabulosum, piisque fraudibus adnumerandum putat commentum. De Pietistis, & Iacobi Bœhmii scriptis, sat magnifice sentit. 519.
Cuperus, reliquias inundationis universalis in terra restare, credit Woodwardo & experientiæ argumentis. Reliqua non minus grata Lectoribus futura, addere non iuvat.

DE ANIMI TRANQUILLITATE DIALOGUS, FLOrentio Voluseno Auctore.

Edinburgi, apud Hamilton, Balfour, & Neill, 1751, 8.
Alph. 1 plag. 17. dimidiatæ.

Elegantissimum lectoribus nostris opusculum, non ratione tantum externæ formæ, quanquam & hæc, ut solent fer-

me libri, qui ex illis oris ad nos perferuntur, pulcritudine sua legentium oculos capit; sed argumenti etiam dignitate, atque orationis cultu, quo proxime a veterum laude abesse Auctor nobis videtur, commendamus. Erat autem *Florentius Volusenus*, (vulgo *Wilson* aut *Wolsey*), natione Scotus, parentibus ingenuis honestisque, ad Lossaeum, amnem amoenissimum, haud procul ab Elgino oppido, natus. Disciplinis liberalibus primum in patria, in Gymnasio Aberdonensi, imbutus; deinde Lutetiae Parisiorum eruditior factus; ubi Eboracensi quoque Cardinali, Thomae Volsaeo, innotuit, qui fratris sui filium ei erudiendum commisit. Post, cum patris mors a puero illo Florentium distraxisset, ad Bellaeum, Parisiensem Episcopum, se contulit. Cum hoc Romam profectus, atque a Iacobo Sadoleto, cuius videndi studio mire flagrabat, humaniter acceptus est. Haud multo post tempore, Carpentoracti, ubi Sadoletus tum Episcopus erat, ei publica liberalium artium professio demandata est, tanto civium gaudio, ut omnes novam felicitatem urbi exortam existimarent. Postquam autem complures annos in Italia, Gallia, aliisque exteris regionibus transegisset, tandem in patriam rediens, anno S. R. 1546. Viennae, in Delphinatu, ad Rhodani ripas, fatis concessit. Plura in eius laudem dicit *Sadoletus* Lib. VI. Epist. 16. quae, ut & Io. Lotharingii ad ea responsio, operi ipsi praemissa est. *Thom. Dempsterus, in hist. eccl. gent. Scot. Libro XIX.* auctor est, eum, praeter librum, de quo agimus, *Philosophiae Aristotelicae Synopsin Lib. IV.* composuisse, quod tamen opus an unquam typis exscriptum sit, merito dubitat editor. Aliud quidem Voluseni opusculum nominat *Catal. biblioth. Thuan.* cui nomen est: *Commentatio quaedam theologica, quae eadem praedicatio est, in aphorismos dissecta*, octavo, Lugd. per Seb. Gryphium 1539. quo vero in angulo illud lateat, aut an penitus interierit, nescire se editor fatetur. Interim, huius etiam nostri operis editionem primam, Gryphii opera exscriptam machinis, in hominum manus pervenisse, ex ipsius Voluseni ad *Franciscum Michaelem, Patricium Lucensem*, epistola discimus. In dialogo ipso loquentes inducit

cit, eundem illum, in cuius nomine primum apparuit, *Franc. Michaelem, se ipsum, ac Demetrium Caravallam.* Argumentum libri, cuius tanquam in tabula quadam conspectus dialogo praemissus, hoc ferme est. *Prolusio*, quid sit tranquilli- Pag. 1 - 19.
tas? an sit parabilis? quid sit, cur tam pauci eam assequantur?
& alia, his coniuncta, quaerit. Ἀγών, seu *tractatio argumenti* 19 - fin.
ipsa, tam generalis est, quam specialis. Illa, post finitionem
tranquillitatis animi, cuius momentum omne in sedandis af-
fectibus positum est, de affectuum natura, caussis, sede, & dis-
crimine agit; deinde affectuum qualitatem docet, & mo- 20 - 47.
derandine, an funditus tollendi sint, ex variarum sectarum 47 - 72.
disciplinis, disputat, iudiciumque tandem suum interponit; tum 72 - 99.
de compescendis & moderandis affectibus disserit. Postea prae- 99 - 257.
ceptiones speciales, ad tranquillitatem obtinendam, proponit. 103 - 111.
Earum *prima* est: flagrans studium bene merendi de se ipso, 111 - 129.
& se ipsum perficiendi; *altera:* oportet nos verorum bo- 129 - 137.
norum agnitione instructos esse; *tertia:* ne, quae aliena sunt,
propria, aut nostra esse putemus; *quarta:* turpiter & frustra 137 - 155.
ab externis requiem peti; *quinta:* non magnifice sentire de 155 - 166.
se ipso, aut placere sibi ipsi, neque alios despicere; *sexta:* 166 - 224.
postquam providentiae servus es, non dominus, obtempera lu-
bens atque alacer; *septima:* malis id esse, quod es, quam quid- 225 - 238.
vis aliud, atque hac ratione te beatum existimes; *octava:* 239 - 256.
exercitatio, conversatio, & potissimum cavere a se ipso Tan- 257.
dem venit ad harum praeceptionum efficaciam A. atque fatetur
ingenue, se accusare aliqua, nempe naturalium virium de-
fectum, ad tranquillitatem inveniendam: quod non certam
spem immortalitatis nobis dent: hinc dein caelestis eruditionis
necessitatem demonstrat. Agit deinceps de agnitione sui, & animi 265.
demissione; de agnitione Dei, ad quem Christus dux & praeceptor 268.
sit. Ad extremum, quomodo certi reddamur de vera tranquilli-
tate, per Christum obtinenda, quaerit; nempe *primo*, afflatu nu- 270.
minis, quo erigit animos nostros, ad se tum agnoscendum, tum 271.
amandum; *deinde* ecclesiae, hoc est, tot praestantium virorum
consensu; *tertio*, Christi ipsius vita sanctissima, moderatissi- 273.
ma, populari, simplicissima; *quarto*, eius doctrina de praeceptis 275.

 vitae,

vitæ, bonorum finibus, mysteriis, ad salutis consilium pertinentibus; *quinto*, prodigiosis operibus, vel miraculis Christi & discipulorum eius. Hæc est totius operis summa; nunc, speciminis loco, nonnihil afferamus, unde de doctrina eius
Pag. 19. possit iudicium fieri. *Tranquillitatem animi* vocat, placidam ipsius, perturbationum tumultu vacantem, constantiam; vel
25. æquabilem & rationi consentaneum animi statum. *Affectus* ipsi est, appetitus humani, ex rei alicuius iucundæ vel molestæ sensione, suscitata commotio; aliosque affectuum esse, qui Deo
27. non nisi μεταφορικῶς, hoc est per translationem quandam atque similitudinem, tribuantur, quibus cogitatione animi omnis deformitas amputanda atque detrahenda sit; alios proprie in illum competere, docet, ita tamen, ut & hi ab omni eo,
33. quod mobile & turbulentum est, penitus segregandi sint. De Adami lapsu ita sentit, ut, antequam ab officio turpiter ille recederet, eius naturam vitiatam fuisse, ut nostra sit, neget: sed infirmum esse omne, quicquid est extra Deum, maxime si suo sit permissum ingenio, doceat; hinc illa nascentis mundi, & de Adamo historia, huc tendere ipsi videtur, ut intelligamus, etiam eas res, quæ præstantissimæ apparent, & quarum gratia aliæ conditæ sunt, in loco maxime lubrico consistere, & divinæ opis potissimum egere, atque ad divinum auxilium assidue
75 - 94. confugere debere. De libertate voluntatis accurate fuseque exponit, atque inprimis docet, neminem quicquam appetere, nisi quod bonum ei appareat; neminem gratis peccare, sed propter suavitates quasdam utilitatesque, nec prius in voluntatem, quam rationem, cadere errorem. Atque ut eius etiam in religionis capite quodam sententiæ specimen habeamus, quid
266. de honestarum actionum, quas bona opera nunc vocant, merito iudicet ac præmiis, audiamus. „*Fieri potest*, inquit, ut „divina bonitas, quia immensa est, etiam imperfecta illa no„stra officia, cuiusmodi esse omnia dixi, boni consulat, & „meriti loco habeat, & laude ac præmio digna iudicet. Ve„rum mihi *ægre licere* arbitror, statuere aliquod meum, ulla „in re, meritum. Deponenda est ergo, quæ ex operibus, aut „rebus nostris gestis, quamlibet præclaris, nascitur fiducia: nos

„to-

„totos in Deum coniiciamus; ille nobis fit sacra ancora: nos „totos in illius fidem ac clientelam conferamus: neque sic „salutis nostræ laudem dividamus, ut partem alteram Deo „committamus, alteram nobis vindicemus. Satius igitur est, Pag. 267. „nos ad nullum aliud confugere pactum, quam quod ille du„dum sit pollicitus, felicitatem iis, qui suum filium, per fi„dem illam, ex qua caritatis officia manant, amplecterentur. „At illuc non est suis meritis, sed Christo niti." Atque ita differentem auctorem eruditum, piumque, non modo optimis in hoc genere scriptoribus, ut *Boethio*, *de Sarasa*, *Hofmanno*, aliisque, æquiparandum, sed longe etiam plerisque præferendum, merito suo, iudicamus.

NOUVEAU DICTIONNAIRE HISTORIQUE & critique, &c.

hoc est,

NOVUM LEXICON HISTORICO-CRITICUM, AD supplendum, sive continuandum, PETRI BAYLII Lexicon historico-criticum. Edidit IACOBUS GEORGIUS DE CHAUFEPIE.

Vol. I. & II.

Amstelodami, apud Z. Chatelain, H. Uytwerf, F. Changuion, I. Wetstein, P. Mortier, Arkstee & Merkus, M. Uytwerf, & M. M. Rey, & Hagæ, apud Petrum de Hondt, 1750. fol. mai. A — H. Vol. I. Alph. 9. plag. 15. Vol. II. Alph. 9. plag. 21.

Tanto applausu exceptum fuerat *Petri Baylii* Lexicon historico-criticum, ut ille, cuius impensis fuerat impressum,

pressum, bibliopola, eius supplendi per additiones, post mortem Auctoris, consilium caperet. Sed nihil tale quid lucem vidit, nisi *Ancilloni*, de fatis & operibus quorundam recentiorum commentariolos, in hunc censum referre velis. Anno autem 1733. doctissimi quidam Angli, opus Baylianum in suam linguam verterunt, simulque plurimis additionibus auxerunt ita, ut ad decem Volumina in folio maiori totum opus accresceret. Suo se id ipsum nitore non minus, quam rerum copia, satis commendavit: sed Anglorum in primis, aut orientalium, vitae accesserunt, paucissimae aliorum. Ut plenius pateret Anglorum institutum, praefationem illorum ipsi operi praemissam, suae Noster praefationi integram curavit inserendam. Anno 1739. societas quaedam bibliopolarum persuasit Nostro, ut Baylium Anglicum Gallice redderet, aliaque nova, ubi placuerit, adderet. Ad litteram usque M opus perduxit, & sic ad finem sui pensi pervenit, Anno 1742: alterius enim partis elaborandae provincia, cuidam Anglo erat demandata. Hic, cum segnius in opere perficiendo procederet, alteram etiam partem Noster, bibliopolarum precibus eo perductus, aggreditur. Unde tamen effectum est, ut non eadem ubique forma & facies operis sit, nec suo quaeque loco posita reperiantur. Interpretis provinciam satis bene explevit, sed versus Anglorum prosa oratione reddidit, non raro argumentum modo eorum brevius proposuit, ut non merum interpretem ageret; tum Anglicum textum vel auxit additionibus, vel correxit etiam & emendavit, tum quoque nova plane capita adiecit; omnibus, quae de suo addidit, certis quibusdam signis a reliquis distinctis. Nec tamen omnia, quae vertit, & non emendavit, si forsan minus recte dicta fuerint, sibi vult imputari. Ipsum quandoque Baylium notat, & emendat: sed Criticum agit, & philosophum, non theologum. Hinc a controversiis theologicis plane abstinendum sibi ratus est, scilicet a mere theologicis. Nam alias, ad revelatam veritatem referendas, immiscet

miſcet multas, quales ſunt ſub *Anaſtaſio*, *Collino*, aliisque. Gratas etiam & acceptas ſibi fore correctiones aliorum, ingenue profitetur. CLXXXVI. integri tituli noviter acceſſerunt in binis hiſce voluminibus, & totidem fere, quos iam Angli dederant, augentur, vel etiam emendantur. In prioribus notari præcipue merentur: *Anaſtaſius I*, *Bardanes*, *Bardeſanes*, *Beauſobrius*, *Theoph. Sigfr. Bayerus*, *Franc. Blanchinus*, *Bœrhavius*, *Boiſſius*, *Boivini*, *Lambertus Bos*, *Barn. Briſſonius*, *I. F. Buddeus*, *Mat. Veiſſ. la Croze*, *Cteſias*, *Ant. van Dalen*, *Dædalus*, *Elias*, *Eliſa*, *I. A. Fabricius*, *Gondebaldus*, *Gozo*, *I. V. Gravina*, *M. Gudius*, *Em. Faria de Souſa*, quem tamen, more patrio, *Em. de Faria y Souſa* appellare debebat, *Io. de la Fontaine*, *Florus*, *Galenus*, *Cornelius Gallus*, *Tib. Gracchus*, *N. Hartſœkerus*, *Hincmarus Rhemenſis*, *I. G. Heineccius*, *Fr. Hedelinus Abbas de Aubignaco*, *Phil. Hecquetus*, *Abr. Hinkelmannus*, *Luc. Holſtenius*, *Chriſt. Hoburgus*, *Io. Corvinus Huniades*, *Nic. Hunnius*, *Io. Huſſus*, *El. Hutterus*. In his, & alibi, non nulla de ſuo addidit, ut non omnia exſcripſiſſe videretur. Sæpius, aliorum ſcripta integra in compendium redegit. Nova, & varia, quæ lectores allicere poſſent, undique conquiſivit, & ex ipſis fontibus hauſit, ubi copia data fuit. Ut melius pateat doctiſſimi viri inſtitutum, quædam ex ipſius opere delibare iuvabit. Quod 2 Reg. II, 23, 24, allatum de *Eliſa* invenimus, copioſe & bene diſcutitur. Iniuriam ei a pueris illatam non contemnendam fuiſſe docetur; calvitiem enim, antiquitus, in ſummo dedecore habitam, & calvi nomine, vel mendicum, vel captivum, vel vitiis omnino depravatum, vel ſtolidum etiam & mente captum, indicatum fuiſſe; tanto gravius igitur hos peccatum feciſſe, quod Eliſa, meritis & auctoritate maxime conſpicuus & venerabilis, noviſſime Hierichuntem dulci aqua bearit. Nec pœnam pueris inflictam Eliſæ eſſe tribuendam, ſcribit A. ſed Deo; pueros item illos, non fuiſſe infantes, quod ex ipſorum actionibus aliquo mo-

do

do pateat, & puerorum vox 1 Sam. XX, 25, 1 Reg. III, 7. de adultioribus usurpetur. Bethele sine dubio venisse, ubi sedes idololatriae erat; & incolas huius urbis magis, quam alios, ob crimen laesae divinae maiestatis, morte dignos fuisse: tali punitione munus etiam prophetae mirum in modum stabiliri, discipulos prophetarum Bethele degentes erigi, & Israelitas in cultu veri Dei confirmari, potuisse. *Eliam*, a Baelii conviciis vindicat Noster, & eius, Henochique, in coelos ascensum, novis argumentis fulcit, praecipue contra quendam anonymum, qui iam in Bibliothecae Francicae Tomis XXVII - XXX. confutatus fuerat. Sub *Achiore*, Iudithae historiam defendere audet, & ultimum eius versiculum, in textu Chaldaico interpolatum, ab Hieronymo autem, quod nimio Iudithae amore captus fuerit, retentum fuisse, arbitratur. Sub *Michaele de Amato*, de loco inferni disputat, ubi tamen Auctorem Anglum, qui in sole infernum collocaverat, iteratis vicibus *Swinden* nominat, cum verum eius nomen sit *Swind.* Sub *Arria*, de *αὐτοχειρία* exponit; sub *Empedocle*, de urbe Agrigenti, & insigni luxu civium eiusdem; sub *Hakemo, filio Haschemi*, de metempsychosi; sub *Aristophane*, de comoediarum veterum obscoenitate, & vitiis aliis. *Iurieuum* contra obtrectatores vindicare mascule occepit. Historiam dissertationis, quam *Io. Fr. Buddeus*, de pythonissa Endorensi edidit, copiose illustrat, & plures epistolas, nondum adhuc impressas, adiicit, quae lectoribus omnino gratae sunt futurae. Vitam *Baylii* egregiis auget additionibus, & praecipue mores eius pingit.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

Ansaldi (*Casti Innocent*) *Commentarius Philologicus de baptismate in Spiritu Sancto & igni.* 299

Bartholi (*Io. Bapt.*) *Apologia pro Honorio I. Romano Pontifice.* 317

Gerdesii *Scrinium Antiquarium, sive Miscellanea Groningana Nova, ad Historiam Reformationis Ecclesiastica spectantia.* Tomi III. 408

Ghezzi (*Nic.*) *Principiorum Philosophiæ moralis cum dogmatibus Romano-Catholicæ religionis collatorum, Libri III.* 616

Gruneri (*Io. Frid.*) *Miscellanea Sacra,* Fasciculus I. 448

Hahn (*Iac. Io.*) *Ultima fata Noachi ex Genes. IX, 20-27. tradita.* 377

Heumanni (*Christoph. Aug.*) *Expositio Novi Testamenti,*
Pars III. 394
Pars IV. & V. 652

Hoffmanni (*Car. Gottlob*) *Varia Sacra.* 500

Lowth (*Roberti*) *de Sacra Poesi Ebræorum prælectiones Academicæ.* 644

Mamachii (*Fr. Tho. Mariæ*) *Originum & Antiquitatum Christianarum,* Tomus III. 187

Manni (*Dominici Mariæ*) *Annorum Sanctorum historia ab eorum exordio ad A. 1750. deducta.* 685

Menckenii (*Frid. Ott.*) *Miscellanea Lipsiensia Nova.* Vol. IX.
Pars I. & II. 40
Pars III. 710
Muller (*Christ.*) *Satura observationum philologicarum, maximam partem sacrarum.* 249
Novum Testamentum Græcum. *Opera & studio* Io. Iac. Wetstenii. Tomus II. 529
Sacrorum Evangeliorum Versio Gothica. *Editio nova* Eduardi Lye. 577
Sponselii (*Io. Udalr.*) *Parerga Theologico-Exegetica.* 558
Tralles (*Balth. Ludov.*) *Cogitatorum suorum de S. Eucharistia, sinceræ fidei Evangelicæ puritati omnino congruentium, dilucidatio apologetica.* 344
Verneii (*Aloys. Anton.*) *Apparatus ad Philosophiam & Theologiam, Libri VI.* 555

II. *Libri Iuridici.*

Anonymi *Imperii Germanici Ius ac Possessio in Genua Ligustica eiusque ditionibus.* 479
Eden (*Roberti*) *Iurisprudentia Philologica.* 444
Heineccii (*Io. Gottl.*) *Historia Iuris Romani ac Germanici.* *Editio nova studio* Io. Dan. Ritteri. 562
Maiansii (*Gregor.*) *Disputationes Iuris, in quibus multa Iuris Civilis aliorumque Scriptorum veterum loca explicantur & illustrantur.* Tomus I. & II. 218
Meermanni (*Ger.*) *Novus Thesaurus Iuris Civilis & Canonici.*
Tomus V. 49
Tomus VI. 337
Rückeri (*Io. Conr.*) *Interpretationum, quibus obscuriora quædam Iuris Civilis capita illustrantur, Liber secundus.* 109

III. *Libri Medici & Physici.*

Academiæ *Regiæ Scientiarum & elegantiorum litterarum Berolinensis Historia.* *Annus 1751.* 176

Aca-

Academiæ *Imperialis Petropolitanæ Commentarii*, Tomus XII. 64

Programma de inquirenda vera electricitatis causa. 95

Anonymi *Disquisitiones criticæ & historicæ de origine, vario statu, & progressu Chirurgiæ in Gallia.* 597

Anonymus *de Potentia vel Impotentia ad generandum ob virulentam Gonorrhaam.* 32

Bertrand (*E.*) *Tentamen de usu montium, cum epistola de Nilo.* 614

Bianchini (*Io. Fortunati*) *Tentamen Experimentorum circa Medicinam Electricam.* 692

Brogiani (*Dominici*) *Tractatus de veneno animantium naturali & acquisito.* 271

Burserii (*Io. Bapt.*) *de anthelmintica argenti vivi facultate Epistola.* 326

Dalham (*Floriani*) *Institutiones Physicæ.* Tomus I. & II. 349

Hierne (*Urbani*) *Tentamina Chemica in Regio Laboratorio Holmiensi peracta, cum annotationibus* Io. Gottschalck Wallerii. Tomus I & II. 399

Hundertmarck (*Car. Frid.*) *de Mercurii vivi & cum salibus varie mixti, summa in corpus humanum vi atque efficacitate.* 696

Klein (*Iac. Theod.*) *Quadrupedum dispositio brevisque historia naturalis.* 33

Tentamen methodi Ostracologicæ, sive de cochlidibus & conchis. 182

Ludwig (*Christ. Gottlieb*) *Institutiones Pathologiæ.* 470

Institutiones Therapiæ generalis. 593

Maclaurin *de figura, qua bases favorum suorum construere solent apes.* 451

Museum Tessinianum, opera Illustriss. Comitis Dom. Car. Gust. Tessin *collectum.* 1

Pasta (*Andreæ*) *Dissertatio Medico-Chirurgica de fluxu sanguinis ex utero gravidarum.* 274

Paulucci *Novae Observationes de lithotomia; item de separatione penis & amputatione mammarum.* 466

Plazii (*Ant. Guil.*) *de iucundis morborum caussis Dissertationes septem.* 89

ab *S.* Severo (*Principis*) *Novum Phaenomenon lucis perpetuae.* 82

de eodem argumento plura. 139

Stieff (*Io. Ernesti*) *Descriptio Bolidis Vratislaviae d. 9. Febr. 1750. observata.* 507

van Swieten (*Ger. L. B.*) *Commentaria in H.* Boerhaave *Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis.* Tomus III. 112

Continuatio epitomes huius libri. 145

Eiusdem libri epitome continuata. 193

IV. *Libri Mathematici.*

Academiae *Regiae Berolinensis Historia. Annus 1751.* 176

Imperialis Petropolitanae Commentarii. Tomus XII. 64

Anonymi *Problema, ad cuius solutionem Geometrae invitantur.* 40

Theorema, ad cuius demonstrationem Geometrae invitantur. ibid.

a Briga (*Melch.*) *Scientia Eclipsium ex Imperio & Commercio Sinarum illustrata.* 698

Dalham (*Floriani*) *institutiones physicae, quibus praemittuntur Institutiones Mathematicae.* Tomus I & II. 349

Euleri (*Leonh.*) *Scientia Navalis.* Pars prior. 584

Le Febure *Novus de arte, aquas ducendi, Tractatus.* 37

Galfii (*Ioach.*) *Litterae, continentes quasdam observationes in articulos tres operis* Colini Maclaurinii *de Calculo Fluxionum.* 141

Kaestneri (*A. G.*) *additio ad theorematis* Coteliani, *cuius demon-*

monstrationem in Actis hisce Mense Ianuario 1749. exhibuit, Corollarium I. 416
Pagnini (*Io.*) *Tractatus de Sphaera, & Introductio ad Navigationem.* 465
Struyk (*Nicol.*) *Cometarum descriptio continuata.* 513
Weidleri (*Io. Frid.*) *Institutiones Astronomiae.* 658

V. *Libri Historici, Geographici &c.*

Academiae *Regiae Berolinensis Historia. Annus 1751.* 176
Amesii (*Ioseph.*) *Antiquitates Typographicae, seu Historia Typographiae Anglicae & antiquorum Angliae Typographorum.* 524
Anonymi *Elogium* Christ. Frid. Boerneri, *Theologi Lipsiensis.* 237
Dissertatio de Oriuna, quae uxor Carausii, Imperatoris Britanniae, fuisse dicitur, numis illustrata. 516
Historia Catilinae ex Plutarcho, Cicerone, aliis, desumta. 705
de duobus Imperatorum Russiae numis Dissertatio. 707
Besozzi (*Raimundi*) *Historia Basilicae S. Crucis in Ierusalem, templi Romae.* 618
a Bielefeld *Progressus Germanorum in disciplinis, litteris elegantioribus, & ingenuis artibus, praecipue in Poesi & Eloquentia.* 369
Calles (*Sigism.*) *Series Misnensium Episcoporum.* 307
Annales Austriae ab ultima aetatis memoria ad Habsburgicae gentis principes deducti. Partes II. 433
de Chaufepié (*Iac. Georg.*) *Novum Lexicon Historico-Criticum,* Volumen I. & II. 717
Foscareni (*Marci*) *de Eruditione Veneta, Libri VIII.* Volumen I. 209
Hartzheim (*Iosephi*) *Bibliotheca Coloniensis.* 703
ab Hontheim (*Io. Nicol.*) *Historia Trevirensis Diplomatica & Pragmatica.* Tomi III. 489

Heumanni (*Io.*) *Commentarii de Re Diplomatica Imperatorum ac Regum Germanorum, inde a Ludovici Germanici temporibus adornati.* Tomus II. 25
Ianozky (*Io. Dan.*) *Polonia litterata nostri temporis.* 328
Kollowrath (*Ioach. S. R. I. Krakowsky Comitis*) *continuatio Chronici Bohemici olim conscripti a* Cosma. 665
Morant (*Phil.*) *Historia & Antiquitates antiquissimæ urbis Colecestriæ in Comitatu Essexiensi.* 168
Paciaudi (*Pauli Mariæ*) *de Rebus* Sebastiani Pauli, *Congregationis Matris Dei, Commentarius epistolaris.* 521
Pancratii (*Iosephi Mariæ*) *Antiquitates Siculæ, una cum descriptione huius Regni generali.* 97
Peutingeriana *Tabula Itineraria, accurate expressa & edita a* Francisco Christoph. de Scheyb. 289
Poli (*Reginaldi*) *Epistolarum & aliorum ad ipsum,* Pars IV. 278
Polybii *Historia, addito Systemate Scientiæ militaris, auctore Equite* Folardo. Volumina VII. 233
Rudawsky (*Laur. Io.*) *Particula Historiæ Polonicæ a* Laur. Mizlero *edenda.* 572*
Scheidii (*Christ. Ludov.*) *Origines Guelficæ.* Tomus III. 625
Schœpflini (*Io. Dan.*) *Vindiciæ Celticæ.* 544
Taciti (*C. Corn.*) *Opera ex recensione* Io. Aug. Ernesti. 260
Vitæ antiquorum Oratorum Græcorum. Tomus I. & II. 353
Ziegelbauer (*Magnoaldi*) *Centifolium Camaldulensium.* 639

VI. *Libri Philosophici & Miscellanei.*

Academiæ *Regiæ Berolinensis Historia. Annus 1751.* 176
Imperialis Petropolitanæ Commentarii. Tomus XII. 64
Aldenbruck (*Augustini*) *de Religione antiquorum Ubiorum, Dissertatio.* 620
Anonymi *Vindiciæ pro P.* Eduardo Corsino *adversus P.* Franc. Hoffmannum. 92

Ari-

Ariſtophanis *Nubes, cum Scholiis antiquis e recenſione* Lud. Kuſteri; *cum præfatione* Io. Aug. Erneſti. 104
Ariſtotelis *de Virtutibus & Vitiis;* Plethonis *de Virtutibus Libelli. Recenſuit* Eduardus Fawconer. 101
Bandinii (*Ang. Mariæ*) *de Obeliſco Cæſaris Auguſti e Campi Martii ruderibus nuper eruto, Commentarius.* 456
Barford (*Guilielmi*) *Diſſertatio in Pindari primum Pythium.* 301
Caſtellotii (*Gabrielis Lancilloti Principis Torremuzzani.*) *Diſſertatio ſuper ſtatua marmorea, reperta in ruinis veteris Aleſæ, urbis Siculæ.* 427
Caylus (*Comitis*) *Collectio veterum ſignorum tabularumque Aegyptiarum, Etruſcarum, Græcarum & Romanarum.* 5
Ceſaris (*Franciſci Mariæ*) *Thereſia: Carmen.* 660
de Chauſepié (*Iac. Georg.*) *Novum Lexicon Hiſtorico-Criticum.* Volumen I & II. 717
Ciantar (*Comitis Io. Anton.*) *de antiqua Inſcriptione, nuper effoſſa in Melitæ urbe, notabili.* 519
Clarke (*Car.*) *Coniecturæ quædam, antiquum numum ſpectantes, qui Elthami in Cantio fuit repertus.* 517
Collectio Scriptorum varii generis, Genevæ adornanda. 142
Dionyſii Halicarnaſſenſis *de ſtructura orationis liber ex recenſione* Iac. Uptoni, *cum notis* Frid. Sylburgii & Simonis Bircovii *Exemplis Latinis.* 57
Diptychorum Antiquorum Theſaurus, cura Ant. Franc. Gorii, *Florentiæ prodituros.* 382
Epiſtolæ iuvenis cuiusdam pictoris peregrinantis, ad amicos in Anglia. Partes II. 171
Ghezzi (*Nic.*) *Principiorum Philoſophiæ moralis Libri III.* 616
Hederici (*Beni.*) *Lexicon manuale Græcum, denuo editum, cura* Io. Aug. Erneſti. 573
Heuſingeri (*Io. Mich.*) *Emendationum Libri duo. Edidit* Frid. Heuſinger, *I. M. F.* 504
Hollmanni (*Sam. Chriſt.*) *Iurisprudentiæ naturalis primæ lineæ.* 419

Mareti, *f.* Mariette *de Gemmis sive lapillis scalptis Commentarius.* Pars I. Tomis duobus. 385

Menckenii (*Frid. Ott.*) *Miscellanea Lipsiensia Nova* Vol. IX.
Pars I. & II. 40
Pars III. 710

Muselli (*Iac.*) *Numismata antiqua collecta & edita.* Volumina III. 241

Novi Commentarii de Arte Diplomatica, editi a duobus Monachis Ord. Benedictini Congregationis S. Mauri. Tomus I. 673

Paciaudi (*Pauli Mariæ*) *Diatribe, qua Græci Anaglyphi interpretatio traditur.* 475

Polybii *Historia, addito Systemate Scientiæ militaris, auctore* Equite Folardo. Volumina VII. 233

Plutarchi *de Placitis Philosophorum, Libri V. Latine reddidit, annotationibus, variis lectionibus, dissertationibus illustravit* Eduardus Corsinus. 225

Rothe (*Tychonis*) *de Gladiis Veterum, inprimis Danorum, Schediasma.* 366

Verneii (*Aloysii Antonii*) *de Re Logica, Libri V.* 549
de Re Metaphysica. ibid.
Apparatus ad Philosophiam & Theologiam Libri VI. 555

Volufeni (*Florentii*) *Dialogus de animi tranquillitate.* 713

Zeibichii (*Gottl. Erdmanni*) *Athleta παράδοξος. Edidit* Carolus Henricus Zeibichius. 669

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Academiæ *Parisiensis auctores & primi Medici.* 598

Aegypti *vox unde derivanda?* 249

Aequilibrii *generale principium, metaphysice demonstratum.* 179

de Aequilibrio *corporum aqua innatantium.* 585 seq.

Aeris *usus apud veteres ferro prebabitus.* 21

Agrigenti *descriptio.* 100. 101

Aloisiæ *Sigea auctor quis?* 47

Anaglyphi *Graci interpretatio.* 475 seqq.

Anatomicæ *observationes rariores.* 80 seq

de Animi *tranquillitate* 715 seq.

Annorum *Sanctorum historia enarrata.* 685 seq.

Anthologia *Græca a* Reiskio *edita & illustrata* 43. 47 712

In Antibarbaris *latini sermonis observationibus condendis quid requiratur?* 305

Antibarbararum *observationum specimina.* 307

Vox Anticus *in elogiis Iustiniani, explicata* 447

de Antiquaria *eruditione numquam sat bene dici vulgari sermone, sed solo Latino, potest.* 386. 387

Apes *quomodo bases favorum suorum construant.* 451 seq.

Aphtæ *quid & quomodo depellenda?* 133 seq.

de Apocalypseos *Iohannea interpretandæ ratione.* 543 seq.

de Apoplexia *quæ notanda veniunt, curate exposita.* 145 seq. 155

Aqua *vulgaris chymico examini subiecta.* 177 seq.

Aquas *librandi artis summa capita.* 37 seq.

de Archivis *variis varia.* 677 679

de Archontibus *nonnulla.* 428

Argenti *vivi anthelmintica facultas in dubium vocata.* 326 seq.

Ariſtophanis *Nubes illuſtratæ.* 108. 109
Armeniæ *rex ab Imperatoris Romani legato coronatus.* 632
ſub Aſcia *dedicare, quid?* 20
Aſtronomiæ *ſumma capita propoſita.* 658 ſeq.
de Athletis *veterum Scriptores.* 669
paradoxis commentarius. ibid. ſeq.
de Attaliatæ *(Mich.) libro* 571
Auſtriæ *nomen, fines antiqui & hiſtoria, ad Rudolphi I. Imp. ætatem deducta.* 434 ſeq.

B.

Bandurius *notatus.* 242
de Baptiſmate *in Spiritu Sancto & igni.* 299 ſeq.
Barbitonſorum *Pariſienſium conditio.* 604 ſeq.
Baſilicæ *S. Crucis in Ieruſalem, templi Romæ, hiſtoria.* 618 ſqq.
Baſilicorum *Libri IV. nunc primum integre editi & illuſtrati a* Reitzio. 49 ſqq. *quantum ad interpretationem Iuris Iuſtinianei conferant.* 52
Bayliani *Lexici continuatio per* Chaufepiéum. 717
de S. Bennone *quædam.* 309 310
Betheſdæ *piſcinæ natura.* 397 ſeq.
Bœrneri *C. F. vita & laudes.* 237 ſqq.
Bohemicæ *hiſtoriæ fragmenta.* 667 ſqq.
Bolidis *deſcriptio & explicatio.* 507 ſqq.
Bourgueti *Epiſtola edita.* 48 712
Brunſvico-*Luneburgicæ & Regiæ Danicæ domus matrimonia mutua illuſtrata.* 632

C.

Cachexia *deſcripta.* 205
Camaldulenſis *ordinis res literariæ.* 640
Camaldulenſium *Scriptorum centuria.* 641 ſqq.
Cananæorum *ortus impurus.* 379 ſqq.
De Canibus *rabidis obſervationes.* 273. 274
Carolomanni *diplomata illuſtrata.* 28 ſeq.
Carus *quid?* 155 ſqq.
Catalepſis *deſcripta.* 152 ſqq.
Catilinæ *hiſtoria recens ſcripta.* 705 ſeq.
Comitis Caylus *in litteras elegantiores merita.* 5. 386
Celtæ *quinam, &* Celtica *ubi?* 144 ſqq.

de

de Celtis & Celtica *loca veterum nonnulla illustrata.* 547 seq.
de Chemica *solutione & præcipitatione.* 406. 407
de Chemicis *principiis.* 402 seq.
Chirurgiæ & Chirurgorum *in Gallia fata.* 597 sqq.
Chorerius (*Nic.*) *auctor Aloisiæ Sigeæ.* 47 seq.
de Christi *imaginibus & monogrammate.* 189
Christianorum *veterum religiosa pietas.* 187 sqq.
Chronicorum *Scriptores Veneti.* 214
Circulorum *exercitandorum duo genera.* 19
Cluverius *defensus.* 546
Cochlidum *tabula synoptica.* 183
de Codicibus *nonnullis N. Test. Græci MSStis* 530 seq.
Potus Caffée *abusus noxius.* 90
Colecestriæ *urbis nomen, historia, res sacræ & politicæ* 168 sqq.
Collyriariæ *pyxidis antiquæ descriptio.* 20
Coloniensium *Scriptorum Bibliotheca instructa.* 702 sqq.
Coloniensium *Scriptorum celebriores.* 704
de Coloribus *veterum & nostris.* 17. 18
Coma *quid?* 155
Comitialis *morbus unde dictus?* 162
de Condictione, *causa data, causa non secuta.* 339
Corpus *Christi naturale num in S. Cœna vere adsit?* 347 seq.
de Corporum, *plano inclinato impositorum, descensu.* 77 seq.
stabilitate. 587
Corsinus (*Eduard.*) *defensus.* 92 seq.
notatus. 228 sqq.
eius in Plutarchum merita. 226 seq.
Corvus, *machina bellica.* 234
Cosmæ *chronicon continuatum.* 665 seq.
ad Cotesianum *theorema, de obiecti, mediantibus quotcunque lentibus aut speculis, visi, distantia apparente, additamentum.* 416 sqq.
Cruces *Christianorum in quinque classes distributæ.* 42
Cunei *monetarii veteris massa & usus.* 22 seq.
Cyaxares *e regum Mediæ albo expunctus.* 47

D.

De *phrasi:* Deus & *Pater Iesu Christi.* 502 seq.

Diluvii *Noachici veritatem num fossilia & petrefacta loquantur?* 44
Dionis *Chrysostomi vita.* 361
nomen ipsius versibus illustratum 365. 366
Dionysii *Halicarnassensis locus illustratus.* 59
de Diplomatica *arte novi commentarii.* 674 seq.
Diplomatum *auctoritas & fides.* 675. 676. 678
Diplomata *quibus rebus inscripta?* 682 seq.
chartacea ante Seculum XIII. non exstant. 683
Imperr. & Regg Germanor. a Ludov. Germanici temporibus, illustrata. 25 sqq.
Diptychorum *antiquorum thesaurus, cura* Gorii, *edendus.* 382 sqq.

E.

Eclipsium *scientia, inprimisque periodica revolutio, explicata.* 698 sqq
de Electrica *Medicina.* 692 sqq.
de Elementis *quatuor rerum omnium.* 400 sqq
Elisæ *historia illustrata.* 719
Empyema *quid?* 206 sqq.
Epilepsia *descripta.* 162 sqq.
ex Epitaphiis *utrum de voluntate defuncti argumentum duci possit?* 338
de S. Eucharistia *cogitationes paradoxa.* 344 sqq.
Eusebii *locus ab emendatione defensus.* 230

F.

Fayence, *pictum testarum genus.* 19
Feudi *vox unde descendat?* 447
de Ficu, *iubente Christo, arefacta.* 250. 251
Fidei *divinæ & humanæ discrimen.* 501
Figura *rotunda omnium pulcherrima.* 227
Figuræ *planæ in aqua motæ, quam resistentiam patiantur?* 589 sqq.
Folardi *in Polybium merita.* 234 seq.
idem artem belligerandi præceptis complectitur. 237
Formarum *lignearum compages, quæ numis fusis imagines atque inscriptiones imprimebat, descripta.* 22. 23
Fossilium *species.* 615

G.

Gemma, *cui Harpocrates insculptus, ad ultimam antiquitatem pertinens.* 9

de Gemmis *antiquis observationes multiplices.* 389 sqq
qui prodierint libri? 392
Genuæ *urbis nomen & historia.* 480 sqq.
In Genuam *summum imperium Impp. Romanor. semper conspicuum.* 482 sqq.
Geographicæ *quædam observationes.* 514
Germani *unde dicantur?* 367
In Germanorum *ingenia & merita, exteri, inprimisque Galli, iniqui sunt.* 369 seq. 329
Germanorum *sermo & scribendi genus.* 371 seq.
in scientiis, litteris, atque artibus progressus. 372 sqq.
nova inventa. 374
poetæ & oratores 374 sqq.
de Gibellina *& Guelfica factione.* 626
Gladiorum *apud gentes septentrionales nomina varia.* 367
eorundem materia, forma, gestatio, prærogativa, incantationes, pretium, usus. 368. 369
Ex Glossematibus *marginum multa in textum auctorum veterum venerunt.* 262. 266
Gonorrhœa *virulenta, num potentiæ generandi sit adversa?* 32. 33
Gothica *SS. Evangeliorum versio de novo edita.* 577 sqq.
an theotisca potius dicenda? 579 seq.
an ex textu Græco profluxerit? 578 581
De Græcis *quibusdam litteris observationes.* 173. 174
Græca *quædam vocabula & phrases declaratæ.* 19. 103. 104. 229. 230. 247. 255 303. 399. 449. 536. 539 657. 670. 712
de Græcis *lexicis, Hedericiano inprimis.* 575 sqq.
de Gravidarum *hæmorrhagia uteri.* 275 sqq.
Guelficæ *gentis historia continuata.* 625 sqq.
Gulo *niger descriptus.* 37

H.

de Halesæ, *antiquæ urbis Siculæ, statua, & conditore.* 427 sqq.
Hebraica *vocabula illustrata.* 249. 259. 379. 505. 645 647. 649. 650
Hebræorum *poesis metrica est.* 644

Hebræorum *poesis quibus regulis & legibus constituatur?* 645 seq.
Henrici *Leonis, Ducis Sax. ac liberorum, vita & res gesta.* 625 sqq
Hepatitis *quid? eius signa, sanatio, cet.* 120 sqq
Hephæstionis *versus illustrati, & emendati.* 59
Ex Herculani *ruderibus picturæ & alia, observationibus additis.* 12. 173. 175
Hermeraclæ *quid?* 11
Heusingeri (*I. M.*) *in Lactantium & Scriptores veteres, merita.* 304 sqq.
Historiæ *Venetæ Scriptores.* 215 sqq.
ad Historiam *Reformationis Ecclesiasticam, aliaque ad Sec XVI. pertinentia scripta recensita.* 409 sqq
de Histrionibus *antiquis quædam.* 16. 17
Hollmanni (*S. C.*) *in Iurisprudentiam naturalem merita.* 419 sqq
Honorii I. *Pont. Rom. a Monothelismi suspicione, tentata liberatio.* 317 sqq.
ab Hontheim *laudatus.* 490 499
de Humani *generis statu observationes.* 514 seq.

I.

de Ideis *quædam.* 551.
Ileus *quid? unde nascatur? cet.* 128 seq.
— *quando colon invadit, colica passio dicitur.* 129
de Imaginis *puncti radiantis in speculum curvilineum loco.* 74 sqq.
Imagines *rerum sacrarum apud Christianos veteres.* 188 sqq.
Imperii *Germanici ius ac possessio in Genua Ligustica eiusque ditionibus, asserta.* 479 sqq. 488 seq.
Inscriptiones *latinæ primum editæ.* 478. 519
Intestinorum *inflammatio descripta.* 127 sqq.
S. Ioannis *Evangelium, ad Ephesios perscriptum.* 394 seq.
Ioannis VI. *de Salhausen Episc. Misn. historia.* 315
— *de Schleiniz, Episc. Misn. facta nobiliora.* 315. 316.
— *IX. Episc. Misn. fata.* 316
Iosephus, *scriptor Iudæus, iniuria a Bocharto notatus.* 253
— *quare cædem infantum Bethlehemiticorum tacuerit?* 501. 502

ad

ad Isocratem *spectantia.* 354
eius orationum versiones Italicæ. 355
eloquentia defensa. 356 seq.
eius scriptorum chronotaxis, in tabula repræsentata. 357 sqq.
Itinerariæ *pictoris cuiusdam epistola commendata.* 171 sqq.
Iudaicorum *Scriptorum excerpta ad illustrandum N. Testam. perutilia.* 562 seq.
Iulia & *Papia, leges, explicatæ.* 54. 55
Iuris *Civilis obscuriora quædam capita illustrata.* 110 sqq.
Iuris *Civilis & Canonici Interpretes rariores collecti.* 49 sqq. 337 sqq.
de Iuris *Naturæ Scriptoribus.* 419. 422
præcipuis quibusdam capitibus. 422 sqq.
existentia quomodo demonstranda? 423 424
ad Iuris *Romani historiam pertinentia.* 562 sqq.
Iurisprudentiæ *apud Venetos historia.* 210 sqq.
Ius *Civile a Gregorio Maianſio passim illustratum & explicatum.* 218 sqq.
Ius *Romanum ab humaniorum litterarum amatoribus tractandum.* 445
Iustiniani (*Pauli*) *notitia.* 643

L.

de Landsknechtiorum *origine.* 711
Lapidum *divisio.* 2
Latinæ *linguæ paupertas in re militari.* 235
de Latinis *quibusdam vocibus observationes.* 247. 248
Leges *quædam Iuris Romani illustratæ.* 564 sqq.
Legum *Iuliæ & Papiæ commentatores, sub censuram vocati.* 53 seq.
de Legibus *positivis universalibus.* 424
Lethargus *quid?* 155
Leucophlegmatia *descripta.* 205 seq.
Lexicon *novum historico-criticum.* 717 sqq.
Libri *sub initia inventæ typographiæ ab Anglis excusi.* 525 sqq.
Linearum *curvarum, quarum evolutæ cuiusvis gradus ipsis sunt similes, investigatio.* 64 seq.
de Lithotomia *novæ observationes.* 466 sqq.
eius suscipiendæ variæ rationes. 468 seq.

Lit-

Litterarum & *chartarum, quas Diplomatica habet, varia genera.* 679 sqq.

Logicæ *summa capita.* 549 sqq.

Luciani *locus explicatus.* 108

Lucis *perpetua novum phænomenon.* 82 sqq. 139 sqq.

Ludi: *jeu de rencontre: probabilitas computata.* 179

Ludovici *Germanici diplomata illustrata.* 25 seq.

strenua administratio iurium circa sacra. 26

Ludovici *Iunioris diplomata declarata.* 30 seq.

Lutherus, *num Concordiæ dic obierit?* 42

M.

de Macedone, *qui nomen SCTo dedit.* 447 a. 448 a

Maclaurinus (*Colinus*) *plagii accusatus.* 141

de Magis *ad Iesum recens natum venientibus.* 505

de Mania & *rabie canina,* 197 sqq.

Marchionum *Austriæ dignitas & historia.* 437 sqq.

Martyrum *Christianorum cruciatus sigillatim enarrati.* 191

de Medicorum *resurrectione negata.* 502

& *Chirurgorum Parisiensium contentionibus.* 603 sqq.

Meermanni (*Ger.*) *in colligendis Iuris Civilis & Canonici interpretationibus diligentia ac dexteritas.* 49 sqq. 337 sqq.

Melancholiæ *rationes explicata.* 193 sqq.

Melchisedek *cur ἀπάτωϱ καὶ ἀμήτωϱ dictus?* 448 a.

de Melitensium *rebus quædam.* 520

Mercurii *vivi natura atque effectus.* 696 sqq.

Merianus *notatus.* 180

de Metaphysica *recentiorum, iudicium.* 554

Meteorologicæ *observationes.* 509 seq.

Mineratum *discrimen & ordo.* 2

de Misnia *urbe quadam.* 308

Misnensium *Episcoporum series restituta & enarrata.* 309 seq.

Monadologia *a physica seiungenda.* 352

Monothelismi *historia.* 318 sqq.

de Montium *usu.* 614 sqq.

de Monumentis *antiquis observationes.* 6. 8.

de Moralitate *externa & interna.* 419. 420

Morbus *quid? eius diversa origines, causa, signa.* 471 sqq.

de Morborum *causis iucundis.* 89 sqq.
Motus *progressivus corporum aquae innatantium.* 591 seq.
de Multa *pecoris, quadam* 565 seq
Mundi *pulchritudo ex rotunda eius figura demonstrata a Stoicis.* [illegible]
Munditiei *affectatae incommoda.* 91
Mundities *intempestiva, causa morborum.* 91
Muri *vox in castris quid significet?* 235
Musaei (*aut* Musivi) *operis, floribus picti, fragmentum* 24
Musicae *res vetustissimae illustrata.* 46

N.

Navalis *scientiae theoria plenior.* 584 sqq
ad Navigationem *introductio laudata.* 465 sqq.
Nautili *species.* 18[illegible]
Nephritidis *descriptio, indicia, sanatio.* 135 sqq.
Nilus *unde nomen duxerit?* 250
Nomen Nisroch *illustratum.* 252. 253.
In Noachi *historiam observationes.* 377 sqq.
de Numaria *re Romanorum, sequioris aetatis, observationes.* 23. 24
veterum eiusque studio. 241. 242
de Numariae *rei scriptoribus.* 248. 249
In Numis *delineandis quid cavendum?* 245
Numismata *rariora.* 246. 516 sqq.
de Nuptiis *nonnulla.* 448 a.

O.

Obeliscus *Campi Martii descriptus.* 456 sqq.
Obeliscorum *usus.* 462. 463
de Ontologia *iudicium elegans.* 554 seq.
Oratorum *veterum Graecorum vitas persequendi institutum.* 353 sqq.
de Oriuna *observationes ex numis.* 516 sqq.
Oscillationum *compositarum ratio.* 177
Ostracologiae *scriptores diiudicati.* 183

P.

Paciaudi *notatus.* 477
Paludamentum *num togae inductum.* 248
Paralysis *descripta.* 158 sqq.
Paraphrenitidis *explicatio.* 120 sqq.
Parapoplexia *quid?* 155
Pathologiae *summa capita.* 470 sqq.

Pauli (*Sebast.*) *vita.* 521 sqq

de S. Pauli *itinere Hierosolymitano.* 448 b. seq

de Paulinæ *ad Timoth. Epist. I. tempore & loco scriptionis.* 450

In Paulinæ *ad Romanos Epist. Cap. I. & II. observationes.* 450. 451

Ephesios epist. notæ. 534 seq.

de Pedantismo *quædam.* 371. 372. 552.

Personarum *origo.* 11

Petrificata *quadruplici modo oriuntur.* 4

Peutingerianæ *tabulæ ætas.* 292 seq.

historia. 289. 297 sqq

nova editio descripta. 290 seq.

Philosophiæ *moralis historia.* 421 seq.

cum dogmatibus Rom. Cathol. religionis, collatio. 616 sqq.

de Physica *Mosaica.* 351

Physicorum *inventorum, recentioribus tributorum, apud Plutarchum vestigia.* 231 seq.

Pictura *linearis quænam præstet?* 242

In Pindari *primum Pythium observationes.* 302

de Plethone *seu Gemisto nonnulla.* 102

Pleuritidis *origo, indicia, forma, species, remedia.* 113 sqq.

de Plinianis *epistolis quædam.* 306. 307

Plinii *locus restitutus.* 460. 570 sq.

In Plutarcho *tentata emendatio reiecta.* 227 seq.

Pnevmonanthe, *novum plantæ genus.* 178

Poeseos *Ebræorum sacræ natura & genera.* 644 sqq.

Poeta *epicus an lyricus præstantior?* 302

Poli (*Reginaldi*) *epistolæ a Quirino editæ.* 278 sqq.

res, præsertim Anglicas, spectantia. 279 sqq. 285 seq.

argumenta pacem suadentia ad Carolum V. 288

de Polonia *litterata nostri temporis liber.* 328 sqq.

Poloni *oratores & Poetæ recentiores enarrati.* ibid. sqq.

Poloniæ *historiæ particula, auctore Rudawskyo, edenda.* 572 seq.

Polygynia *num iuri naturæ adversetur?* 426

Polyphemus, *duobus oculis, altero clauso, altero aperto.* 98

de Prætorum *Romanorum edictis quædam.* 569 sqq.

Problema, *Geometris, ut solvatur, propositum.* 40

de

de Prophetica *poesi Ebræorum.* 647 sq.
Protestantium *religio ornamenta eloquentiæ omnino admittit.* 376
Prussici *militis descriptio poetica.* 661 sqq.
Puerperii *365 liberorum ingeniosa explicatio.* 515

Q.

Quadrupedia *novo ordine in classes tributa, & illustrata.* 34 sqq.
Quintiliani *locus emendatus.* 59
Card. Quirini *in Reg. Poli epistolas merita.* 278 sqq.
— sententia de Protestantium doctoribus expensa. 278. 279
— quæ Luthero & Protestantibus opponit, removentur. 280 sqq.

R.

Vox Rhab *num Aegyptum notet?* 254 seq
Raffiæ *Imperatorum numi duo illustrati.* 707 sqq.
Ratio *hominum quando silere debeat?* 560 seq
de Rhinocerotibus *bicornibus.* 36
de Rhinocorurensi *rivo & oppido.* 256. 257
de Eman. Soarez a Ribeira, *iudicium.* 550
Ritteri (*I. D.*) *in* Heineccii *Historiam Iur. Rom. & Germ. merita.* 562 seq.
Romani *Græcos in artibus non æquarunt, & cur?* 13
Romanorum *origo Græca.* 151
— pecuniæ incredibilis vis. 243
Rudawskii (*Laur. Io.*) *particula Historiæ Polonicæ edenda.* 572 seq.
de A. Rudigero *iudicium.* 550

S.

Sacerdotes כמרים *unde dicti?* 258
Salium *divisio & natura.* 402 sqq.
Sallustius *num historici perfecti laude dignus?* 706
Sanguis *Christi num putredini obnoxius?* 346 seq.
de Sanguine *humano experimenta nova.* 176
Sanguinis *fluxus apud gravidas unde proveniat? &c.* 275 seq.
Sapphonis *ode passim emendata.* 60. sqq.
Sarpii (*Pauli*) *vitam quis scripserit?* 216
— historia Conciliorum omnium, adhuc inedita. 217
de Scheyb (*Fr. Christoph.*) *in novam Tabulæ Peutingerianæ editionem merita.* 289 sqq.

 Schœpfli-

Schœpflinus (*Io. Dan.*) *laudatus.* 544 seq.
Scholia *in Auctore veteri non unum habent auctorem.* 106
farrago sunt ex male sæpius confusis & ineptis constans. ibid.
quomodo cum fructu tractanda. 106 sqq.
Scorbuti *rationes explicantur.* 202 sqq.
Scripturæ S. *loca explicata & illustrata.*
Gen. III, 15 sqq. 559 seq.
IX, 20 - 27. 377 sqq.
XXV, 18. 251
XLIII, 34. 379
XLIX, 9. 45
Exod. I, 11. 259
XV, 22. 251 seq.
XXXVII, 16. 259
Levit. XVIII, 8. 9. 379
Num. IV, 7. 259
XXI, 14. 15. 645
XXIII, 8. 252
XXXI, 23. 299
XXXIV, 5. 257
Deut. XXXII, 8. 15. 257
XXXIII, 5. 6. ibid.
Ios. XIII, 3. 252
XIX, 26. ibid
Iudic. XIV, 5. 259
Ruth. III, 7. 379
1 Sam. XV, 7. 25
17. 252
22. 651
1 Sam. XXI, 12 - 16. 41
XXVII, 8. 251
2 Sam. VI, 5. 46
20. 379
VIII, 3. 259
2 Reg. II, 23. 24. 719
III, 16 - 20. 258
XIX, 37. 252
XXIII, 5. 258
1 Chron. XIII, 5. 252
Iob. VI, 15 - 20. 646
XL, 17. 46
Psalm. XXII, 1. 46
30. 258
XXXIII, 3. 650
LVI, 1. 46
LXVIII, 30. 646
LXIX tot. 710
LXXII, 10. 505
LXXXIV, 7. 258
LXXXVII, 4. 254
LXXXIX, 11. ibid.
CXVI. 41
Prov. XXVIII, 25. 258
XXX, 1. 649
Cant. II, 13. 259
Iesaiæ. IX, 2. 42
XI, 1. 506
2. 259
XIX, 19. 20. 253
21. 254
23. 254
XXIII, 3. 252
XXVI, 14. 502
XXVII, 12. 256
XXVIII, 28. 650
XXX, 6, 7. 254

Iſaiæ XXXVII, 38. 252
XXXVIII, 13. 45
XLII, 3. 250
XLIV, 2. 257
XLIX, 6. 42
17. 651
LI, 9. 254
LVIII, 11. 398
LXII, 5. 650
LXIII, 1. 3. 646
Ierem. II, 18. 252
XLIV, 1. 259
Ezech. XVI. 381. 382
XIX, 3. 259
XXIX, 14. ibid.
XXXIV, 26. 258
Dan. III, 5. 7. 46
VIII, 9. 259
XI, 16. 41. ibid.
Hoſ. X, 5. 258
Ioel III, 1. 398
Habac. I, 4. 250
Zeph. I, 4. 258
Zachar. IX, 12. ibid.
Malach. III, 10. ibid.
IV, 2. ibid.
Matth. XII, 20. 250
XIX, 28. 255
XXIV, 29. 256
30. 255
XXV, 31. ibid.
XXVII, 52. 579
Marc. XI, 13. 250
XIII, 25. 256
Luc. II, 1. ſeq. 292
15. 578
Luc. II, 29. 505
VII, 49. 518
XIII, 4. 5. 251
XVI, 19 ſqq. 560
22. 505
Io. I, 9. 13. 395
II, 4. 396
III, 2. ibid.
3. 251
4. 396
5. 251
26. 396
IV, 35. 43. 44. 397
V, 1 ſqq. ibid.
35. 41
VII, 27. 38. 398
37. 38. 300
VIII, 12. 41
28. 399
56. 711
IX, 7. 10. 399
X, 11 ſqq. ibid.
XI, 33. ibid.
XIV, 18. 28. ibid.
XIX, 3. 251. 395
13. 251
35. 394
XX. ult. ibid.
Act. I, 2. 652
4. 653
7. 255
13. 25. 653
II, 1 ſqq. 654
9. 655
16. ſqq. 398
42. 655

Act. III, 13. 58. 655
IV, 24. 650
V, 2. 448
12. 31. 650
VI, 1. 540
9. 656
VII, 9. 657
38. 255
VIII, 1 sqq. 657
IX, 5. 15. ibid.
XI, 24. ibid.
XIII, 48. 54
XV, 24. 25. 449
XX, 28. 533
XX, 17. 450
XXVIII, 7. 520
Rom. I, 1-7. 5. 14. 17. 450. 451
II, 7. 13. 451
15. 423
V, 14. 537
16. 423
IX, 5. 537 sqq.
22. 23. 540
XI, 10. 711
XV, 22. 533
XVI, 24. ibid.
1 Corinth. X, 9. 533 seq.
2 Corinth. I, 5. 255
Galat. II, 1. 2. 448
Ephes. I, 1. 533
V, 4. 45
Philipp. II, 15. 42
30. 535 seq.
III, 10. 255
Coloss. I, 24. ibid.
IV, 16. 534
2 Thessal. I, 5. 539
1 Timoth. I, 3. 450 seq.
III, 16. 533
2 Timoth. IV, 12. 13. 20. 450
Tit. II, 4. 539
III, 4. 251
1 Ioh. IV, 14. 398
V, 7. 536
Ebr. I, 11. 539
VII, 3. 398
XI, 26. 35. 255
XII, 27. 256
Iudæ v. 9. 561
Apocal. I, 9. 255
III, 21. ibid.
Senatusconsulta *Romana, libera republica usitata, num ad immutandum aut augendum ius decemvirale pertinuerint?* 447 a
Senkenbergius *laudatus.* 480
Serpentium *in classes distributio.* 184
de Servitutibus *prædiorum rusticorum.* 447 b.
Sesostridis *ætas.* 457
Sicilia *num semper fuerit insula?* 99
quales primum incolas habuerit? ibid. seq.
de Siciliæ *rebus sub Romanis, varia.* 429 sqq.
In Simonidæ *fragmentum animadversiones.* 62. 63
Nomen Siris *illustratum.* 250
Soporosorum *affectuum ordinatio.* 155

de

de Sphæra *liber laudatus.* 465
de Sponsalibus *observationes.* 447 a. 448 a
de Statuis, *signis, & tabulis antiquis observationes.* 12
de Sulphure *Spagyricorum.* 405
van Swieten (*Ger. L. B.*) *laudatus.* 112 sqq. *Eius in H.* Bœrhaave *Aphorismos Commentaria.* ibid. 145 sqq. 193 sqq.
In Swiftium *animadversio.* 374

T.

Tabaci *sternutatorii abusus, causa morborum.* 90
Tabularum *Astronomicarum, per loca planetarum geocentrica, emendatio.* 67 sqq
Taciti *codices omnes, quos habemus, ex uno exemplari fluxerunt.* 261 *Editionum historia & censura.* 262 sqq. *Loca nonnulla illustrata & emendata.* 267 sqq
Tertulliani *locus emendatus.* 48
Comitis Tessin, *in cogendo rerum naturalium thesauro industria.* 1
In N. Testamenti *Græci Codd. nonnullos MSCtos, crisis* 536 sqq *Eius nova editio.* 529 sqq
N. Testamenti *interpretandi regula paradoxa.* 542 seq.
de Thebarum *situ.* 712 seq.
Theologi *Iuris Romani studiosi.* 445
ad Theologiam *& Philosophiam apparatus.* 555 sqq.
Theophili, *aliorumque ICtorum, ætas definita.* 51 seq.
Therapiæ *summa capita.* 593
Maria Theresia, Rom. *Imper. carmine laudata.* 660
Tralles (*Balth. Ludov.*) *notatur.* 349
Trevirensis *Historia compendifacta.* 490 sqq. *Episcopatus fundati æra, diœcesis, alia.* 491 sqq.
de Tubis *capillaribus prismaticis.* 79
Typhœus, *diversis montibus subiectus.* 302
Typographiæ *& Typographorum in M. Britannia historia.* 523 sqq.

V.

de Vbiorum *antiquorum religione.* 620 sqq.
Venenum *quid? quotuplex? quodnam celerrime agat?* 272 seq.
de Veneta *eruditione liber laudatus.* 209 sqq.
Venetarum *legum historia.* 210 sqq.

Vene-

Venetæ *ICti celebriores.* 212 sqq.
Chronicorum scriptores & historiarum. 214
historiæ scriptores. 215
de Venis *& tendinibus observationes rariores.* 80
de Ventriculi *inflammatione.* 25 sqq.
Verneii (*Aloys. Ant.*) *institutiones philosophicæ commendatæ.* 549
candor & iudicandi dexteritas. 553
Vespertilio *minus recte inter aves refertur.* 37
Vexillarii *apud Romanos quinam fuerint?* 271
de Virium, *corpora, aquæ insidentia, sollicitantium, effectu.* 588 seq.
Vitri *formatio & usus, vetus & recentior.* 21. 22
Ulfilæ *versio Gothica SS. Evangeliorum de novo edita.* 577
Ulfilæ *patria, nomen, lingua* 583 seq.
Ulpiani *locus ab emendatione defensus.* 339
Voltarii *Alzira versibus Polonis exprimenda.* 333
Volufeni (*Flor.*) *vita & scripta.* 714
Vossius (*Isaacus*) *notatur.* 60
de Usucapione *nonnulla.* 340 341
de Usufructu, *municipibus relicto, quæstio agitata.* 55. 56
proprietati coniuncto, & ab ea separato. 219

W.

Wetstenius *notatus & confutatus.* 532 sqq. 542
laudatus 540 sq.
de eius commentario in N. Testamentum, iudicium. 540. 542
de Wolfii (*Christ.*) *Logica iudicium.* 550

Errores operarum hi sunt emendandi:

Pag. 78. lin. 27. pro *Barnoullii* lege *Bernoullii*; pag. 87. lin. 24. pro *Emyclopædia* leg. *Encyclopædia*; pag. 196. lin. 22. pro *turgesentem* leg. *turgescentem*; pag. 248. lin. 28. & 29. pro *adhibibita*, leg. *adhibita*; lin. 32. pro Ἀχέτυπον leg. Ἀρχέτυπον; pag. 255. lin. 8. pro חבלי משיה leg. חבלי משיח; pag. 258. lin. 2. pro *Sepb* leg. *Zepb*; pag. 284. lin. 10. dele *semper.*